








XLVII
B
6



HISTORIAE ECCLESIASTICAE NOVI TESTAMENTI.

SECULI XVI.

Pars II.

In qua

de

Reformationis necessitate, prodromis, gradibus; Scandalo infidelium, Judæorum & Turcarum, qui de corrupto Christianismi statu non modò ab aliquot Seculis gravissimas; sed & justissimas moverunt querelas; De caussis Reformationis tam *principali*, quàm instrumentalibus; *Zuinglio* præsertim, *Luthero*, & *Calvino*, *&c.* agitur.

Authore
JOH. HENRICO HOTTINGERO.

Ejusdem accedunt Prolegomena:

1. *Hypotyposis totius operis.*
2. *Epistola, de ratione conscribendæ Historiæ Reformationis.*

TIGURI,
Typis JOH. HENRICI HAMBERGERI,
impensis Michaëlis Schufelbergeri, 1665.

Nobilissimis, Amplissimis, Prudentissimísque Dominis:

D. JACOBO BUCHERO, Tribuno.


D. EMANUELI STEIGERO, Quæstori.

Illust. ac Præpot. Reipublicæ Bernensis Senatoribus Gravissimis; Dominis honoratissimis

Hanc Historiæ Ecclesiasticæ Partem

inscribit & offert,

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS.



Viri Nobilißimi & Amplißimi, &c.

ATque sic tandem; quod felix faustúmque esse jubeat S.S. Trinitas; post longas integri ferme decennij inducias, ad eam redeo telam, quam pertextam pridem optimi quique voluissent. Ecclesiasticam intelligo Historiam, cujus filum ad superioris seculi ætatem perduxi: *Seculi*, quod non minus ubertate, quàm pondere materiæ vel sex alia, ferrea sæpe, &, ipsorum scriptorum Romanorum judicio, plumbea, antecellit. Si enim quæ Christi tempore à Judaismo miraculosa fuit Reformatio; si, quæ tertio post Seculo insecuta Gentilismi, multorum spem, plurium expectationem, plurimorum vota superavit pro scriptio, dignissima visa fuit, quæ à Viris præclaris, *Eusebio* cumprimis, *Socrate, Theodoreto* &c. aliísq; in monumenta referretur; cur de ijs, quæ

quæ noſtri nobis Majores enarrare poterant, poſteritati quoque commendandis minus ſimus ſoliciti? Hoc ingratitudinis opprobrium ut ab Eccleſijs noſtris avertatur, pro virili, laborabo. Deus modò; qui & initium, & corona noſtrorum debet eſſe molliminum; quo ſine nihil vel eſt in homine, vel ab homine expectandum: Qui ſolus & vires ſufficere poteſt, & ſuppeditare ſubſidia; hunc etiam conatum tot Majorum imperijs, parium deſiderijs, minorum precibus impoſitum, ſuaſum & perſuaſum, gratiâ ſuâ proſequatur, ut plantationi noſtræ & rigationi cœlitus accedat benedictio, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Amen. Magnas prævideo labores, non æquos ubique (neque enim vel Jupiter omnibus placet) tot moleſtiarum Cenſores; ſed & majorem Eccleſiæ quàm cujus cauſa hîc aut vadimonium deſeri debeat, habendam video rationem.

Nemini bellum (imò ne bilem, ſi fieri

fieri poſſet) movebimus: Neminem laceſſemus: Injuriâ, malitiosâ ſaltem aut præmeditatâ, neminem afficiemus; ſed id ipſum, pro tenuitate noſtra præſtare conabimur, quod; ſi per nos ſtaret; aliorum libentiùs relinqueremus induſtriæ; negligere verò, prorsúſque contemnere, religioni meritò hactenus duximus. Primùm ergò; quod divinæ Majeſtatis mandatum eſt, *recordabimur dierum Seculi, animadvertemus annos cujusque ætatis, interrogabimus Patres noſtros, ut annuncient nobis, Seniores noſtros, ut dicant nobis*, *Deut.* 32. v. 7. Non noſtris, ſed Majorum experiemur verbis & ſcriptis, quæ illa, in quam diutiùs non potuerint illi conſentire, fuerit religio? Cur illi ſoli, qui tam honorati erant, tam tranquilli, tam ſolicitè quæſiti, per mutationem ſacrorum omnium in ſe maluerint concitare non invidiam modò; ſed apertum & inteſtinum odium, quàm receptis, aliorum exemplo, acquieſcere aris? Cur vitam, famam, fortunam, quàm animam pe-

 cli-

riclitari, existimârint consultius esse. Ostendam deinceps non novos, non alienos, non pictos aut fictos, Majores invexisse Deos; non impium cultum, non execrabiles ceremonias; sed veteres, tot modis defædatas, & corruptas, repurgâsse. Deo, quod Dei, & homini quod hominis erat, reddidisse.

Ostendam, nihil, à nostris mutatum, quod non, ut emendaretur, & Dei gloria flagitârit, & nostra salus.

Ostendam, non propterea nos malos esse, aut indignos, quos vel terra sustineat, vel Sol collustret; quia reformati sumus.

Ostendam, ipsos tandem lapides, Infideles, Gentes, Judæos, Muhammedanos ægrè tulisse, eos Ecclesiæ veræ, discipulorum Christi, in fronte gestâsse nomina, quorum pectora abominandâ Idololatriâ, execrabili blasphemia, nugacissimis ceremonijs essent referta; quique, veluti Sileni Alcibiadis, aliud in ore promtum haberent, aliud in pectore clausum. Et sanè quoties cunque

men-

mentem nostram hæc subit infidelium querela, toties illud Apostoli occurit: *Nam Dei nomen propter vos blasphematur inter Gentes*, Rom.2.24. Aut num vel lac lacti, vel ovum ovo similius est, quàm declinanti Synagogæ, de qua Apostolus, illi Ecclesiæ Romanæ, quæ superioribus non uno modo degeneravit Seculis.

Exprimam, ζὺν θεῷ καὶ πόνῳ, prolixè & operosè omnia ea, quæ breviter & strictim tum nostra adumbrat Hypotyposis, tum etiam Epistola de ratione & modo conscribendæ Historiæ Reformationis pollicetur. Non metuo, crambem bis coctam delicatos etiam objecturos stomachos; aut Iliadem post Homerum, qui illa ferme, quæ vel intacta, vel obiter tantùm ab alijs tractata huc usque fuerunt, in apricum proferre constitui; in nullius vel damnum, vel immeritum contemptum, sed rei simpliciter gestæ testimonium; Apologiæ potiùs & Historiæ, operam meam locaturus & calamum, quod

comentandi genus, quàm ſive innocens, ſive, omnium Gentium conſenſu liberum ſit, vel primorum, adeóque cruentiſſimorum, poſt Chriſtum natum, Seculorum (ubi Apologeticis & Hiſtoricis ſcriptis compedes ne truculentiſſimi quidem tyranni injecerunt) probat praxis.

Aut quis vitio nobis vertere poſſit, ſi; quandoquidem vita & fama pari ambulant paſſu; illos etiam, qui alios, meliores, non Hæreticos, non Apoſtatas, nos eſſe magno mercarentur; tam ſolicita cura liberemus? Modeſtè, & cum ratione, demonſtrantes, fruſtra nobis tam ſceleratum impingi crimen, qui, ut diſcipuli Chriſti eſſe poſſemus, gratiæ hominum repudium miſerimus; cruci ſculptæ aut pictæ, ferream, lapideam &c. prætulerimus. Omnium probra & convitia lubenti animo exceperimus: Non ut ab Eccleſia, à Chriſto, à Patre in cælis, Matre in terris Eccleſia, recederent; ſed ſuum cuique tribuerent; ſuo quemque loco colerent,

Majo-

Majores nostros tam periculosæ aleæ plenum negotium fuisse aggressos: Qui omnium subire odium & indignationem, quàm conscientiam diutius retinere cauterio resectam; meliora videre, deteriora sequi; maluerunt.

Initium jam *à causis* Reformationis tum *Principali*, DEO, Patre jubente, Christo præeunte; tum *impulsivis*, cadaverosa Ecclesiæ facie, turpi quæstu Indulgentiario &c. tum *instrumentalibus*, bono cum DEO, faciemus. Zuinglio cur plura dederim, in Epistola annexa, submonui. Intererat omnino constare, quibus subsidijs ad tam præclarum opus fortis Heros accessisset, quorum ubique votis, per totam Europam, ad rem strenuè gerendam fuisset excitatus; quàm nomen ejus, eruditionis, pietatis, dexteritatis, προθυμίας encomijs ubique terrarum esset celebratum! Quàm malè multi & de vita, & de studijs, & de Reformationis initijs essent edocti! Quàm pauci superessent, qui (non tam malitiosè, quàm per ignorantiam) debi-

ta tot laboribus publicis digna rependerent præmia! Quàm multi contra, veluti novi Reges, Josephum non agnoscerent, *Exod.1.8.* Hæc detergenda nobis erat lema, & omnium oculis objiciendum, alium longè totius orbis Europæi judicio Reformatorem nostrum fuisse, quàm vulgo eruditorum hactenus innotuisset.

De Scandalo infidelium plura fortè dixi, quàm nonnulli expectârint. Neque tamen vel injussus, vel satis pro materiæ ubertate. Nondum certè excidit; cùm sub finem anni 1663. Ecclesiarum nostrarum causam in doctrina Eucharistica acturus, præter reliquas argumentorum classes, illi etiam, quæ scandala τῶν ἔξω, Judæorum, Gentilium & Turcarum ex Transsubstantiatione concepta, enarrat, locum relinquerem; adeò Viro magno eam non displicuisse mantissam, ut in hunc paulò pòst ad me perscripserit sensum: *Alterum est, de quo rogatum velim, ut Mauri illius sapientis, Ahmed ben Edris, cujus apud*

apud Te locum non sine magna voluptate legi, cætera quæ quidem de Latinorum nostrorum cultibus, ceremonijs, dogmatibus eum adjicere, tu alibi, si bene memini, ajs, mecum communicare ne graveris. Ego enim magnum operæ pretium facturos nos existimo ad novitatem Papismi demonstrandam; si observatum dederimus, quid vel olim veteribus ab initio Christianis, vel eorum postea, ab anno D.1000. posteris, Judæi, Paganíque, ac deinceps Muhammedani de religione objectârint. Ita enim judico, ex utrorumque objectorum inter se collatione mirum in modum elucescere, quanta apud nostros Latinæ religionis mutatio fuerit facta. Itaque solertissimè à te factum & judico, & exosculôr, quòd Ahmedis locum illum notâris, atque in hac causa tam appositè usurpâris, ut & alterum illum Josephi Albonis &c. Cætera ejusdem generis, si qua insint, in arcanis Judæorum aut Muhammedanorum tum veterum tum recentiorum monumentis, à vobis diligenter observari, & in lucem protrahi percupiam.

Hæc

Hæc vir celeberrimus, & de Ecclesiasti-
ca antiquitate meritissimus, unius tan-
tùm occasione loci, ex *Ahmede Ibn Edris*
depromti. Quid si alter accessisset, *Ah-
med, ben Abdalla*, itidem Maurus (officio
saltem & religione, natione enim Can-
taber fuit, quod hominum genus, in ea
cumprimis parte, quę Navarra dicitur
& Biscaya, defectu prædicationis divi-
næ ipsi etiam Dæmonolatriæ addictum
queritur *Alph. de Cast. adv. hær. p. 27. b.*)
qui hoc nostro Seculo circa anum 1612.
integram fidei suæ, ad inclytum He-
roem, *Mauritium Nassovicum*, & Johan-
nem Portugalliæ Regem, transmisit
Confessionem. Non quidem ferunt ar-
cti hujus προσφωνήσεως cancelli, ut soli-
citam meam pro Muhamedanorum
hoc loco conversione vel repetam cu-
ram, vel necessaria contra exitiale Mu-
hamedismi venenum alexipharmaca
promam. Obiter indico, eò minùs pro
Gentis, à Christo θεανθρώπῳ alienę, con-
versione desperata mihi videri consilia,
quò magis exploratè mihi perspectum,
est,

eſt, duobus remotis repagulis, cætera mox ſponte, veluti varam vibiam, ſecutura. Ubi enim & Pelagianæ cicutæ radix, rationem religionis eſſe Cynoſuram; nihil religionem ſuſcipere, quod ratio ſua decempeda non metiatur; eſſet evulſa; & Sacræ Scripturæ fontes illimes adhuc fluere & limpidos (quorum utrumque ab ijs, qui religionis curâ non prorſus nullâ tanguntur, legitimis adhibitis ſubſidijs, cur impetrari non poſſit, ego hactenus videre haud potui) res noſtræ eſſent in vado. Non ita pertinaces eſſent, ut clariſſima Scripturæ loca, quod Socinianis εἰς ἕξιν μετάβη, vel negarent, vel novos illis ſenſus affingerent, modò oculi eorũ, ut Scripturę lucem admitterent, prius curarentur. Sum̃ę profectò ducerent religioni eum, qui DEUS oraculo divino vocatur, humano ſacrilegio de Majeſtatis ſolio detrudere; in eo tamen conſtanter adhuc detinentur errore, quòd veluti ſcotomate percuſſi, & miſeri Scripturarum luci fugi, per denſas Alkorani ſui oberrârint

rârint tenebras. Sed hæc alius, ſpero, & otij erunt, & loci. De ſcandalis nobis diſſerendi via erat ſtrata; de ijs ergò pauca, quæ ſupereſſe videntur, deinceps monebimus. Non inficiamur, multa eſſe *ſcandala accepta*: Muhammedanos ijs ſæpe offendi fatemur Chriſtianiſmi myſterijs, quibus faſces deferre, omnémque honorem deberent & reverentiam. Appoſita, quibus arcana noſtra non probamus; ſed illuſtramus ſimilia, vel ſcepticè rident, vel ultra ſcopum noſtrum malitioſè extendunt. Certum eſt vel in ſolo *Sole* multa non tantùm ad myſterij Trinitatis; ſed & Attributorum, & Providentiæ divinæ doctrinam faciliùs exponendam occurrere, quę non planè obfirmatis & projectæ audaciæ ingenijs multos eximere poſſunt ſcrupulos. In una *Solis* ſubſtantia veteres jam Theologi, Arabes etiam, obſervârunt orbem, radios, lucem. Idem Sol & lutum indurat, & ceram liquefacit. Sol ſuo ſplendore & calore omnia, intima etiam & ſordidiſſima pene-

penetrat; ſed ſine vel contactu, vel mixtione. Quid & in paſſione Chriſti θεανθρώπȣ veteres, *Solis* monſtrârint exemplo, quomodo Deus ſit paſſus; Deitate ſalva; videatur *Batric.* Annal. P.II.p.71. Hæc, inquam, aliáque ſimilia ſcio indignè nonnunquam exagitari, ab illis, quorum tamen Alkoranus Similibus ubique, ineptiſſimis etiam, eſt refertus. Sed præter hæc *accepta* ſcandala, diſſimulare non poſſumus, multa etiam eſſe *data.* Hanc querelam de plerisque Theologiæ Pontificiæ capitibus ante aliquot ſecula fuiſſe motam, toto Cap. II. oſtendimus. Eandem verò etiamnum continuare, Ahmedis, ben Abdalla, cujus modò meminimus, experiamur verbis. Praxin Eccleſiæ Pontificiæ in tribus capitibus *feſtucam* in oculis ſuis, *palum* in corde, *offendiculum* in pede fuiſſe, ipſe teſtatur. Prolixius diſſerentem audire juvat, tum ut penès quos potiſſimum ſteterit, quòminus felices Chriſtianorum contra Muhammedanos fuerint diſputatiónes, innuere li-

liceat; tum eadem etiam oſtendere opera, unde, quòd triſtia ſubinde de Apoſtatis nova aures noſtras verberent, contigerit; & cur, ipſis eo nomine criſtas erigentibus, adeò facile Pontificios in ſua pertraxerint execrabilis Saraceniſmi retia Muhamedani. Non de vicinis tantùm, Muſelmanorum, aut maritimis; ſed de remotioribus (utinam non Helvetijs!) juſtiſſimam hanc movere nos cogit hodierna piratica querelam. Meis non ita pridem oculis triſtes ex oris Africanis legi literas, quæ omnino non ſupervacaneam hanc noſtrã eſſe ſolicitudinem, abundè probant. Ne ipſi quidem ignorare nos volunt, Saraceni, ſolidam religionis ſcientiam conſtantemque ejus confeſſionem *imaginum* potiſſimum *cultum* ſufflaminare; *Tranſſubſtantiationem* contrà, *cælibatum Sacerdotum*, & *Confeſſionem auricularem*, à noſtris caſtris eoſdem avellere. De quibus ipſum *Ahmedem*, *ben Abdalla*, Legatum; ut opinor circa an. Chr. 1612. aut præter propter, Regium, Africanum;

num; loquentem audiamus. *Imaginum cultum* Christianorum progressibus moram injicere, & animum adversarijs addere, quò ægriùs in castra nostra transeant, & impetum reliquorum, quo minus cursum in semel suscepta religione absolvant, suspendere, thrasonicè satis *Ahmed ben Abdalla* objectat. *Experientia,* inquit, *compertum est, Maurum* (falsum hoc esse, exemplis alibi probavimus) *nunquam mutare legem vel religionem suam. Centum anni sunt jam & ultra, Hispaniam oppugnatam fuisse à Christianis: Et tamen omnes illi, qui ducebant originem à Mauris, vixerunt usque in hæc tempora inter Christianos, non mutata lege propria, quod usque ijs nostris temporibus sunt omnino ejecti ex Hispania omnes à Christianis: Desperabant enim jam omnino, Mauros aliquando adoraturos imagines suas voluntariè, quamvis sæpè coacti sint vi, & infiniti eorum Religionis ergo etiam necati: Diversum verò & contrarium videmus in Christianis, qui (in omnibus bellis mundi, tam in Hispania quàm ali-*

bi habitis) quotquot fiunt Mauri ſive coactè ſive voluntariè, tandem ſunt ex corde & animo Mauri; paſſim enim videmus, ut qui heri fuerit Chriſtianus, hodie religionis ergo ex acie deſcendat in pulverem adverſus Chriſtianos adorantes imagines, & occidat omnes, quot poteſt, nec fratri proprio parcat. Hoc etiam experientiâ compertum eſt, ſi cujus remaneat adhuc affectus, aliquis occultus Chriſtianitatis, filij tamen ejus ſemper ſunt integri & corde Mauri: Contrà, in Mauris, ſi quis coactus ſit eſſe Chriſtianus, tamen paucis verbis efficiet, ut filij perſtent in Maurorum lege. Tantum poteſt veritas. Parvi hæc facimus, & tamen oraculo divino moniti ſumus, non melius nos habituros, aut de Muhammedanis Eccleſiam triumphaturam, *donec reſipiſcat ab operibus manuum ſuarum, ut ne adoret ſimulachra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare*, Apocal. 9. v. 20. Quàm elato ſupercilio *Abarbanel*, Magiſter Hebræorum cæteroquin non poſtremus, præſentem

ſentem Judæorum ſtatum, abjectum etiam, forti animo diſpicere, & limo quaſi oculo contemnere jubet, quòd, meliorem ſecuturum non minùs divino oraculo prædictum à Daniele ſit, quàm habeat per ſuaſum, Scholaſticorum vitilitigationes, Pontificis Hierarchiam, imaginum cultum, legis divinæ mutationem, dierum feſtorũ, adeóque temporum translationem (de quibus ordine *author ſub fin. Commentar. in Daniel.*) non eſſe fortuita; ſed Danieli tot ante Seculis prævisa. Ut deplorandũ omnino ſit, adeò paucos de veris malorum cauſis cogitare. Si ad *Tranſſubſtantiationem* deventum fuerit, *cælibatum Sacerdotum*, *Confeſſionem auricularem*, quid miremur nec talia myſteria illos capere poſſe, quum vel ipſi (non ſine magno probro noſtro) alia in Scripturis noſtris legerint; nec noſtros, imperitos præſertim, præſidia ſe defendendi, habere in promtu. *Initio* (ita Ahmed ille) *promiſeram dicturum quædam, quæ audivi fieri à Domino*

Portugaliæ Principe; quæ quamvis lubens omisissem, sed ut stem promissis, quàm breviter ac potero, rem aperiam.

Sua igitur Excellentia jubebat facere Missas, in locis Pontificiorum Germaniæ, per quæ transibamus: Quæ Missæ, aut sacrificia nullo pacto possunt accepta esse Deo, ob multas causas & circumstantias, cùm hoc non sit ex Dei præceptis. Prima *igitur, quia habent figuras & imagines instar idolorum gentium.* Secunda, *ubicunque congregantur viri & fœminæ, ibi mens non est intenta, neque devota: Nam inter celebrandum Missas & Sacrificia fœminæ & viri mutuis aspectibus, signis & nutibus accendunt pravorum appetituum, & desideriorum suorum ignes; & quando hoc non fiat, saltem humana fragilitas delectatur mutuo & reciproco aspectu, & ita mens non potest esse quieta, intensa; neque devota.* Tertiò, *quia ingrediuntur templa immundis corporibus, & iisdem calceis, quibus calcantur fora, & omne genus immunditiei, cùm notum sit, Deum injunxisse Moysi exuere calceos.*

cum

cùm ei loqueretur, quia locus est Sanctus. Et cùm Ecclesiæ sint sanctæ, & templa loca destinata ad Deum adorandum, & vertendum lachrymas, pro culpis & peccatis, ipsi potiùs canunt Musicam, ludunt Organis, & utuntur igne &c. Nec potest facere Missam, nisi qui fuerit sacerdos ordinatus: Et si aliquot Pontificij essent in diverso aliquo loco, aut in mari absque Sacerdote, non possent facere Missam, vel offerre sacrificium suum Deo, quod est summus defectus: Aliter fit in Lege Dei & Maurorum. Quilibet sive solus, sive comitatus cum Sacerdote, vel sine eo, potest hoc facere. Plura alia, quæ scio non fore ad palatum suæ Excellentiæ brevitatis gratiâ omittam. Redeuntes ad rem, dicunt, posito calice in Altari, & pane quodam albo ex farina confecto, (quem ipsi vocant Hostia) & p[illegible]iatis à Sacerdote quibusdam verbis Latinis, panem converti in Corpus Christi, & quod plus est, ipsum Deum descendere è Cœlis in illam hostiam, qui error includit infinitos alios, & abominanda impossibilia: Deus tamen liber est ab hujusmodi calumnijs. Quid enim ita abominan-

minandum, quàm dicere, Deum subjectum esse cuidam sacrifico (cujus spiritus est centrum miseriæ, & peccatorum; corpus immunditijs plenum?) ut quoties sacrificare libeat, cogat venire ad manus ejus illum Deum, qui neque habet quantitatem, nec motum? Cùm Dei naturæ sit impossibile, ire & venire; quisquis enim venit seu it, mutat situm: Deus tamen nequeit, neque venit è Cœlo, sive è terra: Deinde Sacerdos vescitur illa hostiâ, & dicit, ibi esse Deum: Videant, propter Deum, quàm abominandum & horrendum dicere, hominem vesci Deo? Revera non dubito, quin quoties hoc dicitur, tremant cœli & terra: Sed Deus misericors eos tales sustinet, usque in illum limitatum diem judicij. Præterea hostia illa fit ex farina, & est corpus, & in uno corpore non dantur nisi accidentia, præter corpus non alia corpora, vel alia essentia:

Præterea iste (quem ipsi vocant Deum, & descendit in hostiam) aut est pars Dei, aut totus Deus: Si, dicant, partem Dei, impossibile est, cùm in Deo non dentur partes: Si dicant esse totum; inquiro, quando erat

in

in hostia, quam Sacerdos comedit, per quasnam partes corporis distributus est. Nam hostia jam infecta & corrupta etiam distribuitur per diversas partes corporis: Et, si in tali materia erat Deus, ipsâ infectâ & corruptâ, & tandem transformata in humores alios, ubi manet Deus. Si dicant, Deum sequi materiam, id est hostiam & vinum: Hostia & vinum mutantur in sanguinem, choleram, phlegma, melancholiam, carnem & ossa: Igitur sanguis & humores Pontificiorum etiam erunt Deus. Si dicant, Deum non sequi materiam, igitur postquam Sacerdos vescitur hostia, statim separatur Deus ab ea, & redit iterum in cœlum, & sic cogunt eum ascendere & descendere toties, quoties faciunt Missam: Hinc etiam sequeretur, hostiam non esse Deum; cùm Deus separetur ab ea, statim ac Sacerdos vescitur ea; quare igitur, vel cui rei descendebat è Cœlo, rediturus iterum & ita citò?

Et si dicant, hostiam esse instar speculi, (ubi quilibet ante positus statim videt effigiem suam,) & ita in hostia apparere Deum:

Respondemus, id quod apparet in speculo, non esse hominem, sed hominis effigiem; nec speculam ingredi totum aut pars hominis: Et sanè hoc pacto, Deus, neque similitudo ejus erunt in hostia; homo enim habet figuram & similitudinem; Deus verò non, cùm sit immaterialis, & figura & similitudo sit solùm in rebus materialibus. Præterea hostia illa eget sustentaculo, & ita sustentatur à manibus Sacerdotis: Igitur Sacerdos sustentat Deum, si Deus est in hostia, & cùm certissimum sit, Deum sustentare cælos & terram, consequenter Sacerdos sustentat cælum & terram & Deum: Videant, quàm horrendum sit hoc!

Præterea, sæpius vidimus fulmine combusta altaria & Sacramentum, vel hostiam; quomodo igitur potest fieri, ut Deus mittat fulmen contra se ipsum? Præterea contigit aquarum diluvijs & tempestatibus Ecclesias cum hostia funditus everti, & Pontificios maximo discrimine vitæ ingredi torrentes aquarum ad liberandum hostiam, vel suum Deum. Quis igitur est iste Deus, qui eget hominum auxilio, & qui non potest

test se ipsum juvare & eripere ab hujusmodi tempestate?

Præterea, si hostia cadat à manibus Sacerdotis (ut sæpiùs contigit) aut cecidit unâ Deus, vel non: Si dicant non, igitur Deus non est in ea; si dicant, Deum ibi fuisse, non tamen cecidisse, hoc est ex impossibilibus, dicere eum esse ibi, & non esse. Deus avertat à nobis ejusmodi nugas, & custodiat & conservet, in ejus sancto servitio in lege unitatis, quo usque ipsius infinitæ bonitati visum fuerit, & fruamur ipso, Amen.

In Pontificia Religione nullus Sacerdos potest ducere uxorem, *cùm tamen hoc pugnet cum lege Dei; omnes enim Prophetæ duxerunt uxores. Legitur etiam in Genesi; Deum (post creationem Adami Evæ, & reliquorum animantium, avium & piscium) dixisse;* Multiplicate, *&c. unde patet, generare esse è voluntate divina, & huic etiam fini creavisse marem & fœminam, ut genus hoc humanum conservaretur in ultimum usque diem, quando Deus suscitabit mortuos, & dabit gloriam bonis, & pœnam malis. Pontificij verò pleno gra-*

ducunt adversus hoc praeceptum, cùm utriusque sexus religiosi & Sacerdotes non junguntur matrimonio, voventes (ut dicunt) castitatem omnino contra Dei decretum, judico, divina permissione hoc fieri, qui non vult, ut multiplicetur amplius materia, seu genus illud Idololatrarum, sed potiùs cum ipsis pereat. Si dicant, ideò eos hoc facere, ut similes Angelis fiant, qui toti sunt puri & sine luxuria; Respondemus: cuilibet rei esse propriam suam perfectionem, & unius perfectionem posse esse alterius defectum; ut barba, in viro perfectio; in fœmina defectus: Eodem modo Angeli creati ex substantia Angelica & cœlesti expertes omnis corruptionis, non egent filijs, qui adorent Deum post ipsos; sed homo, qui est ex materia corruptibili, eget generatione successorum & hæredum, qui Deum adorent (parentibus mortuis) loco eorum, & ita nullus Prophetarum Dei, nec Deus ipse voluit matrimonium.

Tertium; de *Confessione auriculari*; quo & gravissime author offenditur, sequeretur caput, cum Antithesi confessionis

Mu-

Muhamedicæ ; quia verò locum illum πολυμαθέστατος ille Anglus, *Joh. Selden.* de Syned. Heb. P. I. cap. 12. pag. 287 jam vulgavit, & tandem fortè futurus est, qui totius illius Confessionis (cujus apographum Clarissimo Hammonensium Theologo, D. D. *Pauli* meritò ferimus acceptum) examen instituat, nos manum de tabula. Satis evidenter, quæ diximus, probant, non ita incuriosos nostrorum sacrorum esse Muhamedanos & Judæos, ut per eos, quicquid libet, liceat. Non oracula sunt, fateor, quæ hinc inde spargunt ; nec nobis omnia placent, quæ οἱ βέβηλοι, οἱ ἀμύητοι de dogmatibus, ritibus, regimine Pontificiorum liberè nimis crepant ; neque tamen mendacia semper censeri debent, quæ loquuntur olitores. Et asinæ, quæ est ζῶον ὑποζύγιον, lingua solvi potest, ut Pseudo-Prophetam officij moneat. Sint Judæi canes, sint Muhammedani porci ; sint viperæ, quibus in religionis Christianæ mysterijs cognoscendis & judicandis nulla debetur pars, nullus

lus locus; dentes tamen habent, quibus non ossa tantùm, sine damno, sine noxa rodunt defunctorum; sed & carnem, cum exquisitissimorum dolorum & cruciatuum sensu, lacerant superstitum. Turpe est, si sus Minervam, si lapis hominem, si regina Austri Doctores Hierosolymitanos, in ordinem redigant. Quid verò si res cum re, causa certet cum causa? Si hujusmodi testes in Christianos insurgant? Si superstitionis eos, impietatis, vanitatis, erroris scandali, projectæ audaciæ, conculcatæ authoritatis divinæ, convincant? quis, quæso, tum excusationi aut justæ apologiæ superesse poterit locus? Quid ad tot absurda, tot ἀσύςατα, quæ Doctores Muhammedani, miserè, vel in Asia vel Africa vexatis captivis; quos *Mamlûcos* sua pridem appellârunt lingua; objicere solent, abjecta illa mancipia; respondeant, cùm ne subtilissimos quidem hactenus è Scholis Doctores solvere intricatos illos nodos potuisse, ex eo manifestum sit, quò tot

ferè

ferè de *Transsubstantiatione*, ejus causis, & effectis occurrant sententiæ ; quot sive capita , sive cerebra ? Qua de re consuli poterit nupera nostra *Apologia Eucharistica.* Sed cur Præfationis limites transiliamus? Et ϲυμπάθεια, quâ erga Gentem Christianam afficior, & Christiana pro pomœrijs regni Servatoris dilatandis cura, & rei hactenus vix satis expensæ aut tractatæ , de scandalo infidelium, momentum , facilè ; ut per amęnas varietatis ambages, quàm compendiariam, cursum potiùs conficerem viam, impetrârunt. *Prolegomena* nostra non ingrata Lectori fore confidimus, tũ quòd totius operis adumbrent *Hypotyposin*, tũ etiam, quòd rationem & modum quærant Historiæ deinceps exhibendæ. Judicium ab eo, cui Epistola erat inscripta , Nobilissimo *D. Schurmanno*; expectavi : Sed quando, antequam scriptum meum lucem vidisset , Deo piam animam in cælestem transferre placuit Academiam, plus satis est , conatum hunc meum *Sorori* placere θαυμασιωτάτῃ,

Belgij

Belgij ornamento, orbísque totius prodigio. Quæ legi hactenus, de *Anna Maria à Schurman*, quæ vidi, quæ ab alijs audivi; longè maxima erant; sed quæ gemino mihi nuper probata fuêre alloquio, illa, ut dicam quod res est, famam, quod de præsentia aliâs dici solet, non minuerunt, sed immane quantum auxerunt. Adeò eruditum rerum & verborum erat certamen, ut dubia fuerit palma, rectiùs ne rebus gravissimis verba adeò convenirent tersa, polita, exasciata, Orientali nonnunquam condimento variata; an verbis eruditissimis rerum responderet gravitas & pondus. Insignia *Angelæ Isotæ, Geneuræ,* & *Lauræ* Nogarolarum, *Cassandræ Fidelis,* Venetæ, *Lauræ Ceretæ* Brixiensis, *Hypsicrateæ*, è monte Rhodigina, *Modestæ à Puteo* Venetæ, apud *Jacobum Philippum Tomasinum*, Patavium, Episcopum Æmoniensem, extant elogia, de eximia earum eruditione, & incredibili in humaniores literas amore. Celeberrimus *Bartholinus*, studiorum olim

Ara-

Arabicorum in inclyta Batava ſocius *Holckiam*, *Danorum* appellat ſidus. Neque omitti hoc loco debet *Helena Veneta*, Illuſt. Viri, Joh. *Baptiſtæ Cornelij Piſcopiæ*, Nobilis Veneti, filia, quæ heroico auſu literas à virgineo amplexu diu ſatis ibidem avulſas, adeò ſtudiosè ab aliquo tempore excoluit, ut, ſub auſpicijs doctiſſimorum Præceptorum, non Linguarum modò Latinæ, Græcæ, Gallicæ exactam notitiam acquiſiverit, ſed & in Philoſophia, Geographia cumprimis, utraque Muſica, vocali & inſtrumentali, paria cum doctiſſimis præſtiterit. Non invidebimus vel *Daniæ* vel *Italiæ* hanc laudem (ſunt enim, quod feſtivè Græci dicunt, ἄφθονοι τῶν μουσῶν θύραι) ut & in Gynæcea receptæ ſint Caſtalides Muſæ; neque tamen iniquam expecto cenſuram, ſi auritus & oculatus ego, *Schurmannam*, & Germaniæ noſtræ ſingulare (ut modeſtè loquar, nihilq; blanditijs dediſſe videar) κειμήλιον, & cæterarum, quæ in hoc ſexu tractant literas, veluti

Anti-

Antistitem nuncupavero. Sed hæc παρέργυ ὁδὸν.

Vobis; Viri *Nobilissimi*, *Amplissimi*, *Prudentissimi*; Tomum hunc Historiæ Reformationis sacrum esse volui, ut me Vos non amare tantùm; sed & colere, toti testarer orbi literato. Vestra, in Ecclesiam, literas & literatos, majora esse studia, curam, favorem, quàm quæ intra privatos tantùm recitari debeant parietes. Tuorum, Nobilissime D. STEIGERE; ea apud Antecessores nostros fuit Majorum authoritas, ea æstimatio, ut Venerabilis *Bullingerus* noster, Ampliss. D. *Steigero*, Reipublicæ Bernensis Senatori & Quæstori, sua in *Lamentationes Jeremiæ* inscripserit μελετήματα. Ne ergo, quæ inter ordinis olim Antistites digna visa fuerunt conservandæ amicitiæ perirent alimenta, publicam hanc, more recepto, προσφώνησιν, mei in vos affectus documentum extare volui. Deum veneror, ut Vestris porrò adsit consilijs, ijsdémque ubertim benedicat ad Nominis sui Sanctissimi gloriam, Ecclesiæ incre-

incrementum, patriæ tranquillitatem, afflictorum ſolatium, amicorum gaudium & honorem, per & propter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen: Ita ſincero pectora vovet

Tiguri d.3. Feb.
1665.

Nobil. Nobil.
& Ampl. Ampl.
Nom. Nom.
Veſt. Veſt.

Obſervantiſsimus

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS.


Erra-

Errata inter relegendum observata.

P.5.l.10. Hutterus, p. 6.l.9. Schammaitarum p. 7.l.14. periculosam pag. 11.l.19. vertuntur p. 17.l. 29. del. re. p. 18.l. 22. annunciatione p.69.l.17.18. alvei dispositi sint, utres nempe. p. 129.l.1. partem pag. 166.l. antep. Munsterus. p. 183.l.5. del. (d) p. 189.l.7. triennii. p. 199. l.20. Tigurinis. pag. 200.l.3. nullis tamen. p.208. l.23. articulorum. p.214.l.23. vocari se. pag. 218.l.2. hebes. p. 222. l. 12. Helvetiæ. p.236. l.6. scriptæ, p.260.l.11. an. Christ. 1521. l. p. 268.l.14. adficiantur p.276. l.12. singulis; p.281.l.10. validissimo, p.289.l.4 persuasoria, p.293. l.12. consilium p.321.l.15. noluit. pag.326.l.4. eas p. 327. l. 12. illorum p.328.l.18. nescimus p. 335. l. 1. turis, p.343.l.2. separabor, p.375.l.8. tragœdiam illam. p.387.l.2. lecturique, p.400.l.21. Ceraunelateus. p.401.l.6. postremi, p.402.l.16. del. ut. p 408.l.1. tum p.424. l.12. Isenaci, p. 440.l. 18. gnarus p. 441.l. 2. Indidem honorificè loquentes p.446.l.15. nec vos p.447.l.9. libertate cum, p.456.l.3. ursit causam Epistola. pag. 457. l.10. ne nimiæ p.458.l.10. provinciam concionatoris, discrimen? P.467.l. 5. Vidimus; p.475.l.24. modum p.491. l.14. vel Iudas, vel laudes p.494.l. penult. Interpretem, p.502. l. 2 expectari P.513.l.21. eruditionem conjunxit, p. 558.l.1. del. spurgum p.606. l.1. convitia perpetior, p.627.l.5. ne quinta p. 711.l.1. in militia fuerint ausi &c l.2. didicisset, p.714.l.21. Cyriacus l. 22. Thaumasiandri, p.806.l.20. maculam, l.22. animadvertunt P.829. l. 10. in modica sua fam. pag. 832.l.19. approbata.

Epistol. Fol. A. p.2.l.14. quis, sibi suffenus, ita blandiri velit, ut ad aliud, p.6. b. l. 10. liberalitate, p 7. a. l.18. lucis appetentes. B. p.4. b. l.9. Successus, p.5. b. l.1. juvant. C. p.1. b. l.17. patrocinari, p.3.b.l.14. Petro, p.5.b.l.13. cùm non κατὰ &c. p. 6.b.l.10. proferrentur D. p.2.b.l.1. appellis, sedulò caveas, l.6. periculosam, p.5. a l.19. sententiarum dives, multo, p.5 b.l.19. retineat, p.6.a. l.17. plerasque, p.7.a. 5. del. abibit, l. 11. deflorata & prælibata, p.8 a. l.ult. exactissimi typi, b.l.2. ingenuitatis pectora, tot.l.8. eadem ubique, quàm vel tornata, & expolita, æquabili insuper stylo admiranda, aliorum, commendant. E. p.1 .a.l.16. איש כרגלו b.l. 21. Cogitabit, p.2.a.l.5. cui vir. l. penult. hoc parum est, quin laudet, p.3, a l,11, qua sine, b.l.15. diuturna siti pressi, p. 4. a.l. 9. reddunt, b,l,12. Non tam p.6 a,l,1, festucam aliis exprobrârunt.

Pro-



Prolegomena.

I. *Hypotyposis totius operis.*

II. *Epistola de ratione conscribendæ Historiæ Reformationis.*

Hy-



I.

UT, quâ deinceps Methodo Reformationis plenior Historia expectanda à nobis sit, clariùs constet, brevem ejus in ipso limine præmittere placet σκιαγραφίαν.

Canon. *Tantò hæc tractatio magis est necessaria, quantò majori se hodierno die commendat usu. Necessaria* est 1. καθ' ἡμᾶς, *quoad nos.* Nam & nostrâ refert nôsse, tum infelicia superiorum seculorum tempora, tum miraculosam Dei ex densissimis tenebris liberationem: Non modò, ut bona nostra æstimemus, sed etiam, ut ardentiores Deo, pro collato beneficio, gratias agamus. 2. κατ' ἄλλους, *quoad alios,* Adversarios præsertim, qui nihil ab aliquo tempore majori egerunt studio, quàm ut læsæ divinæ, & humanæ Majestatis, turpis Apostasiæ reos Majores nostros agerent, prægnantibus, nova, ut vocant, introducendi sacra, causis, destitutos. Hoc enim opus recentiorum, hic labor est, ut persuadeant aliis, non sufficientes Majores nostros, ab avita recedendi religione, habuisse causas: cui objectioni, jam tritæ magis, quàm speciosæ, aliunde, quàm ex superio-

rum temporum exacta notitia, satisfieri non potest.

II. *Reformationis Ecclesiasticæ, superiori Sæculo institutæ, considerabimus Causas, Effecta, Subjecta, & Adjuncta.*

Canon. *Et si hæc tractandæ Historiæ Reformationis Methodus videatur insolita, omnium tamen, meo judicio, & accuratissima est, & tutissima* Qui enim cunque hactenus hanc orsi sunt telam, aut *Chronologicè* tantum ostenderunt, *quando* reformatum; aut *Historicè*, quòd reformatum fuerit. Utrique τὸ ὅτι potissimùm posteritati tradere curæ habuerunt. Nobis τὸ διότι addere placet, & καθότι. *Causas* enim Reformationis eruere, ejusq; *modum* ostendere in animum induximus. Sed & *Subjecta* ordine cernere, non volupe tantùm, sed & operæ pretium fuerit, ut stupentes, admiremur sonum Evangelii, secunda hac Pentecoste, in totum terrarum orbem egressum. *Rom.* 10. 18.

III. *Causæ* Efficientes, *vel* Procreantes *sunt, vel* Corrumpentes: Ex illis aliæ per se sunt, aliæ per accidens. *Ex Causis* Procreantibus per se, *alia* Principalis *est, alia* minùs Principalis.

IV. Principalis *est Deus.*

Canon. *Deus Reformationis causa Principalis est, tum ratione Mandati, tam generalis,*

qua

quàm specialis; *tum Exempli Christi*; *tum denique successûs, non uno modo miraculosi. Mandatum generale* nos jubet Deum supra omnia, Parentes, Majores, Consuetudines, &c. diligere *Deut.* 6. v. 2. 6. *Speciale* (ut vel unum, & alterum subjungamus, reliqua alio loco commodiùs poterunt referri) vult, nos verbum Dei præferre verbis & mandatis hominum *Deut.* 4. 2. *Ezech.* 20. 18. *Matth.* 15. 9. Exire Babylone, *Apocal.* 18. 4. Vitare idola 1. *Joh.* 5. 21. Deum adorare in Spiritu, & veritate *Joh.* 4. 24. *Exemplum* Christi suo loco probabit, magnam inter Reformationem *primam* à *Judaismo*, & *tertiam* (de *secunda* enim, quæ est à *Gentilismo*, alibi jam diximus) à *Papismo*, esse affinitatem. *Miraculosam* fuisse non uno modo Reformationem, patet, 1. ex *causis Efficientibus*. Viri erant eruditi, pii, magnanimi primi Reformatores; sed nullo muniti externo vel armorum, vel pompæ humanæ strepitu. Non *ore gladii*, ut Muhammed; sed *gladio oris* tantùm, more Apostolico, totum penè subegerunt orbem. Imo, ne humanæ quicquam tribueretur industriæ, observavimus, sanguine potius, quàm victoriis Evangelii crevisse doctrinam. Et quoties contigit, ut cum nutanti Arcæ admoverent Majores nostri manus, cum Uza experiri debuerint.

 De-

Deum in regni ſui conſervatione operâ noſtrâ non indigere, 2.*Sam*.6. v.6.7. adeóque in Nominis ſui manifeſtandâ gloriâ nec parem ferre, nec ſuperiorem. 2. *Effectis*. Vix proponi, vel commodè, vel dignè ſatis poteſt velociſſimus Evangelii curſus, quo non *Senatores* tantùm pauci, ſive Hieroſòlymitani, ſive Romani; vel *Aulici* Herodiani, Imperiales; unus & alter *Philoſophus*, Dionyſius Areopagita: Nicodemus, & Joſephus Judaicæ tum Synagogæ, Eccleſiæ, & Reipublicæ, columnæ, Chriſto nomen dederunt. Reges, Principes, Reſpublicæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Theologi, Juriſconſulti, Medici, Philoſophi, catervatim in Reformationem tam diu deſideratã conſenſerunt, eandémque receptam ubique ferè locorum introduxerunt: ſanctum ferè inter eos, qui variis correpti morbis ſalutarem ingredi properârunt Betheſdam, erat certamen: id quod profectò tantò, miraculo ſingulari, & penè inuſitato eſt propius, quantò vel unius hominis ſeria converſio rarius aliâs contingit.

V. Minùs principalis *vel impulſiva eſt, vel inſtrumentalis:* Illa *vel* Interna *erat, conſcientia, & officii rigidum examen, quod permittere noluit, ut periculoſiſſimi, jam univerſum orbem Chriſtianũ infeſtantes morbi, diutiùs graſſarentur*: *vel* externa,

terna, *tum* generalis, *misera, & cadaverosa Ecclesiæ facies, tum* specialis, *turpis & quæstuosa nundinatio indulgentiaria sub Leone X. per Thecelium in Germania, Samsonium in Helvetia instituta.*

Canones. A. *Reformatoribus, ad Reformationem, vel suadendam, vel introducendam, vel retinendam, animum, præter officium, Deo, & Ecclesiæ debitum, addere nihil vel potuit, vel debuit.* Non certè. I. *Spes lautioris conditionis.* Quàm n. frustrà hoc aliquando Zvvinglio fuerit objectum, ipse ostendit modestâ contra Fab. & Anabapt. Apologiâ. Cui Papa nihil denegâsset, si tiaram illi Pontificalē reliquisset intactam; ille modico stipendio acquiescere, quàm conscientiam porrò suam onerare maluit. Et qui rara sua eruditione nihil non impetrare potuisset, *Calvinus*, maluit cum Mose divitias Ægyptiacas spernere, quàm animam suam periculo exponere. Non 2. *Tranquillioris vitæ transigendæ ratio.* Cruces enim, ignes, equulei, exquisitissimi alii cruciatus illis, qui avitis valedixerunt Numinibus, erant destinati. Ut verè illud Apostoli, ex Psalmo depromptum, suum facere potuerint: *Propter te occidimur totum diem. Rom.* 8. 36. Non 3. *Favor humanus.* Qui modò antea non apud Reges tantùm, & Principes, sed & Imperatores, & Pontifices in florentissima erant gratia, statim cum

 Pau-

Paulo habiti ſunt καθάρματα, ϗ περίψηματα retrimenta, & quisquiliæ generis humani 1. *Cor*. 4. 18. omniumq; libidini fuerunt expoſiti: Quid ergò ſupereſſe poſſit in Majoribus noſtris, utriusque ordinis Præſidibus, ad dogmatum ſuſcipiendam Reformationem, quàm ſanctum conſcientiæ teneræ depoſitum, quod non permittebat, ut vel fœdus, in baptiſmo cum ſolo Deo initum, rumperent, vel officium Eccleſiæ debitum negligerent? Verbo, illud Apoſtolicum: *Deo magis, quàm hominibus obedire conveniebat*: *Act*. 5. 29. Omnem invidiam ſuperare, amicitiam humanam negligere, ipſam contemnere mortem, generoſa pectora coegit.

B. *Vel ſola indulgentiaria nundinatio divortium à communione Romana imperare potuiſſet*. Ut enim articulus de Juſtificatione ſtantis Eccleſiæ eſt trophæum: Ita indulgentiaria mercatura compendium eſt totius myſterii iniquitatis. Apoſtolorum certamina cum iis erant, qui ex Lege, & Evangelio mixturam moliebantur Pſeudapoſtolicam: quid de hac κυκεῶνι, quæ merita humana divinis miſcet ſentiendum cenſeamus?

VI. Cauſa Inſtrumentalis *conſideratur vel ratione initii* ſigillatim, *vel continuationis* conjunctim. *Illo reſpectu trium, præ aliis in orbe Chriſtiano*,

ſt ano, præclarum est nomen: Zvvinglii in Helvetia, *Lutheri* in Saxonia, *Calvini apud Allobroges, & vicinos Gallos, quorum opera Deus ad Reformationis opus potiſſimùm fuit uſus. Unde* & Reformatores κατ᾽ ἐξοχὴν *vocari ſolent.*

Canones. A. *Vocatio Reformatorum non ſimplex, ſed mixta fuit, tum ordinaria, tum extraordinaria. Ordinaria,* quatenus in ipſo etiam Papatu ad Doctrinam Chriſti prædicandam erant vocati. Neque enim vel hodie Pontificii ſuam aliam, quàm Chriſti doctrinam; verbo Dei, vel ſcripto, vel non ſcripto traditam eſſe volunt. Ad hanc ergò vocati Spartam in *theſi*, cùm in *hypotheſi*, & examine doctrinæ illius, cum doctrina verè Apoſtolica, animadvertiſſent, clamari quidē Romæ: *Templū Domini, Templum Domini* &c. Illud interim in luſtrum latronum converſum eſſe, & mutatum; Eccleſiam Romanam officii diu ſatis monere, ſeriò inſtare, immorigeram tandem, & planè obſequii neſciam ſalvâ interim vocationis ſuæ authoritate; vel in ordinē revocare, vel deſerere Majores noſtri expulſi, & ejecti, & debuerunt, & potuerunt. *Extraordinariam* verò eorundem vocationem appellare licebit, ratione *donorum*, quibus ſupra conſortes erant inſtructi: *Subſidiorum*: quibus ad opus tam miraculoſum promovendum divinitùs e-

rant ornati: *Successûs* denique, qui ut monuimus, planè miraculosus erat.

B. *Zvvinglii reformandi conatus & priores erant tempore, & puriores eventu, Reformatione Luth.* *De prioritate temporis* ipse videatur Zvvinglius *Tom. Op. 1. p. 37.* Amplissimus Magistratus Tigurin. a. Chr. 1524. d. 21. Martii, modestum ad confœderatos suos XI. Cantonet edidit Apologeticum, ubi disertè monet, Ministros suos jam per quadrienniũ, aut quinquenniũ Evangeliũ docuisse, verbũ Dei. Et paulò pòst: *Illis temporibus,* inquiunt, *antequã de Lutheri doctrina quicquã vel scivissemus, vel audivissemus, publico Edicto in Vrbe, & agro omnibus Plebanis, Curatis, & Ministris injunximus, ut communiter, & liberè (id quod Jus etiam Pontificium concedit) sancta Evangelia, & sensum ipsius Scripturæ sacræ Veteris & Novi Testamenti annunciarent:* Et illud tantùm, quod authoritate Scripturæ defendi posset, prædicarent, cætera verò novitatis nomine suspecta, omitterent. Addi potest consensus Cardinalis Pallavicini in refut. Concil. Trident. L. 1. c. 19. *De puritate* luculentum est testimonium Celeb. Alting. quod Præfat. Primit. Heidelberg. inseruimus.

VII. Causæ instrumentales *conjunctæ sunt* Colloquia *potissimùm, &* Disputationes, *à Reformatoribus, Magistratuum interveniente, &*

mode-

moderante authoritate, habitæ, ut controversa probè possent examinari, ventilari, decidi, ipsaque postea Reformatio, tot Adversariorum calumniis, quasi vel tumultuariis, vel furtivis suscepta fuisset consiliis, non pateret.

Canones. A. *Necessitatem Colloquiorum evicit tum ipsius negotii gravitas, tum Adversariorũ indoles tum deniq; Apostolicæ, & Primitivæ Ecclesiæ Exemplũ Grave* est negotiũ, quod salutẽ concernit animarũ. Præmeditatè ergò, apertè & candidè in eo Antecessores nostri versabantur. *Adversarii*, & corruptæ doctrinæ, & vitæ licentiosæ accusati de injuriis conqueri potuissent, nisi causæ, accusationis publicæ, publicè fuissent examinatæ, & decisæ. Hinc autem evenit, ut, qui ante congressum æs Dodonæum erant, in ipso disputationum actu, & æstu, piscibus magis muti, hastam statim abjecerint. *Exemplo* denique tum *Apostolicæ, Act.* 15. tum subsequentis *Primitivæ* Ecclesiæ ea arripienda erant arma, quibus, quod invaluit malum, tutissimè posset tolli, & prodigiosè corpori Ecclesiastico adnata struma resecari.

B. *Colloquia circa, & post Reformationem habita, sunt varia, quæ ratione causæ* finalis *distingui possunt*, in defensiva veri, destructiva falsi; Elenctica, & Antagonistica; charitativa, reconciliatoria, irenica. De his collo-

quiorum classibus noster consuli potest *Bibliothecarius pag.* 350. Ordinem colloquiorum prolixiorem exhibebit nostra σὺν Θεῷ, continuatio Historiæ Ecclesiasticæ. Nomenclatura ἐν παρόδῳ, ita habet. I. *Lipsiacum*, a 1519. II. *Tigurinum* 1523. in Januario. III. *Tigurinum* secundum, eodem anno. IV. *Rhæticum* Ilantinum 1526. V. *Badense* in Helvetia, 1526. VI. *Homburgense* in Hassia, 1526. VII. *Nordense* in Frisia, 1527. VIII. *Upsaliense* in Suecia, 1527. IX. *Bernense*, 1527. X. *Ulmense* 1531. XI. *Genevense*, 1534. XII. *VVormatiense*, gradibus suis distinctum, 1540. XIII. *Oxoniense*, 1549. inter Martyrem, & Pontificios. XIV. *Cantabrigiense*, 1550. inter Bucerum, & Joh. Jungum, Sedguicum, & Perneum. XV. *VVormatiense* alterum, 1559. XVI. *VVestmonasteriense*, in Anglia, jussu Elisabethæ, 1557. XVII. *Possiacenum*, 1561. à Carolo IX. indictum. XVIII. *Parisiense*, in ædibus Nivernianis, ex consilio Ducis Monpenserii habitum. XIX. *Tiranense*, in Valle Telina 1595. XX. *Nannetense*, inter Comelctum Jesuitam, & Coietum Theologum Reformatum, 1599. XXI. *Fontisbellaqueense* inter Philippum Mornæum, & Jacobum Perronum. XXII. *Ratisbonense* tertium, inter Lutheranos & Pontificios 1601. XXIII.

Ani-

Antverpiense, 1608. inter Franciſcum Lanſbergium, & Goudam Jeſuitam. XXIV. *Thorunenſe*, charitativum, 1644. XXV *Rheno-petraum*, 1651. inter Theologos quosdam Lutheranos Gieſſenſes, & P. Valerianum Magnum, ejúſque ſocios, in arce Rheinfelſa.

VIII. *Sed & alia obſervari poſſunt, atque etiam debent cauſa Reformationis*, adjuvantes, & promoventes, *quas ponere hoc loco ſimpliciter fuerit faciliùs, quàm prolixè, & operosè exponere.*

In prima acie authoritas ſe exerit Regum, Principum, cæterorúmq; Magiſtratuum, &c. quorum auſpiciis, fervore, atque zelo, & Reformatores in tuto collocabantur, & Reformatio ipſa, non ſuſcepta modò, ſed & defenſa poſtea fuit. 2. Cœtuum Eccleſiaſticorum reformandi deſiderium, quod tantum hinc inde fuit, ut ubi Clerus officium facere noluit, Laici, non temerè; ſed præmeditatè, animóq; deliberato, manum negotio, in quo cardo ſalutis vertebatur, admoverint. 3. Nec parùm huc contulit ignorantia Cleri, infirmitas præſertim ejus in diſputando. 4. Perſecutorum infelix exitus. 5. Miraculoſum, quo Deus conſervare ſuos voluit, patrocinium. 6. Pax publica, Libertas conſcientiæ, Imperatorum favor. 7.

Subſi-

Subſidium librorum, quod indies crevit, ita ut unius ſæpe hominis plures fuerint Tomi, quàm integrorum antea Collegiorum. 8. Diſſidia Adverſariorum. 9. Fœdera publica, quæ tamen Deus defenſioni potius, quàm propagationi Evangelii inſervire voluit. 10. Conſtantia confeſſorum fidei reformatæ, quæ multis facilè perſuaſit, altioris, quàm humanæ originis, eſſe Reformationis ſucceſſum. 11. Honor SS. Miniſterio habitus, quem Generoſi multi, & nobiles in Profeſſionis Theologicæ ordinaria cultura teſtati ſunt.

XI. *Fuerunt hæc cauſæ* per ſe: *Cauſas etiam* per accidens, *Reformationi ſuppetias tuliſſe, obſervamus, quas omnes enarrare inſtituti noſtri non eſt: Unam proinde, & alteram hac vice indicâſſe ſufficiat.*

Pertinet huc, primò, Hoſtium ſævitia, & crudelitas. Quò verò inclementiùs illa ſæviit, eò Reformatio majora accepit incrementa. Nam & hîc locum habuit illud veterum: *Sanguis Martyrum eſt ſemen Eccleſiæ.* 2. Elenchus Adverſariorum, tentatus potiùs, & affectus, quàm verò perfectus. Multi enim, qui animum ad Reformatorum ſcripta confutanda appulerunt, ita frequenter ſuccubuerunt, ut verſo ſtylo, conducti

ducti ad convitiandum; linguas in laudes Dei, fideliúmque servorum solverint.

X. *Hactenus Reformationis* causæ producentes, & conservantes: Impedientium *major est ferè numerus, quam qui, brevitatis inclusis cancellis, iniri à nobis possit.*

Ut enim aliâs, ita majorum nostrorum ætate, structura Templi Dominici suos experiri debuit Sanballatos, Samaritanos, qui Cœlum solicitârunt, Terram, & Acheronta, ut sancta, sæpiúsque jam antea, sed ferè frustrà suscepta Reformationis consilia, reprimerent, aut sopirent. Atque huc superiori cum primis seculo maximè tendebant. 1. Cleri Romani rabies, tyrannis, sævitia, libido. 2. Convitia, quibus Reformati lædebantur. 3. Opprobrium Apostasiæ. 4. Crimina gravissima, quibus ipsi Reformatores hinc inde fuerant onerati. 4. Blanditiæ, quibus vel abituri retinebantur, vel profecti jam ex castris Pontificiis revocabantur. 5. Intolerabilis illa, & ubique jactata fama, quasi Reformatio omnium malorum Iliadem intulisset; concordiam contrà, animorúmq; conjunctionem proscripsisset, zizania discordiæ sevisset. 7. Varia decreta, supplicia, proscriptiones, excommunicationes, quibus optimos & constantissimos quosque fatigare atque frangere volu-

voluerunt. 8. Miraculorum obtentum lenocinium. 9. Artium, & technarum Strategemata. 10. Inquisitio, alter ille Phalaridis bos. 11. Aperta bella, clades, quibus nonnunquam bona causa affecta fuit. 12. Exemplum, & authoritas Magnatum, quod olim, & nunc multum apud Plebem potuit. 13. Inconstantia, & Apostasia nonnullorum. 14. Interdictum librorum nostrorum, & indices expurgatorii. 15. Dissidia, & contentiones domesticæ inter Reformatos. 16. Corrupti hinc inde Reformatorum mores. 17. Hostium concordia in Evangelicorum excidium. 18. Tepor religionis, & nimium concordiæ, pacisque sarciendæ studium. 19. Perfidia, & clancularia insidiæ. 20. Conciliorum splendor. 21. Ficta Ecclesiæ absoluta, & ἀνυπεύθυνος authoritas. 22. Exemplum Majorum, quæ omnia ferè ex veterum Gentilium depromta esse tela, Cap. 1. Hodeg. P. 1. ostendimus.

XI. *Hæc breviter de* causa efficiente: Materia *Reformationis erant Dogmata, Ritus, & Gubernatio Ecclesiastica.*

Canon. *Non dogmatum minùs, quàm morum necessaria fuit Reformatio.* De *morum* Reformatione magnopere contenderunt Ecclesiæ Romanæ πρόμαχοι. Eam aliquot seculis ante Reformationem nostram, & Concilia

ilia, & Scholæ publicæ ursêrunt: in *dogmaticis* tergiversati sunt, securè nimis persuasi, Romæ non modò impeccantiam in fidei fundamentis certè promissam; sed & inviolabiliter præstitam. Dogmatum ergò κατόρθωσιν, per universam propemodum Theologiam (si non quoad *Substantiam* ubique, ad *circumstantias* saltem) necessariam fuisse, suo loco, σὺν Θεῷ, ordine indicabimus, distinctè examinaturi, tum quo loco res cujusvis articuli steterit; tum quid in quolibet vel reformandū, vel reformatum fuerit.

XII. Forma *Reformationis in Examine, collatione, & emendatione tam fidei, quàm vitæ; dogmatum, rituum, regiminis & morum, ad unicam Christianismi Cynosuram, verbum Dei, solis utriusque Testamenti libris Canonicis expressum, consistit.*

Canones. A. *Forma Reformationis omnem & invidiam Ecclesiis Reformatis, & suspicionem novitatis auferre potest.* Cur enim illæ Ecclesiæ *invidiâ* laborent, quæ ad præscriptum verbi Dei sunt repurgatæ? Cur *novitatis* opprobrium sustineant, cùm novi nihil ipsæ finxerint, aut *formârint*; sed id, quod variis modis corruptum, & depravatum erat, meritò reformârint; Fontes obthuratos aperuerint, arborem musco obsitam purgarint, Vinum fæcibus mixtum defæcârint?

B. R-

B. *Reformatio perfecta, suisq; numeris absoluta nulla est, quæ scripto Dei Verbi examussim non convenit.* Ne nuncquidem adeò plerisque exosum est, neque fuit ante hac, Reformationis nomen, ut eliminatum prorsus, aut proscriptum illud vellent, vel Pontifices, vel Imperatores, vel Reges, vel Ecclesiæ, vel Academiæ. Τὸ ὅτι, *Reformandum* fuisse, nemo facilè fuit ausus negare: At ubi ad τὸ καθότι, *modum Reformationis* perventum erat, jam *alii* mirè illum extenuârunt, ne καυστικὰ adhiberentur. *Alii* laneam, & lineam laciniā veteri assuere voluerunt vesti; malè explicitū, & ad ἰδίας ὑποθέσεις detortum verbum Dei, & traditiones humanas: *Alii* de media cogitârunt religione, ex ferro, & luto compositâ: *Alii* mensuram vitiatam, pondus adulterinum, regulam curvam, & Lesbiam, traditiones, consuetudinem, rationem etiam humanam in hoc Sanctuarium inferre ausi fuerunt. Hinc formulæ Interimisticæ, consilia Henotica, mediæ religionis chimeræ. Nos eam demum Christianis dignam pronunciamus Reformationem, quæ vocem Christi ex mandato Patris, *Matth.* 3. audit *Johan.* 10. solo illo canone incedit, *Gal.* 6. Fidem, vitámque ad eam confirmat, atque conformat.

XIII.

XIII. Finis *ſupremus Reformationis eſt gloria Dei*: *ſubalternus, ſalus Electorum.*

Canon. *Nihil reformatum eſt, quod non & gloria Dei, & ſalus noſtra, ut reformaretur, impensè poſtulârit. Gloria Dei* non ferebat duplex Dei verbum, ſcriptum, & non ſcriptum, è diametro oppoſitum: Non translationem cultûs ſui vel in imagines, vel ſanctos etiam, ſive Angelos, ſive homines defunctos: Non oralem & Eſſentialem corporis Chriſti glorioſi manducationem: Non duplex Eccleſiæ caput, cui unum dedit: Non plures Mediatores, quæ in uno acquieſcit: Non plures N. T. Pontifices propriè ſic dictos, quæ uni honorem illum deſtinavit. Sic nec *ſalus noſtra* permittit interdictum Bibliorum, negationem Linguæ vernaculæ in peragendis ſacris, nimium in confeſſione ſecretiſſimorum peccatorum rigorem, aut moroſitatem; ablationem poculi in legitimo Sacramenti uſu, condemnationem ἀβαπτίστων, perpetuam ἐποχὴν, & dubitationem de ſalute, idolum meriti, ſive ex congruo, ſive condigno.

XIV. Effecta *Varia ſunt, quæ commodè in* communia *diſtingui poſſunt,* & propria. *Communia* vocamus, quæ ad univerſam Rempubl. Chriſtianam pariter redundârunt. Ex *propriis* alia *Eccleſiam* concernunt; Puritas

nempe doctrinæ, rituum simplicitas, regiminis moderatio, &c. Alia *Scholas*; Studia Literarum, divinarum, & humanarum; Linguarum, & artium, quæ, ipsis fatentibus Pontificiis, ex Reformatione multum lucis acceperunt, & incrementi. *Reipublicæ* suus quoque restitutus est honor, & splendor. Quin & *Oeconomiæ* libertas rediit, & jus avitum divinis juxtà, atque humanis Legibus sancitum.

Canon. *Effecta Reformationis per se, à consequentibus ejus, & quæ sunt per Accidens, diligenter distinguantur.* Sunt, fateor, Reformatorum querelæ gravissimæ de contemtu verbi Dei, licentiâ, neglectu bonorum operum, &c. adeòque vita dissoluta, & moribus corruptis, quæ tamen Reformationi ipsi, ceu causæ, imputari per se non debent. Jam Apostolorum tempore erant, qui vixerunt ἀναξίως εὐαγγελίου. An verò ullâ Evangelii culpâ? Ægrotus profectò, postquam Medicus valetudini eum restituit, eidèmque diætam præscripsit, labefactarum virium molestiam non Medico, sed sibi imputabit, si neglecto Medici consilio, temerè, & solutis quasi habenis, ad pulsi morbi causas iterum festinet.

XV. Subjectum *Reformationis* remotum, & mediatum *sunt regiones per totum orbem dispersæ*

ſperſæ variæ: Proximum *Eccleſiæ, Scholæ, Reſpublicæ, Oeconomiæ.*

Canon. *Nullus propemodùm, in toto terrarum orbe angulus eſt, qui non aliquas ſaltem Evangelii, per Reformationem in candelabro altiſſimo poſiti, viderit ſtricturas.* Neque enim *Europam* tantum, ſed & *Aſiam*, & *Africam*, & *Americam* emergenti doctrinæ Evangelicæ hoſpitium præbuiſſe, alibi, ἐὰν θελήσῃ ὁ Θεὸς, diſtinctè monſtrabimus: ſingula ordine peragraturi Regna, Principatus, imò Civitates propemodum; demonſtraturi, quid, quando, & quomodo reformatum fuerit: quam ferè operam hactenus in Reformationis Hiſtoria deſideravimus.

XVI. *Adjuncta reſtant, quorum ratione Reformatio erat,*

1. *Neceſſaria.* Eam ex cauſa efficiente, materiali, & finali potiſſimum arceſſimus. 2. *Miraculoſa*: idque non uno nomine, ut diximus in Anal. P. 1. p. 3. *Succeſſiva.* Suos habuit gradus, non modò in *ſenſu compoſito*, ratione *totius* Reformationis; ſed etiam *diviſo*, reſpectu *ſingulorum* fermè locorum. 4. *Perfecta ad ſalutem:* Certum enim eſt, nullum dari articulum fidei fundamnntalem, qui per Reformationem ſalvus & incolumis non fuerit conſervatus. 5. *Gradibus varia.* Neque enim eadem ubique doctrina

puritas obtineri potuit. Et humanæ authoritatis illicium, & consuetudinis fascinum nonnunquam obstitit, quominus fermentum Pharisaicum ubique fuerit penitus expurgatum. 6. *Magis, vel minus constans.* Admoverunt multi manum aratro; sed mox retraxerunt. Polliciti sunt multi Christo obsequium; sed ubi vendere omnia, & ipsum sequi sunt jussi, tristes retrocesserunt. 7. *Methodica*: Plerisque saltem in locis. Ubi verò tergiversantium superiorum mora alia hinc inde avidæ plebi dictavit consilia, ibi locum habet illud Ecclesiæ Antiochenæ encomium, apud *Theodoret.* lib. 2. c. 24. Τοῦτο δὲ χάριν ὁ μὲν κλῆρος πλείους ἔχει τοὺς τῆς αἱρετικῆς λύμης μετειληχότας, ὁ δὲ λαὸς τὸ πλεῖστον τῶν ὀρθῶν ὑπερεμάχει δογμάτων, *Propterea Clerus plures habuit hæreticæ pravitatis participes; sed tamen maxima pars populi veram doctrinam sequebatur.* Et lib. 4. cap. 19. Τὸ πλῆθος ἐναντίον τροφὴν θεασάμενον, τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἀπέστη συλλόγων, *Populus cùm animadverteret doctrinam (orthodoxæ) contrariam proponi, cœtus Ecclesiasticos deseruit.* Nempe, corda sæpe Laicorum puriora sunt, quàm labia sacerdotum.

Canon. *Causæ tam notoriæ varietatis, circa Reformationis initia & progressus, variæ quoque sunt.* Mirantur multi, gravésque Theologi solici-


ſolicitè inquirunt, cur adeò rarum hodierno die ſit Papiſtarum reformandi ſive ſtudium, ſive exemplum; vel ſi quod ſuperſit, cur non magis ſerium, & conſtans deprehendatur? Varietatis hujus cauſæ ſunt in promptu. I. Ratione *Dei*. II. *Pontificiorum*. III. *Reformatorum*. IV. *Religionum* inter ſe comparatarum. I. *Dei* reſpectu opus Reformationis erat. 1. *Liberrimum*. Liberrimè igitur ille Spiritu ſuo ſpiravit quando, & ubi voluit, *Joh*. 3. v.8. 2. *Extraordinarium*. Ut ergò una tantùm erat ex Ægypto liberatio, cujus tamen μνημόσυνον anniverſarium Deus eſſe voluit: una tantùm N. T. Pentecoſte, quâ primus Chriſti adventus erat conſpicuus: ita unam etiam tantùm Deus eſſe voluit *Reformationem ſolennem*, Adventûs ſui præviam ſecundam Pentecoſten. II. *Pontificii* largifluum miſericordiæ Dei in Chriſto revelatæ fontem ſuâ obthurârunt ingratitudine. Liberaliter Deus gratiam Evangelii offert, rejectam verò invitis non obtrudit. Fimbrias Chriſtus gratiæ, & miſericordiæ ſuæ diu ſatis dilatavit, & extendit Hieroſolymitanis Civibus; nihil eorum, quæ ad vineæ ſuæ culturam pertinere poterant, iis negavit; ſed quia cum indignatione parere illi recusârunt, viſcera ille contraxit, vineámque ſuam aliis locavit

 colo-

colonis. Aliquot ante Reformationem Seculis omnium voce, & suffragio, emendatio fidei, & vitæ expectabatur; oblata verò nunc rejicitur, & conculcatur. Oculos etiam non modò ad ortum Solis myopes clauserunt; sed & ne deinceps vel mentio fieret Reformationis, omni nisu Romanæ Curiæ Proceres contenderunt: Propterea εἴασεν ὁ Θεὸς αὐτοὺς πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν. *Act.* 14. 16. Ut igitur Judæi; qui Apostolos tollere, quàm tolerare maluerunt Reformatores; preciosissimi thesauri Christi, & Evangelii ejus fecerunt jacturam: eadem ratione, illi, qui annunciato Evangelio hospitium præbere noluerunt, pœnas dederunt gravissimas. Præconibus eorum, cum Paulo, ad tempus in Macedoniam fuit secedendum. Hominum ergo ingratitudine fuit factum, & oblati Evangelii contemtu, ut Manna verbi Dei, cœlestis cibus, parciùs deinceps distribueretur. III. Ipsi insuper *Reformati* hujus varietatis culpam sustinent non postremam. 1. Non grati satis sunt Deo, pro tam ingenti beneficio. 2. Religionis ἀδιαφορίᾳ viam paulatim sternunt. Nam quia ipsi superiorum temporum calamitatem non sunt experti, eorundem non satis æstimant oppositam felicitatem. 3. Exemplo non semper suo, & vitâ Religionis

nis ἐξοχὴν testantur. Observatum est, plus ad Reformationem superioris Seculi contulisse, impiam Cleri vitam, quàm piam nonnunquam Antistitum doctrinam. Qui ad eundem jam ex nostris impingunt lapidem, nimiâ vitæ licentiâ peccant, optimæ causæ pessimè consulunt. IV. *Religionum* denique inter se comparatio accedit. *Pontificia Religio* carni & Mundo, at *Reformata* Spiritui magis est accommodata. Habet *illa* exemplum & patrocinium Potentissimorum, illecebras honorum, & divitiarum, aurium, & oculorum pabula: μετὰ πολλῆς φαντασίας, magna cum pompa incedit. At *Reformatæ Ecclesiæ* arma sunt preces, & lacrymæ: ornatus interior: Divitiæ paupertas: honores ignominia Christi crucifixi: Officium ministerium: Symbolum crucem (non auream, argenteam, vel ligneam; sed ferream, chalybeam) tollere, semetipsum abnegare, & Christum sequi: *Illius* arma carnalia sunt, *hujus* spiritualia. *Illa* magna in oculis Principum hujus seculi, *hæc* pupilla Domini Dominantium: *Illa* typho inflata, *hæc* humilis: *illa* Hierosolymis, Romæ; *hæc* Bethlehemi Regem suum quærit.

EPISTO-



JOH. HENRICI HOTTINGERI
Epiſtola
RESPONSORIA
ad
Virum Nobiliſsimum & Ampliſſimum
D. N. N.
de
ratione & modo conſcribendæ
Hiſtoriæ Reformationis.

B. *Reformatio perfecta, suísq; numeris absoluta nulla est, quæ scripto Dei Verbi examussim non convenit.* Ne nunc quidem adeò plerisque exosum est, neque fuit ante hac, Reformationis nomen, ut eliminatum prorsus, aut proscriptum illud vellent, vel Pontifices, vel Imperatores, vel Reges, vel Ecclesiæ, vel Academiæ. Τὸ ὅτι, *Reformandum* fuisse, nemo facilè fuit ausus negare: At ubi ad τὸ καθότι, *modum Reformationis* perventum erat, jam *alii* mirè illum extenuârunt, ne καυστικὰ adhiberentur. *Alii* laneam, & lineam laciniā veteri assuere voluerunt vesti; malè explicitū, & ad ἰδίας ὑποθέσεις detortum verbum Dei, & traditiones humanas: *Alii* de media cogitârunt religione, ex ferro, & luto compositâ: *Alii* mensuram vitiatam, pondus adulterinum, regulam curvam, & Lesbiam, traditiones, consuetudinem, rationem etiam humanam in hoc Sanctuarium inferre ausi fuerunt. Hinc formulæ Interimisticæ, consilia Henotica, mediæ religionis chimeræ. Nos eam demum Christianis dignam pronunciamus Reformationem, quæ vocem Christi ex mandato Patris, *Matth.* 3. audit *Johan.* 10. solo illo canone incedit, *Gal.* 6. Fidem, vitámque ad eam confirmat, atque conformat.

XIII.

XIII. Finis *supremus Reformationis est gloria Dei: subalternus, salus Electorum.*

Canon. *Nihil reformatum est, quod non & gloria Dei, & salus nostra, ut reformaretur, impensè postulârit. Gloria Dei* non ferebat duplex Dei verbum, scriptum, & non scriptum, è diametro oppositum: Non translationem cultûs sui vel in imagines, vel sanctos etiam, sive Angelos, sive homines defunctos: Non oralem & Essentialem corporis Christi gloriosi manducationem: Non duplex Ecclesiæ caput, cui unum dedit: Non plures Mediatores, quæ in uno acquiescit: Non plures N. T. Pontifices propriè sic dictos, quæ uni honorem illum destinavit. Sic nec *salus nostra* permittit interdictum Bibliorum, negationem Linguæ vernaculæ in peragendis sacris, nimium in confessione secretissimorum peccatorum rigorem, aut morositatem, ablationem poculi in legitimo Sacramenti usu, condemnationem *ἀβαπτίστων*, perpetuam *ἐποχὴν*, & dubitationem de salute, idolum meriti, sive ex congruo, sive condigno.

XIV. Effecta *Varia sunt, quæ commodè in* communia *distingui possunt,* & propria. *Communia* vocamus, quæ ad universam Rempubl. Christianam pariter redundârunt. Ex *propriis* alia *Ecclesiam* concernunt; Puritas

ſperſæ variæ: Proximum *Eccleſiæ, Scholæ, Reſpublicæ, Oeconomiæ.*

Canon. *Nullus propemodùm, in toto terrarum orbe angulus eſt, qui non aliquas ſaltem Evangelii, per Reformationem in candelabro altiſſimo poſiti, viderit ſtricturas.* Neque enim *Europam* tantum, ſed & *Aſiam*, & *Africam*, & *Americam* emergenti doctrinæ Evangelicæ hoſpitium præbuiſſe, alibi, ἐὰν θελήσῃ ὁ Θεὸς, diſtinctè monſtrabimus: ſingula ordine peragraturi Regna, Principatus, imò Civitates propemodum; demonſtraturi, quid, quando, & quomodo reformatum fuerit: quam ferè operam hactenus in Reformationis Hiſtoria deſideravimus.

XVI. *Adjuncta reſtant, quorum ratione Reformatio erat,*

1. *Neceſſaria.* Eam ex cauſa efficiente, materiali, & finali potiſſimum arceſſimus. 2. *Miraculoſa*: idque non uno nomine, ut diximus in Anal. P. 1. p. 3. *Succeſſiva.* Suos habuit gradus, non modò in *ſenſu compoſito*, ratione *totius* Reformationis; ſed etiam *diviſo*, reſpectu *ſingulorum* fermè locorum. 4. *Perfecta ad ſalutem:* Certum enim eſt, nullum dari articulum fidei fundamnntalem, qui per Reformationem ſalvus & incolumis non fuerit conſervatus. 5. *Gradibus varia.* Neque enim eadem ubique doctrina

puritas obtineri potuit. Et humanæ authoritatis illicium, & consuetudinis fascinum nonnunquam obstitit, quominus fermentum Pharisaicum ubique fuerit penitus expurgatum. 6. *Magis, vel minus constans.* Admoverunt multi manum aratro; sed mox retraxerunt. Polliciti sunt multi Christo obsequium; sed ubi vendere omnia, & ipsum sequi sunt jussi, tristes retrocesserunt. 7. *Methodica*: Plerisque saltem in locis. Ubi verò tergiversantium superiorum mora alia hinc inde avidæ plebi dictavit consilia, ibi locum habet illud Ecclesiæ Antiochenæ encomium, apud *Theodoret.* lib. 2. c. 24. Τούτου δὲ χάριν ὁ μὲν κλῆρος πλείους ἔχει τοὺς τῆς αἱρετικῆς λύμης μετειληχότας, ὁ δὲ λαὸς τὸ πλεῖστον τῶν ὀρθῶν ὑπερεμάχει δογμάτων, *Propterea Clerus plures habuit hæreticæ pravitatis participes; sed tamen maxima pars populi veram doctrinam sequebatur.* Et lib. 4. cap. 19. Τὸ πλῆθος ἐναντίον τροφὴν θεασάμενον, τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἀπέστη συλλόγων, *Populus cùm animadverteret doctrinam (orthodoxæ) contrariam proponi, cœtus Ecclesiasticos deseruit.* Nempe, corda sæpe Laicorum puriora sunt, quam labia sacerdotum.

Canon. *Causæ tam notoriæ varietatis, circa Reformationis initia & progressus, variæ quoque sunt.* Mirantur multi, gravésque Theologi solici-

ſolicitè inquirunt, cur adeò rarum hodierno die ſit Papiſtarum reformandi ſive ſtudium, ſive exemplum; vel ſi quod ſuperſit, cur non magis ſerium, & conſtans deprehendatur? Varietatis hujus cauſæ ſunt in promptu. I. Ratione *Dei*. II. *Pontificiorum*. III. *Reformatorum*. IV. *Religionum* inter ſe comparatarum. I. *Dei* reſpectu opus Reformationis erat. 1. *Liberrimum*. Liberrimè igitur ille Spiritu ſuo ſpiravit quando, & ubi voluit, *Joh.* 3. v.8. 2. *Extraordinarium*. Ut ergò una tantùm erat ex Ægypto liberatio, cujus tamen μνημόσυνον anniverſarium Deus eſſe voluit: una tantùm N. T. Pentecoſte, quâ primus Chriſti adventus erat conſpicuus: ita unam etiam tantùm Deus eſſe voluit *Reformationem ſolennem*, Adventûs ſui præviam ſecundam Pentecoſten. II. *Pontificii* largifluum miſericordiæ Dei in Chriſto revelatæ fontem ſuâ obthurârunt ingratitudine. Liberaliter Deus gratiam Evangelii offert, rejectam verò invitis non obtrudit. Fimbrias Chriſtus gratiæ, & miſericordiæ ſuæ diu ſatis dilatavit, & extendit Hieroſolymitanis Civibus; nihil eorum, quæ ad vineæ ſuæ culturam pertinere poterant, iis negavit; ſed quia cum indignatione parere illi recusârunt, viſcera ille contraxit, vineámque ſuam aliis locavit

colonis. Aliquot ante Reformationem Seculis omnium voce, & suffragio, emendatio fidei, & vitæ expectabatur; oblata verò nunc rejicitur, & conculcatur. Oculos etiam non modò ad ortum Solis myopes clauserunt; sed & ne deinceps vel mentio fieret Reformationis, omni nisu Romanæ Curiæ Proceres contenderunt: Propterea εἴασεν ὁ Θεὸς αὐτοὺς πορεύεσθαι τὰς ὁδοὺς αὐτῶν. *Act.* 14. 16. Ut igitur Judæi; qui Apostolos tollere, quàm tolerare maluerunt Reformatores; preciosissimi thesauri Christi, & Evangelii ejus fecerunt jacturam: eadem ratione, illi, qui annunciato Evangelio hospitium præbere noluerunt, pœnas dederunt gravissimas. Præconibus eorum, cum Paulo, ad tempus in Macedoniam fuit secedendum. Hominum ergo ingratitudine fuit factum, & oblati Evangelii contemtu, ut Manna verbi Dei, cœlestis cibus, parciùs deinceps distribueretur. III. Ipsi insuper *Reformati* hujus varietatis culpam sustinent non postremam. 1. Non grati satis sunt Deo, pro tam ingenti beneficio. 2. Religionis ἀδιαφορίᾳ viam paulatim sternunt. Nam quia ipsi superiorum temporum calamitatem non sunt experti, eorundem non satis æstimant oppositam felicitatem. 3. Exemplo non semper suo, & vitâ Religionis

nis ἐξοχὴν testantur. Observatum est, plus ad Reformationem superioris Seculi contulisse, impiam Cleri vitam, quàm piam nonnunquam Antistitum doctrinam. Qui ad eundem jam ex nostris impingunt lapidem, nimiâ vitæ licentiâ peccant, optimæ causæ pessimè consulunt. IV. *Religionum* denique inter se comparatio accedit. *Pontificia Religio* carni & Mundo, at *Reformata* Spiritui magis est accommodata. Habet *illa* exemplum & patrocinium Potentissimorum, illecebras honorum, & divitiarum, aurium, & oculorum pabula: μετὰ πολλῆς φαντασίας, magna cum pompa incedit. At *Reformatæ Ecclesiæ* arma sunt preces, & lacrymæ: ornatus interior: Divitiæ paupertas: honores ignominia Christi crucifixi: Officium ministerium: Symbolum crucem (non auream, argenteam, vel ligneam; sed ferream, chalybeam) tollere, semetipsum abnegare, & Christum sequi: *Illius* arma carnalia sunt, *hujus* spiritualia. *Illa* magna in oculis Principum hujus seculi, *hæc* pupilla Domini Dominantium: *Illa* typho inflata, *hæc* humilis: *illa* Hierosolymis, Romæ; *hæc* Bethlehemi Regem suum quærit.

EPISTO-



JOH. HENRICI HOTTINGERI
Epiſtola
RESPONSORIA
ad
Virum Nobiliſsimum & Ampliſſimum
D. N. N.
de
ratione & modo conſcribendæ
Hiſtoriæ Reformationis.

Nobilißime & Amplißime Vir,

ET Tu me; non Sisiphi quidem, labore inutili sursum ac deorsum agitatum; sed grave illud, musco circumlitum, gradúque fere intemeratum, prolixioris paulò & absolutioris Historiæ Reformationis volvere vis saxum? A me expectare audeas אבן גלל *lapidem pretiosum*; de quo *Esra*.5.v.8: *Lapidem devolutionis*, quod nonnulli volunt, quem præ pondere & gravitate volvi necesse est; כאפא רורבתא *lapides magnos*, ut Syrus vertit, vel, ut Arabs mavult, חגארה מכתארה *lapides electos: candens solidúmque marmor*, prout, ante Pagninum, Aben Esræ, R. Solomoni; Eliæ Levitæ vocem obscuram καὶ ἅπαξ λεγομένην transferre placuit? Quid enim vel utilitatis, vel jucunditatis solidissimum in Templo Hierosolymitano præbuit marmor, quod accura-

curatum & exactum rerum, superiori seculo gestarum, scrutinium in Æde Christi non polliceatur, & præsenti & futuræ ætati? Si *Dionysius Halicarnassens*; Scriptor, omnium confessione, gravissimus, & in Romanis Antiquitatibus pervestigandis describendisque accuratissimus; Historicis hanc potissimùm commendat legem, *ut argumenta eligant præclara & magnifica, & quæ magnam utilitatem Lectoribus afferant: deinde cum magna diligentia & industria idonea subsidia ad argumentum scribendum parent*, l. 1. quis sibi sit Suffenus, ut blandiri sibi velit, & ad aliud opus χερσὶν ἀνίπτοις accedere, quódque non totũ tantùm requirit hominem, sed & apparatum rei librariæ instructissimum, anhelare ausit eminus? Et tamen; Tu publico aliquid de me polliceri ausis? Cur enim vel posteris invideam, Te & elegantissimæ Tuæ manus monumentum, & amicum, ut prosequerer institutum, celeusma apud me extare voluisse, perenne con-

 versa-

verſationis noſtræ teſtimonium. *Studia tua* (fortè bona cum venia, Tua mihi repetere licebit verba, mea nunquam futura, niſi ore alieno prolata) *nobis cordi ſunt, quia orbi Chriſtiano, non Helvetiæ tantùm operantur. Nobis certè ſalivam movent, quæ de Reformationis Hiſtoria nuper polliceri dignatus es. Omnes hic in ſpem tanti operis erecti non poſſumus, quin Tibi de tam præclaro inſtituto gratulemur, cùm Te uno, cui hic cothurnus adaptari poſſit, hoc ſeculo, ab omnibus rebus inſtructiorem, ἀμήχανον ſit invenire quenquam.* Et cùm blandæ amicorum compellationes, liberalioráque eruditorum encomia, non quales ſimus; ſed quales, ex eorundem voto & æſtimio, eſſe deberemus, aurem vellicent; modeſtè feram quod meum non eſt, ſed Tuum, de qualibuscunque meis conatibus, judicium. Comune cum multis, ingens promis & exprimis deſiderium, ut captivum tandem noſtrum liberem, Reformationémque tum ordine, tum pollicitis pridè publico debitam,

reli-

reliquis Historiæ Ecclesiasticæ partibus annectam; illud verô amoris Tui singularis est, quòd majora Tibi de me pollicearis, quàm vel humeri mei ferant, vel ab uno, cæteroquin non planè otioso, expectari possint, pensa. Liberè enim dicam, tum reliqua studia seria, seræ posteritati consultura, curas suas habere, onera, pericula etiam, imò aculeos, rigidioris, & tetricæ nimis censuræ; tum verò Historica maximè. *Difficilis investigatu res est* (inquit in Pericle *Plutarchus*, Scriptor ille, de quo *Theodoretus Gaza* fertur rogatus: Si necesse foret libros in mare dare præcipites, quem postremò esset demersurus? respondisse: *Plutarchum*) *res est Historia vera, cùm posterioribus præteritum tempus cognitionem rerum præripiat: qui verò æquales sunt ejus, cujus vitam aut acta describunt, eì partim invidia odióque, partim gratificandi studio & adulatione corrupti veritati officiunt.* Et *Sallust.* de Conjurat. Catil. *Et qui fecere, & qui facta aliorum*

scripsere multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haud quaquam par gloria sequatur scriptorem & actorem rerum, tamen inprimis arduum videtur, res gestas scribere. Primùm, quòd facta dictis sunt exæquanda: dehinc, quia plerique, quæ delicta reprehenderis, malevolentiâ & invidiâ dicta putant: ubi de magna virtute atque gloriâ bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit; supra ea, veluti ficta pro falsis ducit. Si jam olim illi, quibus ad conscribendas Historias nihil defuisse videtur, veluti Ætna gravius, alijs dissuaserunt onus, quid nobis ultima hac mundi senecta, ubi in deterius omnia vergunt, præmij sperandum? Etenim, si præteritarum rerum gestarum revocaveris memoriam, aut tuta bonorum authorum triumphandum fide, aut propriæ famæ metuenda jactura. Negligas, unde Tua necessariò mutuanda, authores? Ipse vix authoritatem in cæteris, quibus per ætatis annos nec interfuisti, nec præfuisti, mereberis

beris. Addas? inconditum rhapsodum morosiores clamabunt. Ubi ad præsentia Te converteris, equum ales, qui, ubi illi suffarcinaveris stomachum & ventrem, ingratissimo te pede calcitrabit. *Rara enim temporum ea est felicitas, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias docere licet*, acutè, ut solet, monuit *Tacitus*, Histor.l.1. Profanis nimium delectaris? Pium & devotum, temporísque parcum terrebis; neque, nisi curiosum, facilem habebis aut propitium sive lectorem, sive æstimatorem. Præcipites, & *ἐκ προχείρου* effundas, prout scripturientium hoc ævo effrænata quædam libido chartas comaculandi ubique dominatur? Effæta, arida, jejuna, cruda extrudes. Nonum premas in annum? Convitium audies: *parturiunt montes, nascetur ridiculus mus*. Sacra tractes? vel ad vestibulum illi, quorum scenæ non inservis, caperabunt frontem. Sed & domestici, ne omnibus placeas, aut partium studium exprobrabunt, aut aliam ali-

quam inurent maculam. Verbo, ut nec rosa sine spina, nec aurum sine scoria, nec vinum sine fæcibus; ita neque Historiarum ambrosia & nectar, sine malevolorum felle, aut nigro loliginis succo. Quòd si hoc fatum Historiarum omnino fuerit omnium: si fæcunda hæc arbor fructum ferat γλυκύπικρον, quam molestiam (cætera enim vel distorti judicij, vel ingrati seculi, vel Theonini dentis, vel lividi oculi præmia tacebo) illam comitari existimes, quæ ut dignitate prima esse debet; ita inquisitione est operosissima, dispositione fusissima, judiciorum varietate maximè flagellanda? qualis quidem, quæ Reformationis incunabula, progressum, impedimenta, &c. pandit, hactenus mihi visa fuit. *Conscribitur Historia* (verba sunt *Thucydidis*) *ut sit thesaurus ad omnem posteritatem, quàm ludicrum quoddam, quo ad præsens tantùm tempus aures demulceantur.* Mereatur hoc elogium alia quæcunque Historia; illi tamen, quos meditamur

tamur Añales, multis, ad obtinendum brabeum, in hoc studio, præcurrent parasangis. Nam & boni Viri, & laudati Historici faciet officium, qui, ut thesaurum colligat, ad omnem posteritatem, Historiam dabit *certam*, *plenam*, *Methodicam*, *à partium studio alienam*. Quæ quidem omnia, cum non ex prima fronte; sed interioribus æstimari debeant recessibus, ordine excutiemus.

Historia Reformationis sit 1. Certa.

Primum ergo Historiæ Ecclesiasticæ axioma sit *certitudo*, cui veluti fundamento tota reliqua structura innititur: Ut in Templo Hierosolymitano duæ columnæ *Jachin* & *Boaz*, à *soliditate* & *firmitate* sua obtinuerunt nomina; ita nulla ædificij Historici erit superstructio solida, nisi à dextra habeat *Jachin*, à sinistra *Boaz*. Tutiùs enim calamus non arripitur, quàm arreptus cum dedecore & mendacij probro abijcitur. Veritatis hoc elogium Veteres scriptores seriò suis semper, & de optima nota comendârunt. *Veritatis &*

quam inurent maculam. Verbo, ut nec rosa sine spina, nec aurum sine scoria, nec vinum sine fæcibus; ita neque Historiarum ambrosia & nectar, sine malevolorum felle, aut nigro loliginis succo. Quòd si hoc fatum Historiarum omnino fuerit omnium: si fæcunda hæc arbor fructum ferat γλυκύπικρον, quam molestiam (cætera enim vel distorti judicij, vel ingrati seculi, vel Theonini dentis, vel lividi oculi præmia tacebo) illam comitari existimes, quæ ut dignitate prima esse debet; ita inquisitione est operosissima, dispositione fusissima, judiciorum varietate maximè flagellanda? qualis quidem, quæ Reformationis incunabula, progressum, impedimenta, &c. pandit, hactenus mihi visa fuit. *Conscribitur Historia* (verba sunt *Thucydidis*) *ut sit thesaurus ad omnem posteritatem, quàm ludicrum quoddam, quo ad præsens tantùm tempus aures demulceantur.* Mereatur hoc elogium alia quæcunque Historia; illi tamen, quos meditamur

tamur Añales, multis, ad obtinendum brabeum, in hoc ſtudio, præcurrent paraſangis. Nam & boni Viri, & laudati Hiſtorici faciet officium, qui, ut theſaurum colligat, ad omnem poſteritatem, Hiſtoriam dabit *certam*, *plenam*, *Methodicam*, *à partium ſtudio alienam*. Quæ quidem omnia, cum non ex prima fronte; ſed interioribus æſtimari debeant receſſibus, ordine excutiemus.

Hiſtoria Reformationis ſit 1. Certa.

Primum ergo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ axioma ſit *certitudo*, cui veluti fundamento tota reliqua ſtructura innititur: Ut in Templo Hieroſolymitano duæ columnæ *Jachin* & *Boaz*, à *ſoliditate* & *firmitate* ſua obtinuerunt nomina; ita nulla ædificij Hiſtorici erit ſuperſtructio ſolida, niſi à dextra habeat *Jachin*, à ſiniſtra *Boaz*. Tutiùs enim calamus non arripitur, quàm arreptus cum dedecore & mendacij probro abijcitur. Veritatis hoc elogium Veteres ſcriptores ſeriò ſuis ſemper, & de optima nota comendârunt. *Veritatis &*

 aqui-

æquitatis studium, præcipuum esse debet omnis Historiæ scopus, inquit, *Halicarnass.* l.1. Et *Polybius* prudens scriptor, si quis alius, Histor.lib.12. *Quemadmodum regula, etiam si longitudine major, & latitudine humilior sit; si tamen id habeat, quod regulæ proprium est, regula vocatur: si verò ad rectitudinem & proprium regulæ non accesserit, omnia potius, quàm regula vocari debet; ita & commentarij Historiographorum, etiamsi vel vocculis quibusdam, vel stylo, vel alia re quapiam ab ijs partibus, quæ ipsis sunt propria, aberraverint, si veritatem retinuerint, nomen Historiæ recipiunt: si verò à veritate defecerint, non sunt ampliùs Historiæ nomine vocandi. Ego verò, quòd hujusmodi commentarij veraces censeri debeant, fateor, & alicubi dixi, quòd, sicuti corpus animatum, si ossa sint exemta, totum redditur inutile; ita & Historia, si veritatem illi abstuleris, quod reliquum est, inanis redditur narratio.* Omnium hoc Historiarum; Sacrarum cumprimis & Ecclesiasticarum; fundamentum esse debet. Nam, si uspiam alibi

libi, hic certè locum habet illud Hebræorum; בראי אבם וראי לא כראי *Mendaci ne vera quidem dicenti adhibetur fides.* Primum autem stabiliendæ fidei columen est αὐτοψία. Ut certitudinem veteres exploratiùs haberent perspectam, magnum profectò multi & auri & temporis fecerunt impendium. Inter Græcos, Latinos, Arabes, Persas non paucos reperias, qui, ut vel certiores scriberent Historias, vel exactiores exhiberent tabulas chorographicas, vel inficetas Judæorum colligerent & rancidas traditiunculas, aniles superstitiosorum Græcorum fabulas, non periculosa minùs, quàm sumtuosa susceperunt itinera. Triginta annos *Diodorus Siculus*, ut de se fatetur author, *Historiæ suæ scribendæ impendit*, varijs interim regionibus discendi gratiâ peragratis, periculísque, ut fit, obitis & superatis. *Polybius* eorum temporum res gestas consignandas sibi proposuit, quibus & cæpisse, & consumata fuisse traduntur Imperij Romani incrementa:

Subsidia certitudinis

I. Αὐτοψία.

ta: Quod ut feliciùs ac certiùs effe-
ctum daret, itinera quoque longinqua,
& pericula haud mediocria suscepit
in peragrandis Africa, Hispanijs, Gal-
lijs, ipsisque alpibus: inde Historiam
suam composuit universalem, anno-
rum quinquaginta trium. *Aristoteles*, ut
de animalium natura certiùs scriberet
& accuratiùs, Alexandri M. juvandus
erat libertate, ijs undique conquisitis
subsidijs, quæ opus elaboratum redde-
re poterant, & exasciatum. Quid *A-
bulfeda*, Syrorum Dynasta, idémque
Geographus excellentissimus non ten-
tavit, ut Historiam Judaicam vel sum-
mis degustaret labris? Et quo vel pre-
tio redimendum, vel qua prece optan-
dum esset, ut ne frigidiores essemus
veritatis investigatores! Metuendum
profectò, ne Judæi aliquando & Mu-
hammedani, superstitionum suarum ob-
servantiores, plagas nobis de volunta-
te Domini tam diu monitis augeant.
De *Ibn-Magha*, celeberrimus Arabum
Encomiastes & Prosopographus Ibn-
Chali-

Chalican; qui anno Hegiræ 604. vixit, refert, quòd fuerit אלחאפט אלמשהור מצנף כתאב אלסנן פי אלחדית כאן אמאמא עארפא בעלומה וגמיע מא יתעלק בה וארתחל אליאלעראק ואלבצרה ואלכופה ובעדאד ומכה ואלשאם ומצר ולרי לכתב אלחדית *Custos* (officium publicum inter Muſelmannos erat) *celebris; author libri ſuna, ſive Legum* ἀγράφων, *in quibus veluti Antiſtes excelluerit, omnibúsque ijs, quæ inde dependebant. Iter autem feciſſe (ſcribit idem) Irakum, Bazoram, Cufam, Bagdadum, Meccam, in Syriam, AEgyptum, ut authoritatem conciliaret ſuis Traditionibus.* Ita filij tenebrarum. Ut Ægyptiacis indormiant tenebris, in Ægyptum concedunt; nos nè domi quidem lucis appetimus! Certè, ſi naturalis animalium Hiſtoria, ſi ſtudium Geographicum; ſi cæteræ literæ politiores vel Mæcenatem depoſcunt, vel αὐτοψίας dignæ ſunt experimento; quid Reformationis Hiſtoriæ, ut certitudinis palmam alijs etiam præripiat, nos non debere exiſtimamus?

Si

Si pauciorum vel ſeptimanarum, vel menſium moleſtiâ, portentoſum incertitudinis expugnari poſſet monſtrum, quis eam vel ſubterfugeret, vel declinaret? *Si enim* (quod in profanis requirit *Polybius* l. 4.) *conandum eſt in Hiſtoriјs, ut Auditori ad faciendam fidem ſatisfiat*; quid in Eccleſiaſticis intentatum relinquendum eſt, ut ne vel aſſertionis periclitetur fides, vel Aſſertoris authoritas? Sed ſatis de hoc *primo αὐτοψίας* ſubſidio; *Alterum* ſequitur, *publica Eccleſiarum acta.* Magnâ fiduciâ *Livius*, Latinæ princeps Hiſtoriæ, Eloquentiæ ac fidei præclarus cumprimis; quod ei elogium tributum à *Cremutio Cordo* apud Tacitum; prolixius confirmat *Quintilianus*; *Ego nihil*, inquit, *hauſtum ex vano velim, quo nimis inclinant fermè ſcribentium animi*, Decad. 3. lib. 2. Quantò majori allaborandum ſtudio, ut qui πνευματικὰ tractamus, pugnemus pro palma, & in Eccleſiaſticis longum valere jubeamus, quicquid vel vanum eſt, vel ſubleſtum? Id verò præ-

2. *Acta publica.*

præſtare cōmodè vix poterimus, niſi publicos audiamus teſtes. Ad publica ergò liberrimus, Hiſtorico Eccleſiaſtico patere debet aditus, nî fumum vendere velit; & ἀντὶ θησαυρῶν ἄνθρακας. Euſebium, Martyrum Hiſtorias ex Eccleſiarum archivis, Notariorúmque ſcrinijs tabulíſque contexuiſſe, eruditi obſervârunt. Hanc ſuperiori ſeculo adire feliciter licuit Corinthum Johanni Sleidano, ſcriptori gravi & terſo, de quo notum ſatis eſt ipſius Caroli V. judicium. Sed & Venerabilis *Beza*, in Iconibus, paucis verbis multa commentariorum Scriptori largitur. *AEternum illius laborum teſtimonium eſt Hiſtoria illa de Reipublica & Religionis in Germania ſtatu diligentiſſimè 25. libris veriſſimè ſimul & elegantiſſimè perſcripta.* Hinc & Hiſtoriæ Concilij Tridentini P. Pauli Scarpij, ordinis Servorum, magna conciliata authoritas. Cùm enim ex libellis memorialibus; cōmentaríjsque Legatorum, ex Principum & Rerumpublicarum Epiſtolis, alíjsque ſcri-

ſcriptis; à Præſulibus, Theologis, Legatíſque ipſis, qui eidem conventui interfuere, diligenter adſervatis, tanto labore, tantáque accuratione, ſtudio & fide, ſit concinnata, illud (judice D. *Nath. Breat.* Eq. Aurat. Colleg. Mertonens. præfecto, qui princeps illud pretioſiſſimum κειμήλιον maximo Eccleſię bono, in oras Hibernicas intulit, & publica luce donavit) obtinuit, ut *omnes in eo genere Hiſtorias ſive veteres ſive recentiores facile provocare poſſit, habeatur.* Hinc etiam eſt, quod Cominæi Hiſtoria Ludovici Galliarum Regis, tot ubíque eruditorum celebretur elogijs. *Nihil enim ſe dicturum alienum à vero, nihil quod vel ipſe non vidiſſet, vel ab hominibus fide digniſſimis non accepiſſet,* l. 8. in ſe recepit. Hoc contrà fundamento deſtitutus, qui ædificium parat, ruinæ proximus eſt, arenæ, non petræ innixus; id quod ingenioſè notatum à celebri Alexandrinorum Annaliſta, *Batricide*, cujus nuper Hiſtoriam Arabicam cum verſione Latina Europæis

fecit

fecit ἐυπόριστον *Eduardus Pococius*, Vir, ex Orientalium Linguarum cultura, univerſo literatorum orbi, Tibi cumprimis notiſſimus. Volupe fortè fuerit, hunc etiam Arabem cæteris interfari, ſive Græcis, ſive Latinis Hiſtoriarum vindicibus: *Quicunque* (ita Patriarcha Alexandrinus) *non habuerit notitiam fundamenti alicujus ſcientiæ, de qua ſermonem inſtituere velit, ut inde deducat, quas ipſi viſum fuerit conſequentias, quarum etiam cognitioni cùm ſit propago ejusdem ſcientia, non ſubeſt aliud aliquod fundamentum ad quod ſubinde recurratur, erunt ſermo & ratio concludendi ipſius vana & futilis, labórque & ſtudium ei rei impenſum fruſtranea & ridicula. Parabola autem, quam edidit Dominus & Servator noſter in Evangelio ſuo ſancto dicens*: Si quis domum ſuam ſuper arenam ſtruxerit, vel tenuiſſimus ventus pertranſiens ipſam dejiciet, & minimus aquæ torrens ipſam diruet. Quòd ſi eam ſuper petram ædificaverit, neque à ventis dejici, neque à torrente ſubverti

 pote-

poterit. *Regula est & exemplum intelligenti. Quisquis enim locutus fuerit de aliqua scientia sine fundamento, ad quod respiciat, cujque innitatur, subitò in cassum cedet, & quàm citiſsimè deficiet, instar ædificantis domum suam super arenam; at si quis de scientia aliquâ, percognito prius ipsius fundamento, loquatur, futurus est sermo ipsius verus, perspicuus, firmus, quoniam locutus est substrato fundamento, quod respiciat, cuíque innitatur*, ut cùm quis domum suam petræ superstruxerit. *Porrò in hanc sententiam multa dixerunt Plato & Aristoteles in libris Dialecticis, alijsque, de fundamentis scientiarum earúmque definitionibus, & Arithmeticis fundamentis ac definitionibus; & quam rationem tenere debeat studiosus, cùm peritiam cujusvis tandem scientiæ acquirere velit, fusè, quæ huc spectant, explicantes & exponentes, quæ, non opus est nobis (ne longior evadat liber iste noster)* repetere. Cùm autem, his in præfatione libri mei præmiſsis, dixerim oportere quemlibet, qui loqui velit,

lit, de cognitione alicujus ſcientiæ, ejusdem fundamenta callere, cùm, in quam, hæc ita ſe habeant, neceſſe eſt, ut ſubſternamus ei, quod poſtulâſti fundamentum ad quod recurratur, cuíque innitaris. Manifeſtò certè & plurimùm inter ſe diſcrepant homines in Hiſtoria, quod autem mihi hac in re, poſt diſquiſitionem longam, & laborem multum, compertum eſt, illud eſt, quòd, ex ijs, quæ in Lege, cæterísque indubitatæ fidei libris exhibitum, explicatione juſta & ſufficienti explicaturus ſum, adjunctis ei narrationibus ſuccinctis, compendioſis, quo ſit tibi liber iſte meus per ſe ſufficiens, faciátque, ne opus ad quemvis alium, rei alicujus in Hiſtoria cognoſcendæ gratiæ recurrere. Hæc Ibn Batrik pag. 8. Annal. I. Alex. Ita eruditè Annalium Scriptor, de ardua provincia cum laude adminiſtranda; in qua tamen ipſum aliquando dormitâſſe, alibi diximus.

Etſi verò privati hominis non ſit, ea

ſemper habere in promtu , quæ publico debent inſervire ; privatas tamen eruditorum Bibliothecas multum hîc poſſe , fideliterque heroico conatui ancillari , cur vel ampliùs dubitemus ? Nuper admodùm à me, ut tot hinc inde in ſcrinijs privatis crederem latere virorum magnorum monumenta, quæ ſuperioris ſeculi Hiſtoriæ majorem , quàm alia quæcunque, afferunt lucem ; vix impetrâſſem, niſi Epiſtolæ magno numero vel amicorum indicio oſtenſæ , vel benevolentiâ eorundem oblatæ, fidem luculenter feciſſent. Mirari meritò ſubiret,unde factum ; ut tam diu cùm blattis & tineis doctiſſimorum virorum manus pugnarent, neque citiùs in lucem protraherentur , niſi fato hoc, quicquid ad literas pertinet , urgeri, flagellaríque, triſtis omnium temporum probaret experientia. Et certè ita res noſtræ comparatæ ſunt, ut præſentes vel ſordeant, vel contemnantur ; præteritæ afficiant, & in admiratio-

tio-

tionem rapiant. Ea, tum exorbitantis naturæ prodigia, tum crudelia ubique & funesta domi, forísque bella Civilia, & Theologica, varias denique circa religionem mutationes, intra aliquot vivendo attigimus lustra, ipsi rerum gestarum vel actores vel spectatores, quæ posteritatem faciliùs miraturam, quàm credituram sine negotio prævidemus: Et tamen quotusquisque est, qui ad animum illa, ut merentur, revocet? Posteri fortè, majori suo compendio, illa sibi εἰς τύπον data esse & relicta agnoscent, quàm superstites ad emendationem. Atque hæc potissimùm causa est, quòd viri docti, & de Republica Christiana præclarè meriti, cùm sagacius, ὡς δὶς ὁρῶντες, perspicerent, imò tantum non præsagirent, hunc aliquando defectum Ecclesiæ Christianæ fraudi maximæ futurum, pro liberandis tot captivis, virorum seculi superioris magnorum Epistolis, tam strenuè laborârint. Quid (ut de reliquis, quorum honori-

ficam nuper in *Bibliothecario nostro* pag.110. &c. fecimus mentionem, nihil jam addamus) Amplissimo *Camerario*, Venerando & Celeberrimo, hoc solo nomine, literæ debeant *Sculteto*, publica utriusque palàm faciunt scripta. Nam ut *ille* Melanchthonem; ita *hic* plurimos insignes Doctores διὰ μέλανος nobiscum & amicè, & graviter confabulantes vindicavit. Quo loco meritissimus Ecclesiæ nostræ Antistes, *Joh. Jacobus Breitingerus*, Archivum fecerit Ecclesiasticum, ex gravi, quam primo Tomo ad Successores præfixit, patet parænesi. Causam, ante omnia, cur publicum Ecclesiæ nostræ reformatæ ἀρχεῖον non extaret, indicat, quòd Bullingeri, Gualtheri, gloriosissimorum virorum filij, generi, reliquique hæredes ferè omnes, aut Ecclesiæ Ministri, aut literati saltem fuerint, qui proinde Patrum suorum scripta & acta, veluti supellectilis librariæ, hæreditatísque non minimam partem, jure ad se pertinere putaverint.

rint. Sed ut ne per incuriam tot tandem naufragium faceret Ecclesia nostra κειμηλίων, magno illa undique studio, labore, & sumtu, disjecta & dissipata, collegit, jámque suò tempore plura, quàm vel creditu esset facile, ad portum securitatis deduxit. Quæ quidem nova archiva, fide & diligentia, quanta fieri potuit maxima, à se restaurata, successoribus de optima nota comendavit; quorum usum, cùm prolixè non liceret, breviter & succinctè nuper ostendimus in *Bibliothecario nostro*. Crevit ab eo tempore idem ille thesaurus Epistolicus imane quantum, & quæ vel per contemtum antea neglecta, vel ignorantiam distracta fuere, ad Dominos paulatim suos redire, æquósque res illæ æstimatores habere cæperunt, non absque spe, feros aliquando, si quos supremum Numen dederit, nepotes monumenta illa, veluti singulare, providentiæ divinæ beneficium, cum reverentia excepturos, debitáque gratiarum

actione admiſſuros atque conſervaturos eſſe. Et utinam, quæ hinc inde deſertæ & abjectæ deliteſcunt ſanctæ ſanctorum reliquiæ; Reformatorum, Theologorúmque præclarorum ſcripta ἀνέκδοτα, ea præſertim, quæ ſcopo præſenti inſerviunt; publico non ampliùs inviderentur! Meo didici exemplo, conatum juvare ſucceſſui, μικρὸν μικρῷ ἐπιτιθὲν, in cumulum tandem aſſurgere ingentem. Alios enim, in progreſſu operis, de incrementis addo, & multiplici Archivi noſtri judicare malim uſu, quàm, narratione curſoria Lectori ſitim excitare, non reſtinguere. Hic enim, ſi alibi, maximè πολυθρύλλητον illud locum habet: *Dulciùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ.* Id limpidiſſimum, quod origini proximum; limoſum vel inſulſum, quod ex remotioribus ſorbendum rivulis. Valde doctis arridet, *Sculteti* Polyhiſtoris, de Hiſtoria *Euſebij*, judicium. *Qui*, inquit, *Eccleſiæ Hiſtoriam continent libri, luculenter demonſtrant, Hiſtoriam veteris*

veteris Ecclesiæ illam demum esse veram, quæ ex germanis Patrum Orthodoxorum libris est petita: quam enim diu Justinum, Irenæum, Origenem, Tertullianum, Cyprianum, Clementem Alexandrinum, aliósque probatæ fidei Patres in Historia sua sequitur Eusebius, Historicum agit fide dignum; sed simul atque ad traditiones, & non ad scripta, sed audita provocat; fabulosa multa miscet. Quòd si primâ, adeóque aureâ hæc clades, nocuit ætate; quid hac ultima, planéque ferrea Mundi senecta, ubi, κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν, *prurientes auribus*; quique quæ facta vellent, somniant; nisi monumentorum αὐτογράφων solidum accedat robur; sperandum supererit? Quibus optandum esset votis, ut non minùs in veris, verè sanctorum, vindicandis, & ad Ecclesiæ ædificium congerendis ferveremus manuum operibus, quàm alij in incertis, obscuris, non rarò per impostores ad cultum obtrusis earundem, vel aliorum etiam membrorum reliquijs? Et quia singula omnes non

 juvant,

jurant, omnia tamen singulis prodesse possunt; non molestè cuiquam ferenda absentia unius alteriùsve pagellæ, quæ unitatis inservire potest usibus. Spontanea ad hoc tabernaculum munera non necessaria minus sunt, laude etiam atque æternitate digna, quàm quæ Mosaico olim destinata fuisse in sacris literis legimus. Cui bono, si vel caput habeas, vel ventrem, calcem aut caudam alij?

II. *plena.* Sit deinde Reformationis Historia *plena.* Non sufficit, obiter & chronologicè modò ad añum Reformationis nos intendisse digitum; quamvis & hîc impingere, sit aberrare à limine: neq; etiam cursoria rei gestæ recitatione defungi; omnium, quoad fieri potest, momentorum, occasionum causarum, circumstantiarum instituendum est scrutinium, quo sine hiulca est Historia, & vitiosè manca. *In omni enim rerum gestarum narratione* (verba repeto ex *Diodor. Sicul.* Antiq. lib. 16.) *illud scribentis videtur esse officium, ut libris singu-*

singulis civitatum aut Regum facta integra ab initio ad finem usque comprehendat; quòd ita præcipuè narratæ res fideliori memoria retineantur & aptiores fiant ad cognoscendum. Quæ enim interrupta finem principio continuum non habent, ea intentionem & studium legentium abrumpunt: Quæ verò continenter ad exitum deducuntur, absoluta utique rerum ipsarum utuntur declaratione. Et *lib. 12. Historiæ primum studium primariaque consideratio esse videtur insoliti gravísque casus principio causas investigare.* Cui convenit non minus gravis Scriptor *Polybius* lib. 3. *Ego quidem ita censeo, scriptores Historiarum, eósque qui in earum lectione versantur, non tam res gestas, quàm quid eas sequatur, atque antecedat animadvertere oportere. Nam si quis ex Historia tollat, quid, quomodo, cujus gratia actum sit, quis finis fuerit, quod supererit, veluti contentio quædam, & non doctrina videbitur: in præsentia quidem jucunditatis fortasse aliquid, in posterum verò nullam prorsus ad vitam humanam utilitatem*

tatem adferens. Et Thucydid. lib. 1. Historiæ lectores non satis capiunt utilitatis, si ipsum solum rerum exitum audiant. Nam unus quisque vult ipsas etiam rerum causas quærere & modos, quibus res peracta sit, & mentem eorum, qui rem peregerunt, & varios fortunæ casus: denique nullas rerum circumstantias præterire; sed omnes audire cupit. Hanc in profanis flagitent ζυνάφιον authores, & nos sacris illam denegemus, aut Ecclesiasticis, ubi minutissimæ circumstantiæ suam habent ῥοπὴν atque momentum? *Scopus enim Historia est* (ita eruditissimus Anglorum Historicus *Degoreus VVhear* in Antelog. relect. hyemal. pag. 20. loquitur) *ut memoria rerum singularium conservetur, nec non, ut ex singularibus præcepta universalia eliciantur & conserventur.* Hanc metam ut feliciter attingamus non utique proletaria, & confusa; sed exquisita & distincta singulorum esse debet rerum gestarum in Ecclesia notitia. Nôsti, Nobilissime,

me Vir, in omnium ore esse famosum dicam, an fumosum? & infaustum *Indulgentiarum* mercaturæ nomen. Hinc enim pigere & pœnitere Majores nostros Romanæ comunionis primùm cæpit. Sed quotus quisque est, qui, ut vel indignitatem facti pro merito ostenderet, vel necessitatem subsequentis inde secessus defenderet, de ipsis multum solicitus fuerit, tabulis authenticis; vel, ut scapham appellemus scapham, fabulis üdenticis? Et tamen illas vel propter Sophistas, qui impiè extrusam illam mercem extenuant, vidisse non parùm refert. Vix enim posteritas fidem esset adhibitura, adeò nonnullos perfricuisse frontem, ut cælum & Christum, cujus tamen pretium redemtionis nec aurum est nec argentum, sed sanguis pretiosus, ære venderent, nisi mortuorum suffragia scrupulum eximerent. Ubi ad ipsos deventum fuerit *Reformatores*, quàm copiosa ubique comodorum messis? Profanos authores

res in contexendis Annalibus id potissimum intendisse, ut virorum, Historiâ dignorum; exempla, vel ad fugam vitij, vel imitationem virtutis, vel admirationem rerum supra comunem humanæ infirmitatis sortem gestarum proponerent; extra controversiæ aleam positum est. Ita enim lactea Titi Livij verba in præfat. ad Historiam habent: *Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum. omnis Te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde Tibi tuæque Reipublicæ, quod imitere capias: inde fœdum incaptu, fœdum exitu, quod vites.* Et Jul. Capitol. in Gordianis: *Ea debent poni in Historia ab Historiographis, quæ aut fugienda sunt, aut sequenda.* Imò *præcipuum esse Annalium munus*, celeberrimus Annalium Scriptor, Tacitus lib. 3. fuit ratus, *ne virtutes sileantur, ut q. pravis dictis, factísque ex posteritate & infamia metus sit.* Huc spectant Dionys. Halicarnas. verba ἀξιομνημόνευτα; *Ex Historia accuratè scripta hæc duo, quæ sunt*

sunt optima & aequissima eveniunt, ut viri fortes, qui fatum suum impleverunt gloriam immortalem adipiscantur, & a posteris laudentur: utque divinorum illorum virorum & praesens & futura progenies non jucundissimum & facilimum, sed generosissimum & laboriosissimum vitae genus sequatur: dum secum reputat, debere eos, qui generis praeclara primordia ceperunt, magnificè de se sentire, & nulli rei majorum institutis indigna operam dare; lib. 1. Sed & Agath. lib. 1. de bell. Gothico satis eleganter. *Civili Philosophia*, inquit, *Historiam haud longè inferiorem duxerim, ni fortè plus aliquid conferat. Siquidem haec ipsa Historia haud secus ac Domina, nec mutabunda quidem, nec adulatrix jubet plerunque & planè constituit; quibus nam sit inhaerendum, quaeve sint fugienda; & perinde necessitatem persuadendo immiscet, in animos se dum insinuat, virtutémque collocat, ubi primum allicibili utitur oratione, vel exemplorum varietate, veluti condimentis, quae narrantur, excolit, ea dicendo confirmans, in quibus homines rectiore*

re consilio usi vel æquitate probatiores sint redditi, vel fortè pro cujusquam sententia, sine fortuna duce, & hac adversante falsi quandóque, à recto decoróque aberraverint. Hæc nos jam non urgebimus; quanquam vix alibi amplior vel imitandi, vel admirandi, vel humanæ etiam infirmitatis nævos notandi occurrat campus: Neque etiam de Adversariorum importunitate, & convitiandi libidine, quâ Heroica illa pectora planè γυμνῇ κεφαλῇ adoriuntur, quorum proinde ἀθυρῷ στόματι sunt coërcenda, jam laborabimus; illis maximè, qui & Reformatores ipsos mirantur, & emendatam per eos religionem devotè amplectuntur, gratificaturi, quibus sæpe numero vel nihil, vel parùm eorum, quæ pietati, eruditioni, fortitudini incomparabilium Doctorum luculentissimum præbent testimonium videre aut audire contigit. Hîc enim vel optimus & vigilantissimus sæpe dormitat Homerus. Adulta superioris seculi periodo insi-
gnis

gnis erat Theologus, qui, utrum an. Chr. 1572. opera Zuinglij, quorum magno ferebatur desiderio possidendorum, conjunctim prodijssent (singula autem jam distracta pridem erant) nesciebat. Quid *VVithakero*, Theologo Anglo, ex eo, quòd Lutherus in primo fervore certaminis contra Pontificios ann. Chr. 1526. Jacobi Epistolam stramineam appellavit, & una cum Epistola Judæ rejecit; postea verò cùm sententiam suam mitigâsset, non observavit, acciderit, alibi à nobis est notatum. Ipse dissimulare non possum, me, etsi in domesticis Historijs non planè hospitem, à paucis demum mensibus plura de Zuinglio, & quidem ἀνέκδοτα καὶ αὐτόγραφα, à conjunctissimo Collega, Tiguri asservata accepisse, quàm extare, cum sexcentis alijs, in Europa credidissem. Et quid si ingenuè fatear, ne maximos quidem, hac ætate, satis Zuinglium nostrum novisse viros? Flagitant, & importunè satis à nobis multi deposcunt Refor-

matoris vocationem, quem tamen ab universo propemodum orbe, Europæo, monitum, invitatum, per conscientiam, ut rempublicam Christianam labantem juvaret, compulsum esse, tot gemitibus comperi & obtestationibus: Et quanquam ægrotus, unde Medicus sua habeat honorum insignia, Româ, Patavio, Leidâ, non semper inquirit; sed Medicum esse, & eum quidem, qui, Dei beneficio, ad obeundam cum laude provinciam instructum se non semel comprobâsset, acquiescit, certo persuasus, hæc cælitùs venire dona; nos tamen, ne αὐτοκλήτοις, & spontè natis, ultróque currentibus patrocinare videamur, vocationem Reformatorum fuisse legitimam, si Deus dederit suo tempore, planum faciemus. Ubi ad *colloquia*, antehac de religione instituta, ventum fuerit, quot, quæso, ut plenam habeamus Historiam, restare videntur eruderanda? Catervatim se offerunt testes auriti & oculati, quorum vel compendia

pendia manu-ſcripta habemus diſputationum, vel ἐκθέσεις, vel Apologias, vel pleniores circumſtantiarum enarrationes; quæ majorem mihi hactenus hinc inde attulerunt lucem, quàm ex actis impreſſis ſperare, aut cuiquam polliceri fuiſſem auſus. Illud cum primis, etſi minùs hactenus obſervatum, ad perfectiorem, ſi quid judicare poſſum, faciet Reformationis Hiſtoriam, ubi diſtinctiùs omnia, quæ vel in *dogmatibus*, vel *ritibus*, vel *regimine* etiam Eccleſiaſtico fuerunt emendata, expendantur καθ' ἕκαστα, *ſigillatim* & *præcisè*, ipſis terminis *à quo*, *per quem*, & *ad quem*, accuratiùs expenſis. *Ille* enim graves illos & varios, cum quibus orbis Chriſtianus diu fuit conflictatus, morbos indicat: *Iſte* medicinam ex verbo Dei ſubminiſtrat: *Hic* tandem corpus Eccleſiaſticum à malo liberatum poſtliminiò reddit. Tale demum examen, talis anatomia Theologica ad oculum demonſtrat, nihil à Majoribus noſtris fuiſſe purgatum,

 uſtum

uſtum aut ſectum ; quod deforme non fuerit, ægrotum, vicinæ parti ſinceræ infeſtum ; luxatum denique, & à Dominica origine devium. Hîc Rhodus, hîc maximè ſaltandum ! Ut verò hæc pro dignitate inſtitui poſſit ἀπόδειξις, ex praxi primùm tum etiam ſymbolicis ejus ætatis libris corradi neceſſe eſt, quicquid ad ſtatus illius Eccleſiaſtici exquiſitam pertinet delineationem. Non ſpicilegium hîc metuendum eſt ; ubi plena patent horrea. Nam ſi amicæ amicorum, adeòque familiariſſimæ, ſcriptis ſymbolicis, praxi ubique obviæ acceſſerint literæ, nihil planè ad cauſæ noſtræ, Reformatorùmque noſtrorum patrocinium deſiderari video. Ita ulcus, totum protuberans ; & conſpicuum, ſponte medicinam flagitat : quæ omnino prima, in hac καταρτίσει καὶ κατορθώσει ; debet eſſe cura. Quò enim, ex penitiori inſpectione, periculoſior emerget morbus, eò etiam quærendæ & applicandæ medicinæ major ſe exerit neceſſitas,

ceſſitas. Hæc in morbi cognoſcenda malignitate primæ ſint noſtræ meditationes. Ipſa deinde Reformationis veſtigia religiosè ſunt legenda. Non ita planè vel violenta, vel ſimultanea fuit hæc corporis Eccleſiaſtici cura, ut gradus omnes reſpueret. Ut ægrotorum καχεξία peritiſſimi Medici ſe accommodarent, prudenti uſi ϛυγκαταβάσει, non omnibus eadem adhibuerunt pharmaca. Neque uſtioni locum ceſſerunt, neque ſectioni, ubi moderatiora & ſimplicia fecere officium. Hinc neque eadem ubique phraſis, neque idem agendi modus. In ijsdem non nunquam reperiamus Authoribus, quod vel per φροντίδας δευτέρας eſt ϛοφώτερον, vel per Auguſtinianam ingenuitatem retractatum, vel Apoſtolicam prudentiam diſcentium captui attemperatum: quæ omnia in examine Hiſtoriæ Reformationis neglecta, minúsve attentè conſiderata, aut contradictionum labyrintho nos facilè involvent, aut malevolis occa-

ſionem, novas hypotheſes, Majorum authoritate, obtrudendi, præbebunt. Quid Helvetijs noſtris tum aliâs, tum eo tempore, quo Novatorum perniciosum ſchiſma vires acquiſivit, contigerit, notius eſt, quàm quod repeti à me prolixè debeat. Vix liberari *Bullingerus* noſter in ſynodo Dordracena à Novatorum accuſationibus potuiſſet, niſi ex autographo Bullingeriano *Breitingerus*, Eccleſiæ noſtræ Antiſtes, injuriam pijs Anteceſſoris manibus ab omnibus illis, qui invitum ipſum à *Petor Martyre*, & *Hieronymo Zanchio*, in controverſijs Marpachianis, avellerent, condocefeciſſet. Et quanquam in tam amplum excurrere campum jam nec libeat, nec liceat, uno tamen ἐν παρόδῳ exemplo, quid ad refrænandam Adverſariorum impudentiam, vel unica pagella ſubſidij habeat, indicabimus. Non ipſam jam pro vindicijs Bullingerianis, *Breitingeri* noſtri in ſynodo Dordracena, habitam afferemus orationem; non

Petri

Petri Martyris ad Zanchium reſponſionem αὐτόγραφον, nomine Miniſterij Tigurini, procurante maximè & approbante *Bullingero* miſſam; de quibus, ubi Deo viſum fuerit, in loco de Decretis; illud non celabimus, nuper admodum opportunè me in ejusdem *Bullingeri*, pro cauſa Zanchiana, incidiſſe literas, quibus ſuâ manu *Breitingerus* adſcripſit: *Bullingerus cauſam Zanchij, ejúsque de Prædeſtinatione doctrinam commendat D. Johanni Sturmio, Academiæ Argentoratenſis Rectori magnifico, 30. Decembris 1561.* Vides, uno paragrapho & cladem ferè confici, & bellum! Quòd ſi ante certamina Pelagiana ipſum laxiùs, & latiùs locutum Auguſtinum, cautiorem poſteà varij reddiderunt ſubtiles adverſariorum conflictus; quid nî idem experiri potuerint & alij? Quidquid igitur ante annum ſuperioris ſeculi 61. in hac de Prædeſtinatione materia, ſcriptum, Novatoribus patrocinari videri poſſit, ad ſecundarum curarum

 ἀκρί-

ἀκρίβειαν corrigi debet: Sed ipsum cum *Sturmio* audire amicè differentem placeat Bullingerum: *Etsi nunquam scripserim ad Tuam humanitatem, Sturmi doctissime, semper tamen amavi Te, propter dona illa Tibi à Deo concessa sanè præstantissima; sempérque oravi Dominum, ut Tibi dona augeat illa, & à malo conservet. Atque in præsentia vehementius Te amo, quem audio summa fide atque diligentia exquisita, juvare causam religionis alioquin afflictam, ab ijs maximè, qui Antistites religionis sincerissima videri volunt. Dominum oro, ut hos illuminare dignetur Spiritu suo, & pectora ipsorúm à noxijs expungere affectibus. Rectè autem facis, qui causam religionis suscipis defendendam. Fecerunt hoc ante Te in Ecclesia Christi Rhetores & Philosophi præstantissimi: Quod ipsum testatur Historia Ecclesiastica. Proinde Te oro, Vir præstantissime, ut quod facis, facere pergas. Dominum oro, ut Tibi adsit. Causam Eucharisticam, quam defendimus, adjuvante nos Domino, jam multis annis scis*

opti-

optimam, expeditam & invictam. Propter hanc odium sustinet D. Zanchius, Vir præstantissimus, qui sanè propter theses de Prædestinatione & perseverentia sanctorum minimè vexaretur, si quorundam doctrinam crassam & minimè sibi constantem de Eucharistia probaret atque doceret. Sicut autem illi doctrinam Augustini, Doctoris in Ecclesia Catholica de Cœna despiciunt; ita & ejusdem de Prædestinatione sanctorum damnabunt, si Zanchij reprobant. Horrendum autem esset in tam celebri urbe tanti Doctoris (Augustinum intelligo) doctrinam condemnari. Proinde honestissimè causam Zanchij tuendam sumis. Piè enim vetus Ecclesiæ dogma defendis, ut jam non commemorem pariter primorum nostræ Ecclesiæ Doctorum authoritatem Tetueri, &c. *Vale, Dominus hunc annum velit Tibi esse felicissimum. Tiguri 30. Decemb. 1562. Heinricus Bullingerus tuus.* Hæc speciminis loco, ex quo tamen haud obscurè est

manifestum, quid in difficilimis quæstionibus vel rejiculæ, vulgi judicio, chartulæ possit authoritas. Observavi non semel, vix quicquam novos homines somniâsse, cui ex Majorum malè intellectis scriptis colorem non quæsiverint; quem fucum, quæ pigmenta vel publica Actorum, vel privata familiaris colloquij Epistolici spongia facilimè & felicissimè abstergit.

Porrò & hoc Historiam ad apicem provehit, cùm κατ' ὅλως & *generaliter* tantùm, vel in Germania, vel Gallia, vel Anglia veteres colonos superstitiosos migrâsse ostenditur; Sed singulorum ratio habetur locorum. Singula enim regna, singuli Ducatus, Comitatus, Baronatus; Provinciæ singulæ & urbes exactiori dignæ sunt indagine. Difficilis est, fateor, hæc provincia; non tamen planè desperata, aut successu caritura. *Difficultatem* non diffitebuntur illi, qui, postquam omnes, ut hanc metam attingerent,

excússe-

excusserunt forulos, paupertatem interim suam dissimulare non potuerunt. *Quàm necessaria sit* (ita *Scultet.*dedicat. Annal. Decad.1.) *rerum superioribus annis in Ecclesia gestarum annotatio ex amicis bene multis didici, qui mihi de Historiola renati apud se Evangelij sciscitanti dolenter responderunt, vel evanuisse istarum rerum memoriam, vel Annales incendio conflagrâsse, vel in invidorum scrinijs hac talia jacere recondita.* Vel ergo Temporis injuriâ, vel hominum invidiâ factum est, aut incuriâ, quò minùs magna hactenus polliceri potuerimus; ea tamen, quæ post *Sculteti* Decades editas, ferventissimo, dissolutas illas colligendi & colligandi scopas desiderio, erepta ex præsentissimo interitûs periculo fuerunt, plura fortè sunt, quàm sperare multi fuissent ausi. Nolim esse pollicitis dives, nec tamen nimium me patriæ blandiri existimo, si ingenuè dicam atque liberè, vix Ecclesiam, ubi ubi locorum, hodierno die ostendi reformatam,

ad

ad cujus Reformationis modum & rationem Archivum noſtrum Eccleſiaſticum tum publicum, tum privatum etiam meum, viginti annorum decurſu à me collectum, non aliquid conferre poſſit. Neque dubito, quin ſi, quæ alibi adhuc deliteſcunt otioſa, in triſte & inutile tinearum pabulum deſtinata monumenta, ad pretioſiſſimam Templi Dominici perderentur ſtructuram, ea brevi habituri eſſemus, queis deſtituta poſteritas, & ſocordiam noſtram seriò lugebit, & rerum præſentium atque recentium noſtrum deteſtabitur contemptum. Impunè, incurioſos hîc imitari Romanos, non licet, de quibus *Tacitus*, Annal.lib.2. *Græci ſua tantùm mirantur: Romani dum vetera extollunt, recentium ſunt incurioſi.* De inſigni hoc diſpendio non malè *B.Facius* Hiſt.l.1.*Etſi nonnullos viros hæc ætas tulit, qui præſtanti ingenio ac doctrina præditi, tum ad alia quæque, tum ad res geſtas ſcribendas peridonei exiſtimari poſſunt, fuerúntque & noſtrâ,*

nostrâ , & Patrum nostrorum memoriâ aliquot populi ac principes clari , qui magna ac laudabilia facinora gessere ; ea tamen est apud plerosque novarum rerum negligentia;ut perpauci ad scribendum Historiam se conferant. Sunt enim quos , cùm legerint,aut Alexandri,aut Cæsaris , aut populi Romani facta , hæc nova ac recentiora non multum delectent. Námque ita se res habet,ut quæ nobis notiora & familiariora sunt , hæc in minore pretio , nescio quónam modo habeamus. *Ego verò haud abnuerim , nec Regem , nec Ducem , nec civitatem ullam ætate nostra, aut etiam avorum nostrorum ; extitisse rerum gestarum gloria & virtute cum ijs comparandam. Quanquam quis est adeò imperitus rerum,qui nesciat, vel eorum res, quos modò nominavi , vel disertorum scriptorum beneficio non nihil illustriores, atque ampliores factos esse? Sed certè & hæc recentiora,meo judicio tanti sunt,ut eos etiam in ætatem suam quodammodo ingratos atque iniquos putem , qui quæ suo tempore*

pore contigerunt, veluti lævia quædam, ac notitiâ parùm digna negligere videantur: cùm ea ipsi potiùs extollere deberent, & aut aliorum ingenijs illustrata perlegere, atque in honore habere, aut eloquentiam hominum, ut res sui seculi ab interitu vindicare vellent excitare. Omninò, metuo dicam, an auguror, fore, ut nisi superioris seculi ob Reformationem non uno nomine miraculosi rationem deinceps habituri simus accuratiorem, &, quod hinc inde superest, autographorum spicilegium; diligentiùs collecturi, easdem negligentiæ daturi simus posteritati pœnas, quas prima à nato Christo secula luisse, ex omnium Historicorum constat querelis. Iustissima profectò *Eusebij*, initio Historiæ legitur exprobratio, quòd exigua; *imò nulla lux aliunde affulgeret, quam sequeretur, nulláque vestigia occurrerent, quæ premeret, cùm nulla superiorum trita esset ea via, quam capessebat,* οἷα τινὰ ἐρήμην καὶ ἀτριβῆ ἰέναι ὁδὸν ἐγχειρῶμεν, *Hist. Eccles.* lib. I. c. I. Pauca enim Docto-

Doctorum, qui tribus primis seculis floruerint, extabant scripta. Unde & judiciosissimus ille Anglus, *Whear*, Meth.legend Hist.Eccles.pag.203. *Præter Novi Instrumenti scriptores (qui etiam ipsi Christianæ Ecclesiæ tantùm incunabula exhibuerunt) pauci admodum ad manus nostras pervenerunt: pauci, inquam, aut potiùs nulli, qui prima secula ut testes oculati descripserint, aut qui res in Ecclesia gestas, donec adolesceret, memoriæ tradiderint.* Et ipse Annalista *Baronius* Præfat. ad Tom. 1. Annal. *Nulla res* (inquit) *ita hactenus negligi visa est ac rerum Ecclesiasticarum gestarum vera, certa, & exactâ diligentia perquisita narratio. Et ut de antiquioribus loquar, qui ejusdem argumenti commentarios ediderunt, invenire difficile est, qui veritatem in omnibus sit assecutus.* Quantam verò hinc cladem Respublica Christiana fuerit passa, neque *Ludovicus Vives*, neque *Melchior Canus*, uterquè Hispanus ignorare nos voluerunt; ille de trad. discipl. pag. 360. hic Loc. Comun. lib. 11. pag. 533.

pag. 133. *Eusebius* demum; primam ausus est frangere glaciem, quem alij deinde sunt insecuti Latini, Græci, Syri, Arabes; donec, cùm literæ paulatim & religio contemni iterum & conculcari cæpissent, τέρατα καὶ ψεύδη hominum animos ita occupârunt, ut non quæ evenerunt; sed quæ evenisse creduli vellent; in chartas rejicerentur. Unde *Casaub. In Historicis*, inquit, *monumentis eorum temporum miracula ut plurimùm utramque paginam conficiebant, vel à sanctis, vel ab imaginibus, vel à reliquijs edita:* Proleg. ad Exercit. Quæ seris, si quos superesse velit supremum Numen, nisi hîc medicina paretur, crux figi queat nepotibus; facilè est conjicere? Ad incertas ubique traditiones; fabulis permixtas insulsis; & longè petitas conjecturas confugiendum erit, ubi antecessores, cùm possent adhuc, authentica vindicare noluerint documenta. Ex palude sorbendæ erunt fæculentæ, cùm ex ipsis bibere liceret fontibus limpidas

das. *Famæ rerum ſtandum eſſe, ubi certam denegat vetuſtas fidem*, *Livij* verba ſunt Decad. 1. lib. 7. Ubi verò vetuſtati in certitudine monumentorum præſidium quæri poteſt, aut oſtendi, fidei periculum metuendum non eſt. Et quanquam, Jovij judicio, *tantus eſt Hiſtoria honos, ut vel ineptè ſcripta, non inſulſos homines magnoperè delectet*; Præf. in lib Hiſt. ſeriò tamen cavendum, ne vel ineptijs, vel inſulſis narratiunculis lectorem paſcamus. Quod ut ne fiat, omninò author ſum, ut quicquid uſpiam adhùc ſcriptorum Majorum noſtrorum ſupereſt ἀνεκδότων, ſtudiosè illud conquiratur, liberaliter in commune conferatur, diligenti denique vel unius, vel plurium operâ, quod ad ſpecialem cujuslibet Eccleſiæ pertinet Reformationem congeratur, congeſtúmque diſponatur. Neque enim hic ζυμφερτὴ ἀρετὴ contemnenda eſt aut poſthabenda. Notum eſt, quibus obſtetricantibus Baronij tandem Annales poſt annorum 40. lucubrationes, lucem aſpexerint. Centuriatorum etiam Vires conjunctæ ſatis probant, oculos plus videre, quàm oculum: & filum triplicatum difficulter rumpi. Cur eadem cura etiamnum generoſa pectora non

D tor-

torqueat ? Quæ jam contra Historiam P. *Pauli Scarpij*, Veneti Theologi, moliatur Cardinalis *Palavicinus*, brevi videbimus: Hactenus enim Italica vidimus tantùm; ubi Latina prodierint, faciliùs fortè, de prætensis fontibus, authenticis scriptis, quæ magnâ ubique crepat jactantiâ, licebit judicare. Ità alij suarum rerum satagunt, ut Historias suas Ecclesiasticas superstitiosè dicam an religiosè pertexant, & nos soli relinquamur ? Deplorant Viri graves jacturam librorum quinque *Diodori Siculi*, qui *βίβλον νησιωτικὴν* exceperunt, in quibus memoria erat totius vetustatis regnorum Orientis, & quæ multum Historiæ sacræ allucere potuissent. Historicorum Romanorum fata lugendi, justam nimis emergere occasionem, eruditi monent. Nam ut parentes leviùs ferunt, non natos sibi liberos, quàm postea denatos; sic nobis fortasse, si de principum illorum Historicorum scriptis nunquam audissemus, dolor nullus advenisset, inquit *author* Method. legend. Histor. Civil. pag. 104. Majorem certè posteris lugendi & lamentandi præbebimus materiam; nisi, quod commodè adhuc fieri potest, jam dum æstas est, & occasio favet, componantur nidi.

De

De *Amalthea*, Sibylla ſeptima, quæ ab alijs Demophile, vel Herophile nominatur, *Lactantius* ſcribit lib. 1. de falſ. relig. cap. 6. *eam novem libros attuliſſe ad Regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippos poſtulâſſe, Regémque aſpernatum pretij magnitudinem deriſiſſe mulieris inſaniam: illam in conſpectu Regis tres combuſsiſſe, ac pro reliquis idem pretium popoſciſſe: Tarquinium multò magis inſanire mulierem putâſſe: qua denuo tribus alijs exuſtis: cùm in eodem pretio perſeveraret, motum eſſe Regem ac reſiduos trecentis aureis emiſſe.* Ita cum Phrygibus ſerò libenter multi ſapiunt. Mancum nempe & mutilum magna pœnitentia, ingentíque pretio, quod integrum antea & illibatum obtinere potuiſſent, redimere malunt. Vix ambigo, magno aliquando noſtros mercaturos, quod ſtudio jam & cura mediocri acquiri poſſet. Nec opus eſt, nos κοσκίνῳ μαντεύεσθαι; præteritorum memoria de futuris haud obſcurè conjicere nos ſinit.

Methodica inſuper eſſe debet Hiſtoria. Ne extra carceres cùrrat, aut præſcriptas Methodi leges, qui animum ad ſcriben-

dam Reformationis Historiam appellit.
Sedulò caveat. Non effrenis esse debet Hi-
storicus aut palabundus erro. *Lux* est Me-
thodus, quæ confessionis tenebras dispel-
lit; gnomon, qui viam compendiariam
ostendit; cynosura, quæ periodosam navi-
gationem dirigit; quæ si ab Historico ab-
sit studio, etiam bene & ornatè dicta, incon-
dita reddit & insulsa. *Nam cùm omnia*
(ut *Diod. Sicul.* antiquit. lib. 6. cap. 1. verba
mea faciam) *in quibus Historia versatur*
complecti rerum scriptores deceat; tum
verò maximè, quomodo quæque res singu-
latim describenda sint (quod Methodi sum-
mum est beneficium) *cura videtur susci-*
pienda. Non enim tantummodò hæc nota-
tio particularis diligentiáque privatis ho-
minibus ad conservandas augendásque
fortunas proficit, verùm Historicis etiam
plurimùm adfert decoris atque ornamenti.
Quidam, quorum ob eloquentiam ac rerum
gestarum copiam meritò laudatur opus,
in singularum rerum descriptione aberrâ-
runt: ut eorum labor atque industria à le-
gentibus in recensenda Historia comprobe-
tur, scribendi ordo reprehensione non careat.

Sit

Sit ergo, quantum fieri poteſt, Hiſtoriographus Methodi obſervantiſsimus. Hanç enim & Epocharum varietas requirit, & materiæ diffuſæ ubertas, & authorum copia, & memoriæ noſtræ infirmitas. Quid alijs ante hac placuerit, nolumus anxiè rimari. De veteribus præclara extant tam veterum, quàm recentiorum judicia characteriſtica. Certârunt inter ſe encomijs atque elogijs, ut ad eadem etiam ſtudia cum cura tractanda alios allicerent atque provocarent. *Halicarnaſſenſis Herodotus* hoc aſſecutus eſt, ut & *Pater Hiſtoriæ Ethnicæ* diceretur, & divinâ providentiâ, in eo ipſo ferè momento, quo deſijt Prophetica Hiſtoria, Herodotus ſuam ordiretur. De *Thucydide* ipſe ita ſenſit Cicero, *quòd omnes dicendi artificio facilè vicerit, ut verborum propè numerum, ſententiarum numero conſequatur: ita porrò verbis aptus & preſſus, ut neſcias utrum res oratione, an verba ſententijs illuſtrentur.* Qui Thucydideæ Hiſtoriæ filum continuavit, *Xenophon, Attica Muſa,* & *Apis Attica*, ob melleam dicendi ſuavitatem, vocari merebatur. *Prudentiæ* laudem *Polybius* præ cæteris obtinuit. De

Dionysio Halicarnasseo Bodinus testari voluit, quòd præter moderatum dicendi genus & Atticam puritatem antiquitates Romanas ab ipsius urbis origine tanta diligentia conscripserit, ut Græcos omnes & Latinos superâsse videatur; *Meth.* cap.4. Inter Latinos hoc habuit elogium *Curtius*, quòd melle quovis dulcior lectorem citiùs defatigatum, quàm satiatum dimittat: cujus, *Lipsio* judice, mira in sermone felicitas, in narrationibus lepos; uno hoc deplorandus, quòd ἀκέφαλος. Nec multum cedit; nisi accuratione forsan; florentissimus *Florus*, in quo, eodem *Lipsio* observante, subtilitas quædam & brevitas sæpe mira, & sententiarum quædam gemmulæ, cum judicio insertæ & veritate. *Livij* quædam axiomata suprà audivimus; satis est, *principem* vocari Latinæ Historiæ, cui *Casaubonus* lacteam quandam ubertatem dictionis tribuit; qui divinitus fuerit facundus, alumnus virtutum, osor vitiorum, rectus judicij; ingenium quod solum in Historicis populus Romanus par imperio suo habuit. *Sallustium* Quintilianus Thucydidi opponere non veretur. *Tacitus* eum rerum Roma-

Romanarum *Auctorem florentissimum* nuncupat. *Cæsaris* Commentarios Cicero valde probandos affirmavit; Aulus Hirtius etiam admirandos. Vossio *Cæsar* est Scriptor purus & elegans, inque verborum structura accuratus ac omnino instar fluminis placidi procurrens. Sed quis commentandi finis esset, si de singulis crisin instituere allubesceret? Illud volumus, nihil in florentissimis scriptoribus defæcatioris Latinitatis; aut purioris Græcismi, gravissimis authoribus observari, laude & imitatione dignum, quod non in Reformationis Ecclesiasticæ superioris seculi Annalibus quoad fieri potest, vestigijs exprimi debeat certissimis. Adeò, ut quicquid singulæ habent veterum Historiæ vel prudentiæ, vel elegantiæ, lacteæ ubertatis, melleæ suavitatis, concinnæ proportionis, illud in unam operis tam eximij, támque multis nominibus miraculosi Historiam summo merito, effundi debeat. Adeò res, de qua agitur, & in se præclara est, & omni ætati profutura. Commendat sacra scriptura, veluti singularis στοργῆς indicem versicolorem illum, quo Josephus adolescens induebatur, vestitum. Et nobis πολυποίκιλον eloquentiæ, gravitatis, prudentiæ, Methodicæ perspicuitatis

 schema;

ſchema, quo amore dignisſimum in lucem prodire vellemus ſtupendæ narrationis fætum, diſplicere non debet. Exquiſitum, quod de Liviano ſtylo Alvarienſis Epiſcopus jam olim tulit, eſt judicium. *Non illum*, inquit, *varietas confuſum, non ſimplicitas Hiſtoriæ faſtidientem reddit. In tenui, quod perſæpe accidit, atque humili rerum materia non eſt exanguis, aridus & jejunus: in copia verò ac magnitudine, non turgeſcens ac vaſtus; plenus citra tumorem, æquabilis ac lenis citra mollitiem, nec luxurioſè effluens, nec nimia ſterilitate tabeſcens. In aſperis rebus ſalebroſus, neque languens; in mollibus non violenta & coacta oratione ſubſultans; non ita tamen copioſus, ut nimius: neque ita ſuavis, ut laſcivus; nec adeò levis, ut remiſſus; non ſic triſtis, ut horridus; neque ita ſimplex, ut nudus; aut adeò comptus, ut affectata compoſitione calamiſtris videatur inuſtus: par verbis materia, par ſententia rebus. In re geſta exprimenda gravis atque magnificus, & tamen ſuccinctus ac proprius. In narratione naturalis & ſemper ſpectatus,*

tus, ordinem minimè confundens, & rerum eventa non præcurrens; minimè in gratiam adulator, aut reprehendendo parcus in veniam, non amarulentus in noxam. Ipsi quoque senatui, ordini illi orbis terræ moderatori venerando, populóque Romano, terrarum principi, si vel temeritate præcipites, vel errore lapsi, vel quacunque forent ratione supra modum justúmque evecti, nequaquam parcens. Res etiam adversariorum debita commendatione non defraudans, ut modò narrator tantùm, modò Censor esse videatur; atque ita severus & tetricus, ut ne Censoribus quidem gravissimis, quibus nihil Romæ sanctius fuit, ubi facto usus fuerit, unquam ignoverit. At verò in concionibus ante omnia verborum parcus, sententiarum dives multò est verbis, quàm sensu restrictior atque concisior; in qua parte non cæteros scriptores tantùm; sed se ipsum quoque longè antecellit. Hac facie Historia prodire, & publica salutare non erubesceret. Nempe,

Victurus genium debet habere liber.

Feliciter præivit *Sleidanus*, qui terso & con-

cinno orationis genere in ſuis Commentarijs uſus eſt ; quem, quibus Rhetorum flores placent, ſequi tantò poterunt faciliùs, quantò luculentiora noſtra ætas feliciſsimæ imitationis oſtendit exempla. Mihi tamen (quod bona cum venia præfari liceat) de his jam laborandum non exiſtimo. De corpore enim ipſo, ejúsque conſervatione, membrorum εὐρυθμίᾳ, noſtra, ſi quid judicare poſſum, præcedit rectius cura, tum demum quæ, de commodo, ornato etiam ejus habitu ſubſequitur, inſtituenda eſt. Et ut meam paulò liberiùs exprimam mentem, illum putem maximum facturum operæ pretium, qui de plena fidéque digna Reformationis Hiſtoria ſolicitus, nihil de ſuo afferat, aliorum oculatorum & auritorum, contentus fide & verbis, niſi ubi ἐπικρίσεως opus eſt, & judicio. Ejus religioſè retinent Authoris verba, qui rebus ipſis vel præfuit, vel ſaltem adfuit. Ex hoc enim inſtituto non una ad Authorem, lectorem, totámque adeò poſteritatem redundat utilitas. Ita certè *Author* ſuam liberabit fidem ; Hiſtorici officium omnibus abſolvet numeris. Magnam merebitur gratiam, quòd quæ diu ſatis tenebris obrutæ latuerunt virorum eruditorum Epiſtolæ, ſingulari ejus eruantur

tur & vindicentur ſtudio. Et de Epiſtolis quidem ipſis, ne tam pretioſa perirent ἀνθήματα καὶ ἀναθήματα, quàm Majores noſtri fuerunt ſoliciti? *Bibliander* ann. Chr. 1535. ad Oſvvaldum Myconium, Præceptorem ſuum. *Mitto hic quædam Zuinglij & Oecolampadij, ad opus Epiſtolare, ſi Tibi videantur digna luce. Fuit Epiſtola Bonifacij VVolfh. ad Hutterum de Synodo prima Tiguri coacta, ut diſputarentur axiomata Zuinglij, quam cenſuiſſem imprimendam; ſi probaturum ſciviſſem authorem Bonifacium. Abrahamus Muſculus,* ad Joſiam Simlerum 1575. *Accipis omnes illas quotquot habere potuimus Geſſneri ad Aretium noſtrum Epiſtolas, quas ubi commodum fuerit, ſi non omnes, pleroſque ſaltem ſibi remitti poſtulant tutores filiorum Aretij.* Eodem anno Conradus *Hubertus* Argentinenſis ad eundem: *Quòd à me petis ſi quas habeam Martyris Epiſtolas, quæ Theologica tractent, Tibi communicem; velim te mihi credere, me nihil quicquam quod ſciam habere. Et Simon Gulartius: De Martyris Epiſtolis faciam*

ut

ut jubes. Ex Beza & Balbanij scrinijs quas reperiam schedas Theologicas describam, & Tibi mittam quamprimùm. Epistolam ad fratres Italos non habeo Italicam; hanc petam à D. Balbanio, & Latinitati donabo. Anno præcedenti 74. ad Simlerum: *D. Beza infra paucos dies daturus est quasdam Epistolas Theologicas D. Martyris, dignas, ut ait, quæ in publicum edantur; gratulatúrque Tibi istud consilium de schedis Theologicis præstantissimi hujus Christi athletæ evulgandis. D. Balbanius operam suam pollicitus est. Quæ inter chartas D. Calvini digna erunt editione, curabo etiam ut simul accipias. Vidi enim quasdam Martyris Epistolas ad eum scriptas &c.* Cur nos minori illud vindicandi feramur desiderio, cui vel anni paulatim gratiam conciliant? Sed & malevolis, ansam licentiùs insultandi, ubi præclarorum Doctorum authoritate pugnabit, præcidet. Majorem declinabit invidiam, quæ Historiarum comes est individuus, dum alios malit, quàm se audiri. Cur enim nobis referre non liceat, quod ne facere quidem alijs negatum fuit? *Lectorem* semper ha-

bebi-

bebit faventiorem, quòd persuasum habere possit, nihil hîc affectibus agi, aut eloquentiæ ostentandæ ergò. Nunquam abibit Historiæ studiosus è tam erudito cætu, abibit nisi *κρείττων ἑαυτοῦ*. Pios enim, fortes, incomparabiles illos audit Doctores: quos *αὐτολεξεὶ* percepisse multum refert. Sunt monita illorum *κέντρα*, *stimuli*, qui altiùs penetrant, arctiùs inhærent, certiùs movent, quàm ubi deflorata & prætionata illorum ingeruntur verba. Infantes cibo præmanso opus habent & serperastris; cæteri, quibus sunt *γεγυμνασμένα αἰσθητήρια*, quique gradum formare possunt, non item. Quid verò posteritas ei non debeat, libentérque debere velit, qui jacturam adeò compensatu difficilem resarciat, chartas pretiosissimas naufragio proximas liberet? Habebit porrò lector ex cimelijs illis accuratissimas meritissimorum virorum *προσωπογραφίας*. Non nostro, quæ olim gesta sunt, pede metiri semper debemus: parciore quandoque mensurâ, & quasi guttatim sua Deus destillavit dona: Aliquando verò; non primæ tantùm; sed & secundæ N. Testamenti Pentecostes festo aperti fuerunt cæli catarractæ, è quibus longo velut imbre; gratiæ spirituales deplue-

pluerunt. *Nonnulli legentium haud recto judicio usi, nimis exquisitè antiquas res, ex his, quæ nunc geruntur, perpendunt, æstimantes Herculis Virtutem ex nostrorum hominum imbecillitate. Ita rerum gestarum nimia magnitudine moti, haud quaquam Historicis crediderunt*; Ita *Diod. Sicul.* Ant. lib. 5. c. 2. Fabulis portentosis, quales suis veteres Græci immiscuerunt Historijs, non fidem semper adhibitam, quid miremur? Sed ubi res superiori seculo gestas vel in dubium vocare, vel decempeda nostra metiri vellemus, vel ignorantiæ, vel ingratitudinis fuliginem abstergere non possemus. *Aureum Libellum* vocavit Laërtij Vitas Philosophorum *Henricus Stephanus*, *opus utilissimum*, & auro contrà non carum, πολυμαθέστατος *Vossius*; gemmeus profectò ille erit liber, qui vitas Theologorum præcedentis seculi, Reformatorum cumprimis; exhibebit augustum Herologium, Hierologium θαυμασιώτατον. Veteres exemplo Philosophorum veternum Christianis excuti, virtutémque illis commendari voluerunt. *Hieronymus*, consolatione ad Julianum, perquam eleganter eum hortatur: *Contemnis*, inquit, *aurum? Contemp-*

pſerunt & multi Philoſophi. Unus multarum poſſeſſionum pretium projecit in pelagus, abite, inquiens, in profundum malæ cupiditates: Ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis. Philoſophus, gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium, totam ſarcinam depoſuit, & tu te putas in virtutis culmine conſtitutum, ſi partem ex toto offeras? Te ipſum vult Dominus hoſtiam vivam, placentem Deo, te, inquam, non tua. Iterum ad Heliodorum: *Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Piſones, Bontos, Scævolas &c. quorum non minor in luctu quàm in bellis virtus fuit &c. Ne videar potius aliena, quàm noſtra quæſiſſe; quanquam & hæc in ſuggillationem noſtri breviter dicta ſint, ſi non præſtet fides, quod exhibuit infidelitas.* Habeant & illi imitationis quosdam παροξυσμοὺς; non invidebimus. Sed cur exempla virtutum non ab ijs potius, in quibus illæ non fuerunt ſplendentia peccata, mutuemus? Nam & Zuinglius generoſus fuit opum contemtor, & Lutherus fortis humanæ gratiæ & favoris deſertor: Calvinus, magnus Jejunator; cæteri pietatis exactiſsimis typis abſolutiſsi-

lutiſsima eruditionis exemplaria, nivea & candida ingenuitatis pectora tot Gentiles paraſangis præcurrerunt, quot quidem umbra diſtat à corpore, fallax ſplendor à ſoliditate, pretioſiſsimæ rei.

Habes, *Nobiliſsime Vir*, rationes, quæ mihi ipſa potiùs authorum, etſi nec verborum elegantia, nec narrationis etiam Methodo eodem ubique, quàm vel tornata & expolita æquabili inſuper ſtylo admiranda aliorum commendant verba. De ratione, diffuſam illam & indigeſtam ordine proponendi molem, major inſidet ſolicitudo. Scio enim alia placere alijs. Sunt qui in contexendis Annalibus annorum ſeriem obſervant. Alij materiæ ὁμοζάνζαν præferunt. Alij prolixiores ſunt, alij conciſiores. Nonnulli fidelisſimi ſunt nomenclatores, authorum, unde ſua habent, grati indices: Cæteri verbis etiam illorum loquuntur, quæ tutiſsima mihi ſcribendi Hiſtorias eſt ſemper viſa ratio, ut ut alij eam, veluti χυδαίαν & abjectam nimis, ſugillent, ſua potius ὑφάσματι cum araneis mirantes, quàm mella cum apibus colligentes. Sed hæc vel examinare, vel etiam enarrare authorum in conſcribendis Hiſtorijs diſcrimina, inſtituti jam noſtri non eſt: uno, utrum, in Reformationis Hiſtoria, cothurnis

thurnis incedere Rhetoricis, an nudo & simplici Logicorum prodire schemate sit αἱρετώτερον, aliquandiu constrictus. Ut hoc præferam, plura, quàm quæ arctis hujus Epistolæ cancellis possint includi, prævaluerunt momenta. Urgebat εὐκαταληψία, quam Logica Methodus, intra cujus carceres juventus nostra currere didicit, prolixè pollicetur: infirmioribus etiam, & qui infra ingenij mediocritatem subsidunt. Suadebat, divini hujus organi δύναμις προφυλακτική, quâ fit, ut nihil abesse cogatur, utcunque sublime, cujus præsentia necessariò requiritur; nihil irrepere ausit, quod alienum, fucatum, heterogeneum, aut ἀλλόφυλον. Quodvis ordine suo procedit; איש כדגלן *unus quisque sua sequitur signa.* Nihil hic vel tam perplexum est, quod non ad cujusvis captum proponi, nihil tam abjectum quod suo loco positum, non ornet, aut perficiat. Et ut quælibet res cognoscitur per causas; ita Historijs inter se variè confusis clarissima lux per causarum acutissimos & coruscos affertur radios. Et quamvis inficias denuo non eam, illam tantopere plerisque dignissimam videri scribendi rationem, ubi ars celat artem; ubi Rhetorico, vel Histo-

rico

rico potiùs ſtylo & filo, gravi & perſpicuo, continua ſerie fluit, quod interruptum vel ἀῤῥωςίας indicium eſt, vel paupertinæ ſupellectilis oratoriæ confeſsio; attamen, quia aliorum, quàm meis in ipſis rerum eventibus uti malo verbis, phaleras & ornamenta libenter alijs, modò veritatis & certitudinis mihi palmam non reddant dubiam, hac vice ſponte cedam. Ubi verò hæc ſemel poſteritati opera eſt præſtita: ubi ab incendio, naufragio, interitu tot amici, tabulis typorum ſunt liberati; tum, ſuo tempore, ſplendidiori ornari poterunt veſte; quæ nudè jam propoſita non placent. Non fortè ἀπροσδιόνυσον fuerit hoc loco monere ex *Nic. Haud ab re liber viventium apellatur Hiſtoria, rerúmque geſtarum deſcriptio tubæ clangor, quo jam olim mortui velut è ſepulchris excitati in medium producuntur.* Abſit denique ab Hiſtoria Eccleſiaſtica *ſtudium partium.* Cogitabat Hiſtoriographus, ſe non uni laborare, ſed unitati. Non quid factum vellemus, ſed quid factum ſit, ab Hiſtorico expectatur. Hic nævus voluminoſum *Baronij* opus multorum manibus excuſsit. Celeberrimi *Caſauboni* judicio magnus eſſe potuiſſet, *niſi merita*

ſua

sua immoderato partium studio corrupisset. Uude & Antistes *Cicestriensis* ; *Nihil est penè* (inquit *Præfat. ad Appar.* an. 63.) *quod magnopere desideres in Baronio, si unum illud abfuisset, vir nimis incumbit semper, & indulget vehementius, partium studium & προσπάθεια. Negari haud quidem potest, quod in illo accusant doctissimi Viri, adeò illum in defensione & laude illarum partium, quas probabat, quas propugnandas susceperat, totum esse occupatum, ut quicquid uspiam est, vel extabat olim per Romanam Ecclesiam depravati moris, deserta vel desolata fidei, nundinationum sacrarum rerum improbissimarum, sacrilegij execrandi: quicquid patratum audacius, quæ plurima erant, & insolentius in nominis Christiani præjudicium, Ecclesiæ dedecus, pietatis opprobrium, Jesu Christi contumeliam, per Pontifices quosdam improbissimos (quod non inficiantur vel Catholicissimi, hominum monstra agnoscentes, & humanitatis propudia) excuset, hoc purum est; quia laudet interdum, & exornet ab oratione.*

E 2 *Non*

Non refingit mores urbicos ad antiquitatem; ſed ipſam antiquiſſimam antiquitatem, invitam, reluctantem; obtorto collo trahit ad fidem urbicam tuendam: illam inprimis malè natam, malè fotam; de directa Pontificis omnipotentia, ad quam confirmandam omnem ſuam applicat ſupellectilem, & ingenij nervis contendit. Sed & verè ſimul & eleganter de vaſto illo opere; *Hugo Grotius:*

Annales docti nimiùm ſervire Baroni
Qui legis, & Romæ quale probatur opus,
Credere ne propera: multo vigilata labore
Pagina, ſed nutu ſub dominantis erat,
Auctoramentum non eſt leve, purpura: pridem
Pontifices verum non didicêre pati.

In obſcuris, ambiguis, ætate obſoletis Gentiles etiam maluerunt ἐπέχειν, infirmitatem agnoſcere, quàm incerta pro certis obtrudere. *Haud ſanè nos fugit* (ita *Diodor. Sicul.* Antiq. præfat. lib. 5.) *vetuſtarum rerum ſcriptoribus, ut in multis labantur, contingere. Nam & antiquiora illa paullulum ſubobſcuram ambiguitatem præbent ſcribentibus: & temporum deſcriptio haud faci-*

facilis cognitu, quandoque detrahit legentibus fidem. Heroum praterea & caterorum virorum multiplex ac varium genus non satis exquisitè explicari potest. Accidit insuper, quod omnium est difficilimum, ut de antiquorum gestis scriptores inter se admodùm dissentiant. In cæteris scapham appellare placuit scapham: Amicum colere Ciceronem, amicum Platonem: Sed primas semper reservare veritati; quæ meta est & vita Historiæ; qua sine quicquid scripseris aures replebis & chartas; animum nec imbues rerum gestarum notitia, nec necessarijs instrues præceptis. *Bonum virum* (ita Polyb. lib. 1.) *amicorum, patriaque amicum esse decet, & amicorum amicos colere, & inimicos odisse: at eum qui scribenda Historia munus susceperit, omnia hujuscemodi oblivisci decet, & sape numero summis laudibus extollere inimicos, cùm res gesta eorum ita exigere videntur, interdum amicos necessariósque reprehendere, cùm eorum errores digni sunt, qui reprehendantur. Etenim perinde ac si quis oculos animanti effoderit, quicquid superest corporis, inutile fit: ita demta*

ex Historia veritate, narratio omnis inutilis est. Quamobrem neque à reprehensione amicorum, neque ab inimicorum laudibus, cùm ita res feret abstinendum: neque turpe putandum, si eosdem aliquando reprehendamus, interim laudemus. Siquidem eos, qui in rebus gerendis versantur, neque semper rectè facere, neque continuè errare verisimile est. Oportet igitur, ut à personis abstinentes, de gestis illarum competenter in commentarijs sentiamus ac pronunciemus. Qui verò venalem, qui ἰδίαις ὑποθέσεσι mancipatum habent calamum; illis non sunt absimiles, qui diuturna site pressi, fæces etiam hauriunt; Quæ tamen servilis supparusitandi κακοήθεια meritò bonis omnibus displicuit, & explosa semper fuit veritatis inimica. *Scriptores* (ita loquitur *Ar. Ferron.* præfat. in Hist. Gall. *horum temporum & vulgares & eruditi passim res ita narrant & contexunt, involucris ut rerum & verborum veritatis amicissimam simplicitatem tegant: potentiorum ut auribus omnia data prudentes rerum æstimatores intelligant, totáque mente*

mente in ea cogitatione. curáque versari videmur, ea demum ut literis mandent, quæ illis grata sunt, & ad id, unde aliquis flatus ostendi potest, vela dant, ut quam lucem veritatis, vitæ memoriam, nunciam vetustatis Historiam sapientissimi homines dixerunt eam (quo ad ejus fieri potuit) artificiosum mendacium, corruptelam disciplinarum reddunt. Hanc laborum suorum mercedem deportant, qui dum uni servire volunt, offendunt omnes. Ut nempe offa ori injecta linguæ, ita partium amor & studium calami usum intercipit. Sed cave, credas, nos veniam facere Historiographo simulandi & dissimulandi, flandi & sorbendi simul. Nolumus, Historicum esse ἀμφίβιον, aut Apollinem Flexiloquum, qui ubique fluctuet, mussitet, nihil exprimat, nullum habeat portum; qui dum omnibus placere studet, placeat nulli. Portus veritatis quærendus illi, qui non vult παντὶ ἀνέμῳ διδασκαλιῶν ῥιπίζεσθαι *omni doctrinarum vento jactari.* Illud verò intendimus, ne ut errores foveamus, infirmitates probemus (excusare humanitatis, officij sæpe est) ipsam invitam Historiæ veritatem, & reluctantem experientiam libidini nostræ servire cogamus.

mus. Quod quidem in Baronio cultores ejus & admiratores maximi obſervârunt. Ut autem fuga hujus προσπαθείας veritatis odium generare non debet; ita neque ἐπιείκεια à lectione Hiſtoriarum abeſſe poteſt. Fit nonnunquam, ut in virorum præclarorum enarrandis virtutibus, quàm detegendis nævis (quos quidem non elevamus; tegere tamen, & excuſare, quàm detegere, & exaggerare καθ' ἐπιείκειαν malumus) ſimus prolixiores. Id quod inter veteres ne Polybius quidem improbavit. *Non tum* (inquit lib. 2.) *Hiſtoriæ proprium eſt ſcelera atque flagitia hominum, quàm quæ juſtè honeſtéque facta ſunt commemorare, & qui Hiſtorias legunt plùs utilitatis ex rebus, ſtudio & æmulatione dignis, quàm ex iniquis & fugiendis conſequuntur.* Et quemadmodum, ut auram captemus popularem, amorémve Lectorum alliciamus, ſcenæ propterea non ita inſerviendum, ut patrocinium bonæ cauſæ deſerendum; ita contrà ubi vel cogente neceſsitate, vel urgentibus rationibus, illam prolixiùs tractamus materiam, hanc ſuccinctiùs; de illa operoſius loquimur, de hac contractiùs; tanquam affectatum partium ſtudium traduci

duci non debet. De Zuinglio, verbi gratiâ, plura, fateor, à me dici poterant, debebant etiam; quàm de Reformatorum ullo alio. *Poterant*, quòd ad manum essent subsidia authentica & ἀνέκδοτα (quæ enim in omnibus obvia essent forulis, indigitare malui, quàm exprimere) quàm de quocunque alio. *Debebant* verò, quod reliqui, Lutherus præsertim, suos ubique haberent Homeros, præcones, encomiastas, qui publicis, ijsque frequentissimis, illis parentârunt scriptis; id quod Zuinglio non obtigit, veluti in ipsa ostendimus Historia. Accedit, quòd surdis ante hac narrarentur auribus, quæcunqne in Zuinglij vel favorem, vel encomium, optima fide, nec absque officij ratione dicebantur. Temporum ergo injuriæ, vitæque brevitati imputandum, quod vel rariùs, vel seriùs, vel breviùs, magnus ille Heros, pro merito, innotuerit. Accedit multorum importunitas, qui mortuo insultantes, calamo felle ubique tincto meritissimi ubique detrahere conati sunt famæ & existimationi Reformatoris: ut queri planè nobis liceat & lamentari cum *Andronico Palæologo*, Græcorum Jmperatore: *Sæpe*, inquit, *mecum miratus sum, quò fieret, cum*


cum plerisque mortalium quietam, & tranquillam prorsus agere vitam liceret, ac plurimos habere, quibus admirationi essent, nullos verò penitus inimicos; ut ipsi ad quosvis proscindendos propensi, linguas improbas, futiles, & contumeliosas ultro exacuerent; idque nulla sæpe occasione data, quæ ad hujusmodi maledicentiam jure illos incenderet. Illos verò magis etiam sum miratus, qui Imperatores simul & Patriarchas falsis maledictis incessere, ac impudenter proscindere audent. Sed hi admiratione omnium maxima me affecerunt, qui tam falsa maledicta sua mandare literis non dubitârunt. Nam convitia, quæ lingua proferuntur statim aura dissipat. Quæ verò scribuntur, & libris imprimuntur, diutiùs & graviùs eos, quos læsere, injuria premunt: authoritate à scriptura petita, & longo tempore se jactante.
Incus ejusmodi verberum & convitiorum Zuinglius noster esse debuit ijs etiam, quibus & optimè voluit, & benefecit. Multi magni esse potuissent, nisi intolerabili convitiandi pruritu laborantes, alijs occasionem præbuissent in theatro ostendendi trabem habere


habere in oculis, qui festucam alijs exprobrarent. Quòd si ergò, in asserenda Zuinglij innocentia, recensendis virtutibus, vindicandis πρωτείοις prolixiores videamur, illud & legi ἐπιτζκείας tribuant, æqui Lectores & varijs necessitatis telis. Cogitent, non nostra esse verba, non obtorto collo rapta elogia; nullum partium studium; sed aliorum judicia, diu quidem satis recondita, jam verò magno cum fructu pariter atque jucunditate eruta; nec invidiâ cuiquam obstructuros, qui de cæteris magnis Heroibus, Reformatoribus fortissimis, plura & augustiora retulerit. Sed, ne Commentaria scribere videamur, colophonem imponimus. Vale decus Nobilitatis literatæ, ejus porrò memor, qui est

Tiguri d. 4. Augusti 1664.

Nobiliss. & Ampliss. Tui Nominis

observantissimus
JOH. HENRICUS HOTTINGERUS.











HISTORIAE ECCLESIASTICAE N. T.

SECULI XVI.

PARS. II.

Continens Historiam Reformationis

CAP. I.

De necessitate tam hujus Historiæ, quàm ipsius Reformationis, ejusque tum prodromis, tum gradibus: Erasmo, VVesselo, &c.

I. Hucusque de statu Ecclesiæ tam Orientalis, quàm Occidentalis Romanæ; ad eam nunc accedimus, quæ [a] Reformata appellari solet, id est, ad normam verbi Divini repurgata, nitoriq́ue pristino restituta.

[a] Non est *reformandi* vocabulum vel *Classicis* authoribus ignotum, vel etiam *Ec-*

 clesia-

clesiastici. In *illis* enim reperias, *Reformare*, esse in meliorem formam redigere. Quintil lib. 12.c.6. *Appollonio Meloni Rhodi rursus reformandum, ac velut recoquendum se dedit*. Unde *Reformatio*: *Apul.* in Hermetis Asclepio: *Hæc enim Mundi genitura cunctarum Reformatio rerum bonarum.* Sed & *Reformatoris* nomen putiori Latinitati receptum. Plin. lib. Epist. 165. *Multorúmque, qui aliqua componunt, portus, sinus, præmium, omnium exemplum, ipsarum denique literarum jam senescentium reductor ac Reformator*. In *his* obvium ferè est, ab illis potissimùm temporibus, quibus Consilia de Reformanda Ecclesia, ejus capite & membris, agitata fuerunt, usurpatum. Exempla vide *Histor. Eccles.* Sec.XVI. pag. 909.

II. [a] *Reformatorum* ergo deinceps retinere placet nomen, & *Reformatæ* Ecclesiæ; de cæteris vel [b] personalibus, vel διασυρτικοῖς, calumniosis, aut ignominiosis [c] Adversariorum Nomenclaturis parùm soliciti.

[a] Est enim vocabulum *Reformatorum*

ἐκ τῶν

ἐκ]ῶν πρὸς ἡ, terminos à *quo* comprehendens, *ad quem*, & *per quem*. Terminus *à quo*, est error, *per quem*, Scriptura sacra, *ad quem*, veritas. Est vocabulum, quod à novitatis intentato reatu Majores nostros absolvit. Non nova sunt nostra dogmata; sed renovata, restaurata, repurgata, emuscata, liberata ab adnatis multorum seculorum erroribus atque sordibus. Neque enim rejecerunt Ecclesiæ nostræ doctrinam Prophetarum, Christi, Apostolorum; sed humanas, quæ illam, musci instar, involverunt, traditiones, tanquam periculosas παραφύσεις, imò deformes strumas, à formosissimo Ecclesiæ corpore resecuerunt. Id qua ratione factum sit, ex singulorum capitum distincto examine, suo loco, patebit. Neque *Evangelicorum* displicet axioma, quod & nostris, & suis Ecclesijs tribuunt, Theologi Augustani, *Meyfartus*, *Huttenus* &c. Quin & *Orthodoxorum* nomen, ut discretivum, retinere possemus, nisi *Reformatorum* majors se hodie commendaret Emphasi, quod & morbum superiorum seculorum exprimit, & adhibitam medicinam ostendit. *Protestantium* nomen Historicum magis est, quám dogmaticum; non tamen nostratibus vel

inusitatum, vel molestum. Cúm enim anno. Ch. 1529. Ordines Imperij, in Conventu Spirensi convenirent, & jam tum spes esset concepta, Saxonem, aliósque Principes diremtum iri, ne quæ esset inter ipsos consiliorum communicatio, neque voluntatis consensio, & quoniam de Cœna Domini non eadem erat omnium & Civitatum, quæ Principum sententia, spem illi conceperunt, se posse, quod cupiebant, perficere: sed id frustra fuit. Decretum quidem Spirense dicitur: sed protestatione facta, unanimiter rationem reddunt, cur admittere illud non possint, nec etiam eos damnare, qui in doctrina de Cœna ab Ecclesiæ consuetudine abeant. Protestatio hæc originem dedit *Protestantium* nomini, quod non solùm in Germania, sed apud exteras quoque Gentes pervulgatum est, & celebre; *Sleidan.* l. 6. pag. 72. Acta autem hęc fuit Protestatio à Johañe Saxonię Duce, Electore, Georgio Brandeburgico, Ernesto Luneburgensi, Philippo Landgravio Hassiæ: Civitatibus Argentina, Norimberga, Ulma, Constantia, Reutlinga, Winshemio, Norlinga. In hac Protestatione illud diligenter notandũ, quòd, licèt in Comitijs istis Pontificij hoc potissimùm egerint, ut Zuingliani nominatim damnarentur, non potuerint

ta-

tamen hoc, tunc quidem, sicut postea etiam, semper efficere: Plerique enim tum Principes, tum Theologi ab illegitima ejusmodi damnatione abhorruerunt. *Quid de corporis atque sanguinis Christi præsentia* (verba erant Protestantium) *suis in Ecclesijs doceatur, omnibus constare, nec longiori opus esse explicatione. Sed tamen quod antea sæpe dixerint, nunc etiam sibi videri, nondum esse videlicet in illos, qui secus doceant, ejusmodi faciundam Decretum, eò quod Cæsaris diploma nullam ejus faciat mentionem: deinde quod ejus doctrinæ defensores neque vocati sint, neque auditi: quàm autem non sit decorum, nec æquum, in rebus tam arduis aliquid ullo tempore statui, non auditis ijs, quorum interest, etiam atque etiam esse considerandum.* De hoc conatu, inauditos, Spiræ damnandi, extat querela Oecolampadij, & Melanchth. responsio, *Hospin.* P.II. Hist. Sacram. pag. 68.

[b] Cujusmodi sunt *Zuinglianorum, Lutheranorum, Calvinianorum*, &c. Quæ ceu Schismatica à viris magnis meritò rejiciuntur, tum quòd Sc.S. repugnent, 1. Cor. 1. 12. 13. c. 3. v. 4. 5. 6. 7. tum quòd magnarum

 in

in Eccleſia vel turbarum, vel novitatum præbeant materiam. *Novum* eſt, nulla vel veteris vel N.T.pia praxi probatum, denominationes ab hominibus ductas, Eccleſijs vel Synagogæ præſcriptas fuiſſe. Eo demum tempore, quo Judaiſmus declinare cæpit, & varia in eo exorta Schiſmata, tale quid contigiſſe animadvertimus. Hinc *Zaducaorum, Hillelianorum, Schammnitarum* &c. Rabbanitarum nova Nomenclatura, cui Servator apertè reſtitit Matth.23.8.10. Id cùm poſtea Chriſti diſcipuli, in Doctoribus ſuis imitari voluiſſent, graviter fuerunt reprehenſi 1.Cor.1.12.13. *Scandaloſa* eſt hæc ὀνοματοθεσία, tum illis, qui ſunt *in* Eccleſia, tum *his*, qui ſunt *extra* Eccleſiam. Et *illis* quidem, quia vident, Chriſtum ſcindi, hominibus tribui honorem periculoſum: Adverſarijs calumniarum & cavillorum materiam objici, infirmos offendi, æmulationes & contentiones foveri. *His* verò, dum eam, ut regnum in ſe diviſum, ſpectant, ab illorum communione abhorrent, qui inter ſe communionem nec habent nec fovent, & cultum, quem profitemur, non à Deo, ſed ab hoc vel illo homine, cujus nomen præſcribimus, inſtitutum cenſent. Multarum inſuper conten-

contentionum *architectonica* est. Neque enim aliunde major alienationis animorum causa, quàm si in hujus vel illius Doctoris verba juremus, eos, velut antesignanos veneremur, in eorum disciplinam nos demus, eorúmq; dicta & scripta mordicus tueamur. Ne ipsi quidem Augustani Confessores negant, paci Ecclesiasticæ sanciendæ quicquam esse adversum magis, quàm præscriptionem ejusmodi nominalem. *Meyfarti* querelam dedimus in *Primit. Heidelb.* pag. 108. ubi de odiosa nominum præscriptione ex professo egimus. Adde, quòd ipsi Reformatores periculosum illã Nomenclaturam deprecati sint, Vid. *Zuing.* T. 1. p. 38. b. c. *Vedel.* Exer. Epist. ad Magnes. c. 10. *Nos inter Hæreticos reponit, & dicit, nos vocari* Martinistas, Lutheranos, Zuinglianos. *Nos autem, inquit, ab aliquo certo homine nemo unquam vocavit. Notoriam injuriam nobis facit. Scit, Lutherum quosvis graviter obtestatum esse, ne suum usurparent nomen (Lutheri verba sunt:* Primùm oro, ut nomen meum taceatur, & nemo Lutheranus, sed Christianus appelletur) *scit, neminem unquam se Calvinianum, aut Zuinglianum*

 num

num vocásse, atque eorum imbecillitatem improbari, qui hoc nomine gaudent. Si tamen quæ huic factiosorum nominum præscriptioni favere videantur, eruditè illa diluta sunt à *Spanhemio*, P. Syntag. Disput. pag. 309.

[c] Qualia sunt 1. in Gallia *Hugonotorum*, de quibus tamen ipsi nihil certi habent Gallici scriptores. Unde Huguenoti appellati fuerint, nec nos adhuc liquidò scimus, *Herald.* animad. ad Arnob. adv. Gent. l. 1. Fluctuat Geneb. ad ann. Chr. 1555. *Ex eo tempore, qui prius Lutherani dicebantur, per totam Galliam vocari cœperunt Huguenoti. Variatur autem,* inquit *idem, sententijs circa illud nomen Hugonotorum. Ajunt ab Hagunoa* (Haganoa illa est, de qua postea in Colloquijs) *civitate sic dictos, quæ est in Germania, ubi primum consilia sua inijssent, quodam nobile perdito Larenaudie utrinque promovente. Alij ab Hugone Rege, quòd primùm in Turronibus in porta quadam, ab ipso denominata in publicum prodire ausi fuissent. Alij denique ex eventu quodam, quòd in Legatione apud Principes Germaniæ sæpius inculcâssent,* Huc nos,

nos, Huc nos, Huc nos: *neque ulterius Orationem produxissent: Unde pro ridiculis ejecti ii, id nominis ridiculi omnium cachinnis reportâssent.* Ab Hugone etiam Rege deducit *Thuan.* lib. 24. a. Ch. 1560. propterea quòd Reformati ad conciones audiendas noctu, quia interdiu non licuerit, convenerint, ut Rex Hugo noctu pomeria civitatis obequitare, & obvios homines pulsare & rapere, ad terrorem infantibus incutiendum, habebatur. 2. *Gueusiorum, Geneb.* a. Ch. 1572. *Calvinistae ex hoc tempore Gueusiorum, hoc est balatronum nomen retinuerunt.* 3. *Lolhardorum* in Anglia antehac satis notum erat nomen, Wiclefi cumprimis discipulis tributum, nec à voce Lord, quod semper ingeminarent, nec à lolio, quod alijs placet, sed à Lollhardo deductum. Vid. Glossar. Somner. ad Hist. Anglic. Scriptores, Consort. felix Leighij pag. 21.

III. Ut autem de Ecclesiæ Reformatæ Natura & Conditione meliùs nobis judicare liceat, ipsam distinctè Reformationis Historiam proponere, ejúsque, ex Majorum [a] monumentis, non τὸ ὅτι tantùm, sed & διότι & καθότι examinaturi, eruere fert animus.

[a] Id quod cumprimis hac nostra ætate est necessarium, tum propter ipsos *Reformatos*, tum etiam *Reformationis Adversarios*. *Reformatorum* refert nôsse, tum necessitatem Reformationis, tum ejus modum & amplitudinem. Nemo nostrum, magno Dei beneficio, eas superioris seculi vidit calamitates, quibus tum Religio & pietas ubique ferè terrarum fuit afflicta. Cùm, ut Majores, testes oculati non simus, auritos saltem esse non pœniteat. Et quanquam non desint præclara magnorum virorum subsidia, quibus Historia Reformationis multum, debet: quibus etiam omnibus honos suus manebit, suúmque decus illibatum: quoniam verò ut plurimum, qui ad describendam Historiam illam appulerunt animum, hoc potissimùm egerunt, ut vel *quid*, vel *quando*, vel *quomodo* Reformatum sit, tantùm ostenderent; vel *externam* potiùs & accidentalem *Ceremoniarum*, quàm *internam* & *substantialem* dogmatum *κατάρτισιν* curæ haberent; vel *κατὰ πλάτος*, & in genere tantùm *substantiam* attingerent, placuit hæc omnia simul, Methodo facili & nova, complecti, illa paulò distinctiùs commemorare, totúmque Reformationis negotium

ad

ad particulare examen vocare. *Prodromos*, igitur enarrabimus *cauſas*; Efficientes, Materialem, formalem, finalem; *ſubjecta, Adjuncta, oppoſita.* Ita brevitati; quantum fieri poterit; ſtudebimus, ut nihil interim eorũ, quę ad rem fecerint, ſimus omiſſuri. Moderationis etiá & ſedatę ſcriptionis, quoad licuerit, habebimus rationem, rem *ἄτερ πικρασμοῦ* exhibituri, ut de modeſtia noſtra queri nemo, ut ſpero, poſsit. Sed & *Adverſariorum* multorum importunitas hanc nobis imponit legem. Vix quicquam hodie crebriùs pulſatur, quàm Majorum noſtrorum in Reformatione violata fides. Nova indies promuntur tela, nova argumenta emergunt, quibus neceſsitatem Reformationis in dubium alij vocare volunt, alij Methodum & *ἀταξίαν*. Multa vel elevantur, vel negantuntur, vel etiam in ludibrium & jocum vertur, quæ gravitatem requirunt. Alijs multi cogitant perſuadere, nobis obtrudere, remotiores nos eſſe à ſuperioris ætatis praxi, quàm qui ſolidè de illa teſtari poſsimus. Hæc ergò clava ut extorqueatur illis, ad mutos accedendum præceptores, ad eorum dicta & ſcripta, qui rebus geſtis vel adfuerunt, vel præfuerunt, quorum ſingulari Dei providentia,

dentia, non contemnenda nobis relicta est supellex. Habet hæc tractatio & hoc commodi, quòd discrimen inter præsentem & præteritum Papatum rectiùs inde capiamus. Observatum enim est, non obscuram, in multis, Papatûs declinationem apparere. Specimen præbent novissimum colloquium Rheinfelssense, & disputatio *Valeriani*, Capucini. Fatetur hic, primò, se authoritatem Pontificum Romanorum non posse ostendere ex solo textu sacro; inde, nullam in Biblijs fieri mentionem Pontificis Romani: Neque ex sola authoritate Ecclesiæ posse confirmari illam thesin: Nullum præterea inter Ecclesiastica decreta se scire, quod Pontifici Romano expressè tribuat infallibilitatem authoritatis: Patres tantùm Florentinæ Synodi, Romani Pontificis primatum definivisse; neque tamen eosdem Patres verbis expressis Pontifici infallibilitatem tribuere. Imo nec definitione illa, neque argumento Theologico inde facto, neque quocunque ejusmodi alio illam Papæ authoritatem irrefragabiliter probari posse. Ad miracula tandem recurrendum. Hæc à superiorum seculorum Papatu plane aliena esse, suo loco monebimus. Illud cumprimis, quod idem largitus est Valerianus:

Si

Si Diabolus ipse afferret contra universam Ecclesiam unicum textum Sacrum, quem Ecclesia universa violaret, crederem Diabolo contra Ecclesiam, nedum Luthero, quantumcunque infami: quâ propter cum meis Socijs, & universa Ecclesia Catholica profitemur, protestamurque, nullam esse sub Deo auctoritatem contra textum Sacrum. Hæc & id genus alia de Scripturæ authoritate, justificatione gratuita, Valeriano semel atque iterum exciderunt, quæ veteribus impunè scribere non licuisset; de quibus consuli potest *Hornbeck*. Sum. Controvers. pag. 303. &c. Mittimus jam, usu & temporis flexu, ea vilescere, quæ magno Majoribus nostris labore constiterunt. *Mornai libros* (verba sunt Nobiliss. viri, Ottonis à Grunrad, ad Stuckium nostrum a. Ch. 1599. scripta) *de Missa, nisi alij nos prævenerint, curabimus Germanicos fieri. Latinos, ut audio, auctor ipse faciet. Minus certè nunc, quàm antea detestatur Germania nostra blasphemias & Idololatriam Pontificiam. Ideo præstat tales edi & legi libros, quàm concertationes illas mutuas Evangelicorum.* Atque hæ quidem potissimæ sunt rationes,

tiones, quæ ut de tot magnorum virorum calcaribus nihil dicamus; animum nobis addiderunt, ut hanc etiam, quæ ordine sequitur, Historiæ Ecclesiasticæ partem non relinqueremus intactam.

IV. Antequam verò ad ipsas ordine Reformationis accedamus causas, *de necessitate* quædam ejus præmittemus, *& prodromis*.

V. *Necessitatem* satis evincit, multiplex, qui orbem Christianum infestavit, morbus, quo & dogmatum puritas labefacta fuit, & morum corrupta integritas.

VI. *Necessitatis* demonstratio vel *generalis* est, ratione Subjecti, vel *specialis* ratione Materiæ.

VII. *Generalis* ostendit, morbum hunc fuisse Epidemicum, qui per omnes se diffudit status & ordines, [a] *Politicum*, [b] *Ecclesiasticum* [c] *Monasticum*, [d] *Scholasticum*, & [e] *Oeconomicum*.

[a] *Reipublicæ* enim sua perierat libertas, tum per Papæ cæterorúmque Episcoporum ἀλλοτριοεπισκοπίαν, tum per cleri immunitatem

tem à ſubjectione Magiſtratus, & omnibus planè oneribus civilibus. Hinc cruenta illa bella, perpetui in Eccleſia Romana motus, de quibus prolixè in præcedentibus tomis á nobis actum eſt; compendiosè verò peculiari de *Reformat.* Neceſſ. diſſert. pag. 70.

[b] *Eccleſiam* vexavit in ceremonijs ἐθελοπερισσοθρησκεία & Magia, in dogmatibus apoſtaſia, in cultu Idololatria, in vocatione Eccleſiaſtica Simonia & fraus, in regimine tyrannis, in præconio verbi Hiſtrionica profanatio, in reliqua officij functione negligentia, *αἰσχροκερδίαι*, impietas; in clero ignorantia, faſtus, ſimultatum ſtudium, ſumma denique in vita licentia. Exempla magno dedimus numero, *diſſert.* cit. pag. 27. *Hiſt. Eccleſ.* Sec. XVI. p. 644. & deinceps.

[c] *Monaſteria* ex Muſarum domicilijs, pietatis phrontiſterijs, honeſtatis gymnaſijs, in carceres ſqualidos, inſcitiæ & deſidiæ receptacula ſunt converſa. Probatio abundè patet, ex ijs quæ diximus tum alijs Tomis Hiſt. Eccleſ. tum præſertim Sec. XVI. p. 308. & deinc. *diſſert: de Neceſſ. Reformat.* pag. 22.

[d] In *Scholas* invaſit bonarum literarum ignorantia, Philoſophiæ ſobriæ neglectus,

Lingua-

Linguarum tædium, Theologiæ profana tractatio, & Bibliorum sacrorum contemtus. Quod ipsum pluribus palàm fecimus documentis, aliquot *seculis*, hinc inde, maximè XVI.p.117. &c. De *Necess.* Reform.p.5. Quibus addi potest Confessio *Alphonsi de Castro* l.1.c.4. adv. hær. *Martini Becani* Jesuitæ, & Episcopi Bitontini, Cornelij Mussi; quæ in seruimus Bibliothecar.nostro p.188. & 373.

[e] *Oeconomia* magnam passa fuit cladem, à Monachatu præsertim, qui mutuam parentum & liberorum στοργὴν tollebat, facultatibus aliorum inhiabat, multisque adeò familijs præsentissimam ruinam afferebat. Videatur. *Dissert. de Necessit. Reformat.* p.79. Addantur & querelæ de Monachorum tum φιλαργυρία, tum πολυπραγμοσύνη, quæ hinc inde in Historia Ecclesiast. & Hodegetico nostro præsertim P.II.c.2. & P.III. c.2. referuntur.

VIII. Ita habet demonstratio Necessitatis *Generalis*; specialis commodo sequetur loco; ad [a] prodromos igitur accedimus, qui varij sunt, potissimùm autem, ut de [b] fatidicis nihil dicamus, [c] præparatorij.

[a] Ex-

[a] Extant 1. varia tam *literarum*, quàm *literatorum* vota pro Reformatione, quam ſua quisque ætate futuram ſperabat. Hæc tempore *Friderici* comunis fuit opinio, de qua *Analect.* pag. 82. Unde etiam 2. tot παραινέσεις, de ſtatu Eccleſiaſtico emendando. Videatur inter alia *Secul. XV.* pag. 344. *Querelæ* cumprimis 3. tantò plures, ob calamitatem Eccleſiæ, fuerunt auditæ, quantò major indies eruditorum crevit numerus.

[b] Quibus ferè abundant lectiones *VVolphij* memorabiles, author *Catal. Teſt. Veritatis*, & *Rhonæus* in idea Reform. Mitto, *Huſſum* rogo imponendum, Reformationem prædixiſſe. *Huſſum* (*anſerem* non Bohemis modò notat, ſed & Hebræis, Arabibus vox uſitata אוז) *crematis, poſt centum annos Cygnus veniet, quem comburere non poteritis*; dicebat, cùm Conſtantiæ conſtantiſsimus Martyr cremaretur d. 6. Julij 1415. Prætereo, eundem eſſe annum, quo Johannes Hilten, Jſenaci Franciſcanus, initium rè inclinantis ſuperſtitionis prędixerat, quod ſe vidiſſe vaticinium, Hilteni manu ſcriptum, Melanchth. teſtatur, altero Epiſtól. l. Habeo Epiſtolam Farelli an. Chr. 1556. ſcri-

ptam, ubi inter alia ad Pellicanum: *Pius senex, Jacobus Faber, quem tu novisti, ante annos plus minus quadraginta, me manu apprehensum ita alloquebatur:* Guilelme, oportet orbem im̃utari, *& tu videbis dicebat. Ego tunc charus eram seni, & perrexit mihi ut pater esse. Sed nihil erat nisi ipsa superstitio, in qua seni adnitebar accedere aliquantum. Nam æquare vix poterat quisquam, tantùm abest ut vinceret. Sanè stupesco, quando cogito insanam tanti viri superstitionem, qui vel floribus jubebat Marianum Idolum, dum una soli murmuraremus preces Marianas, ad Idolum, ornari: In Missa omnes vincebat. Tandem aliquid lucis cœpit intueri; sed quanta caligo adhuc restabat? Demum coactus Galliam deserere, Argentoratum descendit, ubi virum* com̃onefeci eorum, quæ olim prædixerat, & jam tempus instare dicebam, *quod & pius senex fatebatur, méque hortabatur, pergerem in annunciatione sacri Evangelij. Mitto* generalia illa vaticinia, quæ tamen & ipsa ad Reformationem alludere videntur. Extat Prophetia *Msc.* An.1342. civis cujusdam Erfordiensis, quam D. Pomeranus Lu-

becca

beccâ ex antiqua attulit Bibliotheca, an. Chr. 1542. quæ an. Chr. 1518. eam in Ecclesia & Politia, ob clericorum licentiosam vitam, tribuit mutationem, cui eventus per Reformationem in multis respondit. Hæc inter alia verba extant: Wann man zellen wird 1518. dann wird sich erheben ein groß mächtig ding in disem Lande / daß wird krafft vnd gewalt über alle ding von ihm selbsten haben / vnd wird also starck seyn / daß es keinen gewalt leiden mag: Dann es ist vnd wird sein über allen gewalt / vnd welcher ihme mit gewalt will entgegen handlen / der sehe sich für / der wird gewalt leyden. Hanc etiam prædixisse mutationem *Nicolaum Cusanum*, *Johannem Lichtenbergium*, *Joachimum* Abbatem, *Hildegarden*, *Brigittam*, *Andream Prolem*, Augustinianorum Provincialem, ab alijs observatum est. *Mitto* etiam, quæ de successu statim emergentis Reformationis bene sunt ominati, in ipsis claustris, Monachi. Cùm an. Chr. 1517. primùm themata 95. de Indulgentijs, occasione Tezelij; cujus manu subscriptum adhuc habemus exemplar; publicè Wittebergæ Lutherus affixisset, *Albertus*, quidem *Cranzius* Historicus, qui paulò post obijt, dixisse fertur: *Frater vade in cellam, & dic. Miserere mei*

Deus; significans, conatum tantæ rei irritum fore, *Chytr.* At *Monachus* quidam in Saxonibus propè Bitterfeld conversus ad sacrificulos: *Ha, ha, inquit, venit jam is, qui vos rectè tractabit.* Dress. Varia somnia, Naturæque prodigia, quæ magna instare fata Majores nostros dubitare non sinebant, alijs etiam relinquemus; ut cùm *Antoninus Musa*, ex relat. Spalatini, Elect. Confess. refert, Fridericum Electorem uno die, proximè antequam Thecelium Lutherus impugnaret, ter successivè somniâsse, Monachū, comitatum Sanctis, ad se venisse de cœlo, consensum, ut quædam ostio Academico inscriberet, petijsse, scripsisse autem tam literis insignibus, ut scriptura etiam Suidniciæ legi posset: Finem calami Romam usque se extendisse, utramque aurem Leonis ibidem jacentis penetrâsse, inde ad coronam tricipitem Pontificis se exporrexisse, eam adeò comovisse, ut casura esset. Audivisse verò, pennam istam accepisse ex ala anseris Bohemici. De eodem; cui ob constantiam, qua & liberationem ex captivitate, ne Interimisticam formulam probare deberet, *Constantis* nomen à suis fuit tributum; ex fide dignorum sermonibus accepisse se, testatur, & tan.

& tanquam rem ab alijs non observatam comemorat *Buchholzerus* an. Chr. 1503. na scenti ei visam esse in dorso crucem, aureo colore fulgentem, quam ubi conspexit à matronis aulicis accersitus Sacerdos, pro omine illud arripiens, *Hic puer*, inquit, *crucem gestabit toti orbi conspicuam, cujus indicium tam manifestum in ipsius ortu sese exerit.* Balæus de script. Brit. Cent. 8. pag. 637. refert, Leonem an. Chr. 1521. quo Rhodum expugnavit Solimannus, in ipsis Christi natalibus, dum suum exiret conclave, ad primam in aurora Missam celebrandam, subitò post tergum ejus tectum quoddam marmoreum, pulcherrimè extructum cecidisse, ac multos ex satellitio ejus inde perijsse. Hæc, cæteráque initio Sec. XVI. jam enarrata Naturæ prodigia, mutationisque fatalis non obscura omina, vel obiter attigisse satis sit; quæ tamen non esse contemnenda, ex præcedentium seculorum Ecclesiæ & Naturæ συμπαθείᾳ observari posset.

[c] *Præparatoriorum* nomine veniunt tum *literæ*, tum *literati*, quibus melior hac ætate affulgere cœpit sors. Et de *literis* quidem constat, A. E.is, *ringentibus licèt Monachis, tractatas fuisse, magno studio Græcas & Hebrai-*

cas Reuchlinus reduxit; *Syriacas & Arabicas* Theſeus, Widmenſtadius, &c. *Philoſophiam* Agricola, Valla, Melanchthon, alij. Omnem eruditionis Oceanum penè exhauſerunt Eraſmus, Picus Mirandulanus, & alij de quibus Sec.XVI. pag.966. B. *Magno eiusdem compendio* cōmunicari potuiſſe, invento eam in rem & jam expolito ſubſidio Chalcographico, de cujus ortu diximus *Hiſt. Eccleſ.* Sec. XV. p. 44.45. &c. C. *Mæcenates paulatim liberalitate, antehac inaudita, abſtruſiores & Reformationi non uno modo profuturas promoviſſe literas.* Unde decantatum illud opus Biblicum *Complutenſe*, quod inter Reformationis prodromos merito magni viri habuerunt. Prodijt an. Chr. 1515. quadrilingue Hebraicè, Chaldaicè, Græcè & Latinè; anno mox ſequenti 1516. Eraſmus N.T. dedit tranſlationem Latinam cum ānotationibus. D. *ſcholaſticorum & canoniſtarum Dictaturæ* multum deceſsit, adeò ut qui modò ad gubernacula imperarent, ad ima jam fuerint detruſi ſubſellia. Artes *Scholæ* feliciter derexerunt *Eraſmus, Vives, Zvinglius, Lutherus, Melanchthon, Bullingerus,* alij.

Literati verò ipſi quò majori polluerunt, in Republica literaria, authoritate, eò confiden-

dentiùs ulcus tetigerunt; ſuis ubique querelis & increpationibus neceſsitatem Reformationis haud obſcurè innuentes. Ut autem *Reformationem ſubjecti*, reſpectu recipientis, Eccleſia flagitavit, Republica, Schola & Oeconomia; ita ratione *objecti* medicinam requirebant *dogmata, ritus, & regimen Eccleſiaſticum*. Omnia hæc graviter laborâſſe poſtea videbimus; unius jam tantùm & alterius authoritate acturi, probabimus, in ea majores noſtros incidiſſe tempora, quæ omnium judicio παλιγγενεσίαν deſiderârunt. De *Eraſmi* calculo dubitas? Præfationem ejus lege in N. T. Paraphraſin, & colliges, neglectum Scripturæ, qui in Eccleſiam jam tum irrepſerat, omnino fuiſſe emendandum. Præloquium in Hieronymum percurre, & obſervabis, Monachatum ſuam prorſus perdidiſſe faciem. Adagia volve atq; Moriam, & animadvertes, Scholas, Templa ſuperſtitione & ignorantia fuiſſe infecta; repurganda proinde & nitori ſuo reſtituenda. Inſignem de militia Chriſtiana librum inſpice, & judicabis *Apoſtaticos* (ut *Genebrardi* utar verbo) plures in Eccleſia tum fuiſſe Miniſtros, quàm Apoſtolicos. Fateor, Eraſmum 1. *Craſſos faciliùs Eccleſiæ vidiſ*

se errores, quàm subtiles, & de abusibus potius ceremoniarum corrigendis, quàm abolenda periculosa dogmatum novitate fuisse solicitum. 2. Reprehensum etiam semel atque iterum à Clero, quòd aliud dictum in ipso, aliud intellectum animadverterunt. Unde *versatilem* ei Linguã & calamum tribuit Bzovius, an. Chr. 1519. Iesuita Forerus eadem de causa ipsum *ambiguum* (zweydarm) appellant. 3. *Noluisse eum scapham appellare scapham in abstrusioribus fidei mysterijs.* Hinc metus ei objectus à cordatioribus, quem diluere sategit *Epist.* ad Cantones Helvet. Badæ congregatos, an. Chr. 1526. *Isti impudenter objiciunt timiditatem: Si dissentit, inquiunt, cur non scribit contrà, quasi consentiat quisquis non scribit in adversum &c.* 3. *sive prætextu pacis, sive amore quietis tam periculosæ aleæ negotium aggredi horruisse.* Epist. 2. l. 1. Par. 6. *Quod dicunt quidam, morbum fuisse graviorem, quàm ut levi pharmaco sanari possit: turbandum fuisse corpus efficaci remedio, quo mox succederet sanitas. Hoc si verum est, per alios ego fieri malim, quàm per me.* Et ad Petrum Barbirium 13. Augus. 1521. *Ego à pauculis* (Lutheri) *pagellis degustatis, visus sum mihi*

hi

bi subodorari, rem exituram in tumultum. Et mihi sanè adeò est invisa discordia, ut veritas etiam displiceat seditiosa. Primus omnium admonui hominem literis, ut rem Evangelicam, Evangelica mansuetudine moderationéque tractaret. Equidem ut mihi videre videor, esse quædam in Ecclesia recepta, quæ magno religionis Christianæ bono mutarentur, ita nihil placet, quod hujusmodi tumultu geritur. 4. *Reverentia & splendore Ecclesiæ Romanæ impeditum, ab ejus communione externa discedere non voluisse.* Hæc omnia in Erasmo observamus ἠθήματα. Certum interim est, a. *Multum ejus & authoritate, & eruditione, ingenuitate denique Reformationem fuisse adjutam. Authoritate* effecit, ut libri ejus avidè legerentur. *Eruditione* autem Theologiam *Biblicam*, & antiquitatis studium facilius reddidit. Nam & *versionem* ei debemus N. T. accuratam in plerisque paraphrasin, insignes in obscuriora loca observationes; & Patrum, Augustini cumprimis & Hieronymi, castigatas Editiones. *Ingenuitate* denique, quâ, quæ in Luthero essent probanda, non semel ingenuè fuit fassus. Epist. 1520. ad Moguntinum scripta, monet inter alia,

à Monachis (ita *Ursp. Paral.* pag. 455.) & Theologis damnata, tanquam hæretica in libris Lutheri, quæ in Bernhardi Augustinique libris ut Orthodoxa, imò & pia leguntur. Mundum oneratum humanis institutionibus; oneratum opinionibus & dogmatibus Scholasticis: Oneratum tyrannide fratrum Mendicantium; qui cùm sint satellites Romanæ sedis, tamen eo potentiæ ac multitudinis evadunt, ut ipsi Romano Pontifici, atque ipsis Regibus sint formidabiles. *Epist.* lib. 12. ad Rect. Academ. Erfurt. *Multa præclarè monuit Lutherus Impium sit, illum in his, quæ rectè dixit, prorsus indefensum relinquere: ut posthac nemo sit, qui verum ausit proloqui. Non est hujus conditionis, nec hujus ingenij de illius doctrina pronunciare. Hactenus certè profuit Mundo. Nonnulli sunt adacti ad evolvendos veterum Theologorum libros; alij quò sibi consulerent, alij quo Luthero negotium facesserent.* Epist. 2. l. 1. par. 6. *ut insanum sit omnia probare, quæ scripsit Martinus Lutherus, ita non placet authoris odio damnare, quæ vera sunt, ea depravare, quæ recta sunt. Ego ex omnibus lucubra-*

cubrationibus vix 12. legi pagellas, & tamen vix quenquam reperi adhuc, qui se dicat pœnitere legisse libros illius, etiamsi multa displiceant. b. *Nullis initio moveri potuisse rationibus, nullis minis aut pollicitationibus, ut calamum contra Lutherum suum mutuaret.* *Quanquam* animus non defuisse videatur, suppeditandi consilia, quibus res Pontificis contra Reformatorum conatus stabiliri potuissent. Non illa jam tango, quæ, toties impressa, obvia ubivis sunt; hæc eruere placet, quæ hoc nomine ad Erasmum scripsit Episcopus *Verulamius*, Pontificis ad Helvetios & Rhætos legatus, qui Constantiæ sedem tum fixerat. *Si placeret*; scribit Constantiâ d. 22. Octob. 1523. *illa, ad coërcendum Lutheranum tumultum, consilia interea mihi aperire, quæ jam Sanctæ mem. Adriano VI. significâsset; vel revocer, vel remaneam, omnia futuro Pontifici unanimiter significarem.* Et 23. Septemb. ejusdem anni: *Si Reverenda Dominatio vestra excogitare posset remedia opportuna ad Lutheranam hæresin quantò citius extinguendam, de illísque S.D.N. informaret, méque, si placeret, certiorem redderet, arbitrarer, rebus*

&

& ejusgloria apud ipsius sanctitatem plurimum profuturum. Hæc posteriora ejus videntur studia fuisse, de quibus proinde optimi quique erant conquesti. Nam ipse Constantiensium Antistes *Ambrosius Blaurerus*, ad Zuinglium an. Chr. 1526. horum videtur Erasmi meminisse moliminum. *Legimus*, inquit, *Epistolam Erasmi ad Magistratus nostros, mirè placuit; nisi quod vehementer dolet, Erasmi res collapsas, ut nunc præsidium suum in illis tanta fiducia collocare cogatur, à quorum castris dudum transfugeret. Hæc Domini justa judicia, ut se ipsos tandem vel inviti prodant, qui toti mundo imponere conantur.* c. *De ipsis Reformatoribus non ita malè Erasmum sensisse.* Cum *Zuinglio* ei satis amicè convenit. Habeo adhuc Epistolam ipsius Erasmi manu ad Zuinglium, anno incerto, sed sub ipsis, dubio procul, Reformationis initijs pridie Kal. Septemb. Basil. datam, ex qua nonnulla, quæ instituto nostro inserviunt, utpote hactenus nondum edita, exscribam. *Ista* (quæ præmisit de Lutheri discipulorum *pervicacia mira*, ut ille quidem vocat) *me cogunt subdubitare de Spiritu illorum, quam ob causam*

causam, cui faveo, velim esse sincerum. Nullum monitorem ferunt: jure moniti, se referunt in partem diversam, ac involvunt hominem quavis occasione. Appellas me contatorem. Obsecro tu, quid velles me facere? Adhuc quæ scripsi, liberè scripsi. Et sicubi sum blandior, non prodo veritatem Evangelicam, sed assero quæ licet. De hoc Pontifice comparavi bonam quandam spem: Nunc vereor ne me fallat. Et tamen hunc admonui officij sui blandius quidem, sed ita credebam expedire. Scripsi illi privatim prolixam Epistolam liberrimè. Nihil respondet; vereor ne sit offensus. Eam si legisses, diceres me non esse blandum, quum se dat occasio. Et liberior essem, si viderem, me profecturum. *Dementia est tibi perniciem accersere, si nulli prosis. Ego florentissimam regionem reliqui,* ne miscerer negotio (NB) Pharisaico, nam alia lege non licuisset illic vivere. *Et ea est valetudo mea, ut non possim quovis loco vivere. Pontificia tyrannis his placet, quibus displicet Lutherus. Episcopos ex Patribus factos Principes profanos, & cum Monachis colludere, quis non videt, quis non dolet?*

let? Hæc mihi non uno loco dicta sunt. Satis admonui Episcopos, satis Principes vel in libello de Principe, homo nullius authoritatis. Quid me velles facere præterea? Etiamsi vitam contemnerem, non video quid esset insuper faciendum. Omnia recusavi quæ mihi hoc nomine offerebantur, ut adversus illum scriberem. A Pontifice, à Cæsare, à Regibus & Principibus, à doctissimis etiam & charissimis amicis huc provocor. Et tamen certum est, me non scribere, aut ita scribere, ut non scriptio sit placitura Pharisæis. *Non est opus ut testibus citatis jus tibi asseras admonendi mei. Eruditorum admonitio mihi semper fuit gratissima. Scripsit ad Oecolampadium Lutherus, sibi narratum, illum enarrare Esajam, me vehementer obstitisse,* quum nemo magis faveat Oecolampadio. *Addit mihi non multum tribuendum in his, quæ sunt Spiritus. Hoc quid sit non intelligo.* Adjicit, me veluti Mosen eduxisse ex Ægypto, cæterùm, moriturum in campestribus. *Utinam ipse sit Josua, qui perducat omnes in terram promissionis!* Et sub finem: *Lutherus scripsit ad Oecolampadium, mihi non multum esse* tri-

tribuendum in his quæ sunt Spiritûs, velim hoc ex te discere, doctissime Zuingli, quis sit ille Spiritus? Nam videor mihi ferè omnia docuisse, quæ docet Lutherus, nisi quòd non tam atrociter, quódque abstinui à quibusdam ænigmatis & paradoxis. *Precor, ut Dominus Jesus dirigat ac fortunet Spiritum vestrum.* Quid iterata phrasi velit Lutherus, *Erasmo in his, quæ Spiritûs sunt, non multum tribuendum*, ipse alibi explicuit, & quidem eo tempore, quo Reformatio nondum eruperat. Verba Lutheri dedimus ex Epistola quadam ejus αὐτογράφῳ in *Primit. Heidelb.* pag. 221. Exemplum verò ex *Erasmo* vide p.220. De *Oecolampadio*, quid senserit, familiari ad Zuinglium expressit Epistola, quod jam an.Chr. 1523. Oecolampadio ipsi, Zuinglius communicavit. *Erasmus*, inquit, *bis ad nos scripsit. de te honestam in utraque Epistola faciens mentionem: Una enim sic ait:* Oecolampadius apud nos triumphat. *Hinc nimirum parùm verum fuit, quòd de illo supra dictus apud nos narravit (me tamen non præsente) nempe ejus opera futurum, ut à Basilea explodaris, &c. Luthero* quantum

tum idem detulerit, infra audiemus. d. *optâssent tamen multi, ut arctiùs cum Reformatoribus sua conjunxisset studia*: Quod ut fieret, omnem viri graves moverunt lapidem, ne quid temerè aut præcipitanter prodiret, quod alterutrum offendere posset. *Ambrosio Blaurero*, Thomas, frater, Consul Constantiensis a. Chr. 1522. hunc in modum scribit: *Jactitant rumusculi, Erasmum bene sentire de Luthero, ac impensè nostro favere, quanquam nolit palàm in ipsius sententiam discedere, veritus nonnihil Episcopos suos. Deus bone, quid non possent Erasmus & Lutherus, si inter eos conveniret, si uno ore Christi Evangelium docerent! Malè me habet, quòd sunt atri nonnulli homunciones, inimici pacis Christi, qui summos istos viros, non sine maxima totius Christianæ Reipublicæ jactura, committere student. Frater D. Henrici Echingeri, fragmentum nuper misit Epistolæ Lutheri, ad quemdam Lipsicum, per omnia sacra illum obtestans, ut acceptum protinus exhiberet Erasmo, quem tum apud nos esse arbitrabatur; at verò cùm legissemus, intellectis insidijs, persuasimus homini, ne tam atrox facinus designaret.*

signaret, sed frustulatim potiùs discerperet, aut certè committeret Vulcano, propterea, quòd multa sibi scriptitant amici, quæ nolint efferri in vulgus. Fragmentum ad te mitto, quo planè intelligat Martinus noster, quàm non sit tutum literis omnia credere; neque adduci possum, ut credam, Lutherum hæc scire voluisse Erasmum, quum non ignoret, quàm sit irritabili stomacho, nec quicquam velit detrahi suæ authoritati. Et *Capito* ad Erasmum ann. Chr. 1519. *Martini, obsecro, negotium, in publicum nihil eleves. Nôsti, quantum valeat calculus tuus. Ex animo loquor. Expedit superesse famam Luthero: Dabitur animus reliquæ juventuti, ut aliquid audeant pro libertate Christi: Quanquam ipse multa in eo desidero. Curato, Lovanium ne obsit. Nos Tibi in officio continebimus Germaniam & Saxoniam, ubi Princeps potens Lutheri patronus, & florentißima Academia VVittenbergensis, tot Illustres viri, qui ex æquo favent Erasmo & Luthero. Nihil in votis potiùs habent adversarij, quàm Tuum in illum stomachum videre.*

Tibi cum suis addictissimus est. Omnes præstat habere infestos Theologos, quàm illius propugnatores. Sunt enim Principes aliqui, Cardinales, Episcopi, & Clarissimi quique Ecclesiasticorum, quibus cordi est negotium. c. *Ubi per omnia nostris non accessit Erasmus, non factum illud soliditate, aut robore causæ Pontificiæ, sed vel defectu luminis superioris, vel ex infirmitate humana, vel neglectu studij, nostra penitiùs Sacra penetrandi,* spe semper plenioris conversionis *apud optimos* quosque relicta. Certè multi non dubitâssent, quin, si superstes diutius fuisset, Erasmus, alia tandem mente, alio judicio se nostris probâsset. Digna sunt relatu in hanc rem verba *Johannis à Lasco*, manu propria Embdâ Phrysiorum an. Chr. 1544. ad Conradum Pellicanum hac de re scripta: *De Tuo in Erasmum animo non dubitavi unquam, neque ullam inter te & illum, cùm una essemus, simultatem deprehendere potui, nisi quòd, cùm doctrinam Oecolampadij de Cœna Domini, sibi nondum satis probari posse diceret, non ferebat, si quis se cum Oecolampadio idem docere affirmâsset, tametsi tu in doctrinam Oecolampadij tum propenderes, ille verò non tam damnaret illam, quàm*

quàm diceret potiùs, ſibi illam nondum ſatis probari poſſe, non ideò tamen amicitiam veſtram diſſolutum iri putabam; præſertim cùm Eraſmus ipſe pro ſua apud me libertate, non obſcurè teſtaretur, ſe certam habere non poſſe etiam (NB.) *doctrinæ ſuæ rationem: Fatebatur enim, eſſe quædam, quæ ſe in ſua ipſius doctrina offenderent; ſed ſe non habere rurſum, dicebat, quidquam ſolidum, cui inniteretur, ſi doctrina ſua ſibi mutanda eſſet. Et proinde ſe in veteri ſententia permanere malle affirmabat. Atque ita ego tum Eraſmum reliqui: Atque in eadem ſecum, ut verum fatear, ſententia quoque fui.* Nihil tamen dubito, quin Eraſmus haud dubiè, ſi nunc viveret, æquior multò nobis futurus eſſet. *Sed habet quiſque donorum ſuorum modum, ut non omnes poſſimus ubique omnia. Noſtrum eſt de iis nobis gratulari, quæ Deus, prout vult, juxta fidei noſtræ menſuram, conferre in nos dignatur. Ita & de Eraſmi donis, quæ ſanè & plurima, & maxima fuiſſe, negare nemo poteſt, gratulari nobis meritò, Deúmque in illis agnoſcere debemus. Si quid au-*

tem amplius assequuti videmur, id quoque à Domino nobis datum esse cogitemus. Quod ad illius Epistolas ad me attinet, fateor, illum liberè nonnunquam multa ad me scripsisse. tu enim ipse testis es; ut me amârit, ac tui quoque non rarò meminisse; sed putabat omnino, te authore id fieri, ut idem cum Oecolampadio sentire diceretur. Neque verò id tam grave erat, quàm ille grave videri volebat; sed hoc ille rebus suis vehementer noxium esse putabat, & nolebat praterea nomen suum hac opinione gravari. Deinde habebat fortassis instigatores suos, quibus id potiùs quàm Erasmo ipsi imputandum esse censeo. f. Eruditorum judicio, *Erasmum primum, in multis, fregisse glaciem,* magnóque propterea apud Reformatores & Reformatos fuisse loco. *Myconius* Lucernâ an. Chr. 1522. ad Zuinglium scripsit: *Proxima tua littera, quibus adeò rem gratam mihi fecisti, ut consequi verbis planè nequeam, prasertim quod scripsisti de Erasmo, de quo homine, ut est doctissimus, ita lubentissimè dicere audio, modò relatio fiat tanto viro condigna. Rumor est alioquin, Erasmum*

non

non ita omnibus modis convenire cum Luthero, minus cum Melanchthone, quòd ille quædam adferat contra scripta Erasmi, hic verò novas in Paulum moliatur Paraphrases. Vix credo, rem ita habere: In causa sunt multa; imprimis tamen, quòd fermè libris illorum adeò inter se convenit, ut Lutherus dicatur, ansam omnium, quæ hactenus fecit, ex Erasmi scriptis cepisse. Melanchthon verò in Rhetoricis suis adeò Paraphrases Erasmi laudat, ut sine pudore alias moliri non posset. Quod ipsorum etiam de opera, ab Erasmo præstita Reformationi, Pontificiorum est judicium; id quod ex alia Erasmi Epistola docuimus *Hist. Eccles.* Sec. XVI. pag. 286. g, *Ipsum tamen nonnunquam* Desiderium *desiderari in* Desiderio. Quod pro diversitate temporis luculentissimè in eo observatur discrimen. *Initio* Reformationis, & Reformatores amicè tractavit, & ab ijs dissentire noluit, & ijsdem etiam calcaria ad rem feliciter peragendam addidit. *Illud* & *istud* ipsiusmet asseruimus verbis, lit. c. *Hoc* inde patet, quòd, an. Chr. 1519. v. Cal. April. Lutherus litteris ad Erasmum datis amicitiam ejus ambiverit. Cui Erasmus Lo-

vanio amanter valde reſpondit, & laudatis Lutheri comentarijs Pſalmicis, expoſitóque judicio clarorum per Angliam virorum de lucubrationibus ejus honorifico, ad civilem in ſcribendo & diſputando modeſtiam Martinum revocavit. Qua de Epiſtola, ut & altera *Eraſmi*, ad Fridericum Electorem paulò fuſius *Sleid.* com.l.1. Ad hoc, *inquit*, ferè tempus Eraſmus Roterodamus, cum alijs de rebus Friderico Saxoniæ Duci ſcriberet Antverpiâ, Lutheri quoque meminit, ejúsque libros magno cum applauſu dicit à viris bonis atque doctis evolvi, ſed & Idem vitam illius à nemine reprehendi, quod abſit ab omni ſuſpicione tum avaritiæ, tum ambitionis: Theologos verò Lovanienſes, quòd audiant illum valde gravari authoritate Cardinalis Cajetani, triumphare nunc, & in concionibus atque convivijs eum inſectari, velut hæreticum & Anti-Chriſtum: Id ſibi valde diſplicere, præſertim cùm ille diſputandi cauſa quædam propoſuetit, cum judicio ſe ſubmiſerit omnium, quorum oportuit & quorum non oportuit: ipſi verò, neque monuerint hominem amicè, neque docuerint, nec erroris adhuc convicerint, ſed turbulentis & ſeditioſis tantùm clamoribus rem agant: hunc autem agendi modum prorſ-

prorsus indignum esse Christianæ professionis hominibus, maximè verò Theologis, nec enim hæreseos temerè quenquam insimulandum esse. In eadem propemodum verba scribit etiam ad Moguntinum, & ad Campegium Cardinalem, & Sophistas Theologos atque Monachos insectatur, qui Linguarum ac Eloquentiæ studium, ac puriorem omnem doctrinam ferre non posint. Luthero quoque tum scribit Lovanio valde amanter, & ipsius Epistolam sibi redditam esse dicit, quæ & ingenij demonstret acumen, & animum spiret Christianum: Ipsius autem libris magnam ibi tragœdiam excitari, seque gravem sustinere tum invidiam, tum suspicionem Theologorum, nec excusando tamen quicquam proficere: per Angliam esse multos, & magni quidem nominis, qui de lucubrationibus ipsius optimè sentiant, se quoque degustâsse comentarios ejus in Psalmos, & sperare magnam allaturos utilitatem, sibi quidem vehementer placere: sed unum esse, cujus ipsum velit admonere, nempe, civili modestia plus posse profici, quàm impetu: Detonandum potiùs in eos, qui Pontificum abutuntur authoritate, quàm in ipsos Pontifices: de rebus inveteratis, quæ subitò revelli non posint,

 dispu-

diſputandum eſſe validis, & confertis argumentis potiùs, quàm aſſeverandum, & affectibus nihil hic oportere tribui. Hæc autem admonere ſe, non ut faciat; ſed ut in eo, quod facit, progrediatur. Quanquam varius huic Epiſtolæ tribuatur ſenſus, ut poſtea audiemus. Hæc Eraſmo fuit mens, *initio*, Reformationis ad alia tamen poſtea delapſus conſilia, & anno ſtatim 1524. à Rege Angliæ & Thoma Volſio, Cardinali Eboracenſi, perſuaſus, ſtylum in Lutherum ſtrinxit, edita Diatribe de *Libero Arbitrio*. Apologijs etiam ſubinde ſuis ea excuſavit, quæ antea laudi duxerat. Noluit antea, Lutherum quicquam ferè docuiſſe, quod prior ille non obſervâſſet; jam, cùm hic ipſi objicitur conſenſus, ſuis ingratijs factum ubique conqueritur. *Porrò* (ſcribit Petro Barbitio 13. Aug. 1521.) *quod dicitur Lutherum quadam hauſiſſe è libris meis, mihi in manu non erat præſtare, ne quis ſcriptis meis in poſterum abuteretur, quando hoc nec Evangeliſtæ, nec Apoſtoli præſtare potuerunt. Scripſi eo ſeculo, quæ tum videbantur ad bonos mores conducere, fortaſſis quædam ſcripturus circumſpectiùs, ſi præſciſſem exoriturum hoc ſeculum plus quàm*

Tragi-

Tragicum. Idem repetit Epist. ad Montiojum l.17.Epist.26. Unde querela Friderici Ganirmijan.Ch.1521.ad Hedionem scripta: *Erasmum indies magis frigescere, & quantum ego judicare possum, retractare latenter, quæ videatur olim liberiùs vel dixisse, vel scripsisse, ægerrimè fero, & agnosco puerilem metum, qui plus veretur hominum gloriam, quàm Dei. Cæterùm, tales Nicodemi apud nos in magno sunt numero, sed qui firmiùs starent haud dubiè, si detur publicare gloriam Christi, quo uno fortificantur ægrè conscientiæ.* Et certè, quid *Erasmi* verbis, quibus Lutherum satis prolixè comendavit, necessaria tamen addita νουθεσίᾳ, ut modestè ageret, luculentius? Et tamen, ne in laudem ejus viderentur dicta, scripsit ad Campegium illam bene longam Epistolam, quæ lib.14.Epist. primum obtinet locum, ubi inter cætera: *Vide quæso,* inquit, *an hæc sit Epistola hominis Luthero faventis. Quoniam in illius scriptis me offenderat nescio quid sævum, & austerum, nec satis referens mansuetudinem Spiritûs Evangelici, admonui, ut cum omni mansuetudine doceret ea, quæ ad veram pieta-*

 tem

tem attinenti, id quo majore cum fructu posset, admonui, ut parceret Romano Pontifici: cujus authoritatem expedit haberi sacrosanctam: parceret Principum celsitudini, qui convitijs attacti, aut intempestiviùs admoniti, non solùm non redduntur meliores; sed exacerbati, perniciosas aliquoties excitant tempestates, fitque ut & monitori sua pereat authoritas, & monito suus fructus, & &c. Plurimum refert, quàm in tempore, quàm comodè & attemperatè veritatem proferas. Admonui, ne Scholas aut ordines omnino contemneret, quod mutari vellet: Ut in his, quæ longo usu magis, quàm recto judicio recepta sunt, densis ac solidis argumentis uteretur potiùs, quàm asseverationibus. Et quoniam non ignorabam ingenium Germanicum, neque nescirem, eum quorundam scriptis imodicè mordacibus irritari; admonui, ne convitium convitio regereret; sed aut in totum negligeret, aut argumentis responderet, à maledictis omnino temperaret; Vid. & Epist. 5. lib. 14. h. *Nunquam Erasmum Ecclesiam Romanam purgare ab erroribus voluisse, etsi nostris etiam cœtibus axioma Reformatæ Religionis invideret.* Epistolâ modò citatâ; qua, nec cum ullo Lutherano fœdus se clancularium inivisse; monet, *neminem*

nem non fateri, disciplinam Ecclesiasticam longè prolapsam esse à sinceritate Evangelia, populum Christianum multis modis gravatum esse, conscientias hominum varijs ricis illaqueatas: Imò paulò ante obitum n. Chr. 1533. tractatum dedit in Psalm. 84. ubi concordiæ formulam ostensurus inter Reformatos & Pontificios, *& in his quoque multum desiderare*, quos proinde ad officium revocat, haud obscurè insinuat. i. *Vnde perpetuis, & vivus & mortuus, Pontificiorum Erasmus obnoxius fuit convitijs.* Paulò *ante* obitum (Basileæ enim obijt an. Chr. 1536.) acerba Monachis contra Erasmum exciderunt verba, quæ ex autographo ejus citavimus Sec. XVI. p. 286. Ita *Abrah. Bzovius* an. Chr. 1519. *Visus est etiam, Erasmus Rotterodamus, litterionum antesignanus, Luthero favere, adeò ut multi tum dicerent*; aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmizat. Et paulò post: *Erasmus Lutherum palpavit, & interdum inflammavit. AEquè procax in Regulares & universum clerum, atque Martinus Lutherus: Neque minùs eo vafer, & versatili lingua calamóque, modò pro, aliàs contra Pontificem, Sacerdotes & Sacra.* Placidius

cidiùs tamen de eo judicat Jesuita. *Gaulth.* ad Sec. 16. p. 735. *Desiderius Erasmus Roterodamus in literis humanioribus bene versatus; sed in quibusdam libris suis Ecclesiastica censura meritò notatus, quòd de rebus fidei supra captum suum loquutus sit, & suis scommatis hæresibus viam straverit.* Sed satis de Erasmo.

II. *VVesselus* succedit, qui *morbos dogmaticos* propiùs attigit, cuique, suo jam tempore nec animus, nec exemplum defuit reformandi; successus tamen & applausus major adhuc desiderabatur. Unde ipse ejus meminit Erasmus, Epist. de Pseudo-Evangelicis ad fratres Germaniæ inferioris & Orientalis Frisiæ: *D. VVesselus multa habet cum Luthero communia, sed quantò Christianiùs ac modestiùs ille proponit sua dogmata, quàm istorum plerique faciunt?* Et *Lutherus*, Epistola præfixa, Epist. Wessel. *Hic* (Wesselus) *si mihi ante fuisset lectus, poterat hostibus meis videri, Lutherus omnia ex VVesselo hausisse, adeò spiritus utriusque conspirat in unum. Mihi verò & gaudium & robur augescit: jam nihil dubito me rectè docuisse, quando tam constanti* con-

consensu penéque eisdem verbis tam diverso tempore, aliis cœlo & terra, alióque casu, sic ille mihi per omnia consentit. In quibus consensus ille consistat, pluribus exponitur à scriptore, qui vitas Profess. Acad. Groning. edidit. Ubi inter cœtera, p. 20. *Idem* (Gosvvinus Halensis, Pater Monachorum in domo Fratrum Groningæ) *ad Hardenbergerum scribens refert, perpetuò VVesselum ingeminare solitum: Qui legens divinas literas non sibi ipsi quotidie magis ac magis vilescit, & sibi displicet ac humiliatur, non frustra solùm legit divinas Scripturas, verùm etiam cum periculo. In hac quidem urbe & Provincia, ad primam ipse Evangelii lucem in media illorum temporum barbarie extulit; sic divinitùs eum excitatum fuisse ad discutiendas errorum & superstitionis tenebras, quæ orbem Christianum latè tunc occupabant, cùm alia multa, tum duo imprimis facilè persuadent: odium falsi cultûs, ubique recepti, & indagandæ veritatis amor atque studium. Quippe inde à puerò sic animo affectus fuit à Dei spiritu, ut ceremonias humanitùs institutas, & larvam Religionis toto pectore aversaretur,*

tur, contra non fucatam pietatem spiritualis cordis obedientia æstimaret & exerceret. Hinc, cùm adolescentem in cœnobio Agnetis, propè Svvollam, hortaretur Monachus senex & devotus, ut se Virgini Deiparæ peculiari ritu addiceret, animosè respondit: Pater, quare non potiùs me ad Christum adducis, qui omnes oneratos ad se tam benignè invitat? Horaria quoque rosaria, *totúmque horarum Canonicarum officium insuper habuit. Orationes non numero aut strepero vocis murmure; sed religioso animi affectu metiebatur. Jejunia ducebat abstinentiam, non à cibis quos Deus sanctificavit in hominis usum, sed à vitijs, flagitijs ac sceleribus.* Plura de hoc Wesselo Sec.XV. P.39.

III. Addimus tertium, *Franciscum Picum,* qui sordes vitæ & regiminis; Scholarum etiam, animam quasi agentium; describit statum. Extat gravissima ejus Oratio ad Leonem X. & Concilium Lateranense habita. Compendium exhibet orationis author Paralip. Ursperg. ad a.Ch.1517. *Orationem* habuit (sunt verba authoris) *de moribus Ecclesiæ reformandis. Et cùm antea sæpe*

sæpenumero sermo habitus de statuendis legibus, ipse de legum custodia, contra luxum, libidinem, avaritiam, pro pietate, justitia, cæterísque virtutibus differit, conquerens, quòd multi Principes priscam simplicitatem in astutiam; castitatem, in nequitiam, liberalitatem in parsimoniam, in luxum & avaritiam converterant, apud plerosque Religionis primores, ad quorum exemplum componi atq; formari lex ignara debuisset, aut nullus aut certè exiguus Dei cultus, nulla bene vivendi ratio atque institutio, nullus pudor, nulla modestia sit: justitia vel in odium, vel in gratiam declinavit: pietas (NB.) *in superstitionem penè procubuit, virtus vitio vertitur, vitia loco virtutum honorari solent. Sacras ædes & templa leonibus & catamylis commissa, nefarijs lupis optimi pastoris ovilia demandata. Sanguine Christi redemtos non debere debilitari in plumis, Quid plumarum, inquit, feci mentionem, & scortorum præterÿ catervas, & greges exoletorum, & coëmta, & divendita sacrificia?* Hortatur Leonem X. ut luxum cohibeat, cujuscunque

que ordinis, modum ponat ambitioni, compescat indomitos & effrenatos libidinis obscœnæ furores, suspectis sacerdotum, quod & legibus Ecclesiæ cautum est, contubernijs, frena constituat, ut piorum virorum patrimonia in bonos usus dispertiantur, ne amplius ab impuris helluonibus, ab omnium scelerum gurgitibus absorbeantur. Terret Leonem, exemplo Heli. Gravissimè hic punitus à Deo, qui non animadvertit in liberos: ij tamen dormiebant cum mulieribus; nostra tempestate fœminæ abiguntur ad eorum libidines explendas, & meritorij pueri à parentibus accomodantur. A sacerdotibus petit vitæ innocentiam, & morum disciplinam, non exactissimam illam quidem & præcellentissimam, sed mediocrem. Non petit, ut instar Hieronymi saxo pectus identidem verberent, sed nec ut meretricum pectora baccatis monilibus, nec crepidas hydaspeis gemmis exornent. Nec postulat, ut Hilarionis inediæ assuescant, sed ne sybaritarum cœnas æmulentur, aut superent. Nec efflagitat, ut in spinis & nive volutentur, more Francisci & Benedicti, sed cùm mollem cygnorum plumam ingenti pecunia mereantur, aut redimendis captivis, aut virginibus nuptui tradendis, jure

re optimo dedicata, id planè damnat. Monet, Martini exemplo, nudis vestes tribuendas potiùs, quàm coccineis atque purpureis pannis cooperienda jumenta. Illius maximè custodiâ Legis consulat Pontifex, qua sanctissimè cavetur, ne multa ab uno sacerdotia, quibus annexa sit animarum cura, possideantur. *Dispensatio*, quam Bernhardus rectè vocavit *dissipationem*, effecit, ut jam non multa, non plura, sed innumera teneant multi, qui ne Diaconi quidem officio mereantur defungi. Tandem in Epilogo commonet Leonem Pontificem Romanum, ubi edomuerit pessimæ vitæ monstra, vel extinxerit, ne postea repullulent. Adhibenda erit legum cautio, & severior aliquantò disciplina. Non in vestibus modò & sumtibus, sed in studijs sacræ Linguæ utriusque Testamenti recognoscendæ, & cum antiquis & castigatis primæ originis exemplaribus conferendæ: solemnes ceremoniæ de quibus fuere olim quæpiam difficultates, prioribus oblatæ Synodis, statuendæ firmandæque sunt. Quotidianæ preces redigendæ sunt in statum, & probatum, & ordinatum ordinem, & veræ Historiæ ab Apocryphis magis segregandæ. Præscribenda Principibus viris officia, ut scelerata illa &

Reipublicæ deletrix opinio, licere quæ placeant, & à vulgi animis omnino amoveatur & penitùs exulet. A diuturnis dissensionibus tandem quiescant, daturi operam eis officijs, quę mortales evehunt ad imortalitatem. Hæc *Johannes Franciscus Picus*. Atque sic videmus, nihil vel *in, dogmatibus*, vel *moribus*, vel *regimine* etiam reprehensum à Reformatoribus, & emendatum postea fuisse, quod ab alijs priùs notatum non fuerit, hoc tantùm discrimine, quòd tum demum, cùm tempus esset mittendæ captivitatis, res cum successu tentata, & ad optatum finem fuerit perducta.

I. Gradus ut formationis & generationis, sic Reformationis & Regenerationis observantur [a] certi.

[a] Primus est *fides vacillans*. Clavo trabali omnibus penè infixum erat, *Ecclesiam Romanam errare non posse*, *Romanum* & *Catholicum*, recepto stylo, æquipollere. Unde examinandæ sive explorandæ doctrinæ nullum desiderium. Hæc ante omnia animis hominum eximenda erat sententia, quod Reformationis tempore, ubi status Ecclesiæ exulceratus omnium oculis fuit expositus, comodissimè fuit factum; ita ut ne ipsi Docto-

Doctores negare facilè, aut in dubium vocare potuerint, Romam errori, etiam in dogmatibus, esse obnoxiam; Mox tamen iterum multi, ubi de accuratiori agendum fuit, motarum querelarum, indagine, ad πρῶτον ψεῦδος redierunt, Ecclesiam Romanam esse ἄπλαιστον. Vide Sec.XVI.pag.620.

II. *Fastidium Papatûs.* Certum est, multos traditionum varietate, superstitionis vanitate, tyrannidis excessu, magno avitorum sacrorum tædio fuisse captos. Qui Reformationis orientis lucem ferre non poterant, in tenebris tamen versari se non negabant. Talis erat *Erasmus*; tales erant plures alij, quàm qui comemorari à nobis omnes posint, qui nostris quidem per omnia non accesserunt, Papatum tamen errantem non excusârunt.

III. *Amor eorum, qui vel liberiùs Ecclesiæ nævos taxârunt, vel liberaliùs bonas literas tractârunt.* Cùm *literarum*, à nonnullis, tentaretur Reformatiò, á non paucioribus pressa illa fuit, quàm vel *morum*, vel *doctrinæ* παλιγγενεσίᾳ. Nota sunt certamina Monastica cum Erasmo, Vive, Reuchlino, alijs. Paulatim tamen magni Heroës, contra tot insultus emerserunt, literarum lucem restituerunt, &, invitis Scholasticis, triumphârunt. Post-

quam verò Scholis paulatim fuisset prospectum, ipsa etiam Ecclesia suum inde habuit lucrum, sua comoda. Atque hinc est quòd Reformatores superioris seculi, non Theologica tantùm, sed & qualibet propemodum alia eruditionis supellectili adversarijs fuerint superiores. Quàm *masculus* ubiq; Zuinglius? *Tersus* & *profundus* Calvinus? *Fusæ eruditionis*, ipsis fatentibus adversarijs, Martyr? Oecolampadius *solidus*? Bucerus copiosus? Ex amica συγκρίσει *Joh. Jacobi Grynæi*, Epist. dedicat. ad Senat. Reip. Sangall. in Epist. Zuing. & Oecolampadij, Epist. item Select. lib. 1. pag. 85. de egregijs, quibus Reformatores ad promovendam Reformationem accesserint subsidijs, judicium ferre licet, cujus tamen comunicandæ fortè inferius comodior dabitur locus. Lutheri interim calculum adscribere placet, quo impensè sibi gratulatus est, de propensiori, suo tempore, in eos animo, qui antea ob παρρησίαν contemti propemodum erant & abjecti. *Johannis* (ita *Luther.* apud Sleidan. lib. 2. pag. 16.) *Pici Mirandulani dogmata, magnis odijs & acerbitate damnata, nunc esse in summo pretio, nec sine præstantissimi ingenij admiratione legi: Laurentiam* quo-

quoque Vallam eodem fuisse modo tractatum, sed homines literatos & judicio praditos multò sentire aliter, in ejúsque scriptis magno cum fructu versari: Litem *illam adversus Capnionem, sic ab ipsis exagitatam esse, ut suam & ignorantiam & obstinatam malitiam vix ullo tempore magis patefecerint.*

IV. *Regum, Principum, Magistratuum pro Religione cura*, quæ effecit, ut ipsi quoque Reformatores postea masculè, animóque magis intrepido, negotium, quod erant aggressi, prosequerentur. Hoc certè fulcro, initio furiarum, cùm ne auditos quidem Reformatores Curia Romana damnaret, pios Majorum conatus sustentatos fuisse, cur negemus? Legi possunt, quæ hanc in rem habet de Luthero *Sleidanus* lib. 2. pag. 7. & pag. 19. ubi graviter Lutherus à Pontifice ad Saxonem delatus, æquissimum tamen semper judicem, & Clementissimum Dominum in tam sancta causa expertus est. De Zuinglio, scriptum Amplissimi Magistratûs Tigurini ad Helvetiæ Cantones Badæ congregatos.

V. Ipsa tandem fuit secuta *Reformatio*, in quibusdam locis, *interna*, id est, assensus cordis, tum demum ad *externam* fuit deventum.

Hac Methodo cumprimis usus fuit Zuinglius noster, de quo Grynæ. lib. cit. pag. 27. *Accepimus autem D. Zuinglium, primis Ministerij sui temporibus, prudenti Consilio, hanc Majorem propositionem Auditorum animis instillâsse: In causa fidei sic standum, solo Canonico, scriptóque Dei Verbò, ut quicquid seu huic adversetur, seu ab eò alienum deprehendatur, ceu falsum & supervacaneum haberi debeat. Cùm sanctam hanc sententiam radices in cordibus piorum egisse animadvertisset, subjunxit minorem, de nova doctrina Pontificia: Conclusionem obtinuit, sexto anno Ministerij, qui fuit 1524. quo Ecclesia Tigurina reformata fuit.*

CAP. II.

CAP. II.

De scandalo infidelium, Judæorum *&* Muhammedanorum, *ex corrupto Christianismo.*

Demonstratur hoc capite: Infideles, etiam ante Reformationem, graviter fuisse offensos, corrupto Christianismo; in specie. 1. Violenta Scripturæ explicatione. 2. Cleri, in ferendis Legibus contra Scripturam, authoritate. 3. Crimine falsi in miraculis. 4. spinosa & Scholastica tractatione Mysterij S. S. Trinitatis. 5. Cultu imaginum & Sanctorum. 6. Sacerdotum cælibatu & avaritia. 7. Confessione auriculari. 8. Festis. 9. Varijs consecrationibus. 10. Profanatione Baptismi. 11. Missa, Transsubstantiatione. 12. Limbo & locali Christi ad inferos descensu.

I. Ad *fatidica,* [a] lapidum etiam, id est, eorum, qui extra gremium Ecclesiæ sunt, Judæorum & Muhammedanorum, tantò meliori jure referimus clamorem, sive testimonium reprehensivum, variorúmque errorum, *qui in* Papatu stabulari paulatim cæperunt, indicativum; quanto pluris Theo-

 logi

logi Romani eorundem faciunt judicium [b] approbativum.

[a] Neque enim verba Servatoris, Luc. 19. v. 40. *Si siluerint isti, mox lapides clamabunt*; malè præsenti accommodari possunt tractationi. Cùm enim, qui discipulorum Christi præ se tulerunt nomina, Clerus Romanus, Episcopi, Sacerdotes, &c. officium non fecissent, Deo Ter. opt. Max. gloriam & honorem debitum asseruissent; illi, qui lapidum instar habebantur, quibus in Ecclesia nec vox erat, nec votum; clâmarunt, Judæi & Saraceni: Abusus, impietates, quibus Ecclesia Romana contaminata fuit, apertè, multis ante Reformationem seculis, taxantes. Non sine ingenti rei Christianæ probro. Ita nomen Dei, propter eos, blasphemabatur, *Rom. 2. 24.* Factum enim hac ratione paulatim, ut, quæ hominum duntaxat malitiâ, & novitatis studio irrepserunt, innocentissimæ Christi & Christianorum religioni imputarentur. Quo nihil nocentius, & ad lædendum veritatem opportunius excogitari potuisset. Quam fabulam Diabolum in primitiva egisse Ecclesia, ex ijs patet, quæ diximus *Sec. II.* pag. 51.

[b] *Bellarm.* T. II. l. 4. c. 16. inter notas Eccle-

Ecclesiæ veræ refert Adversariorum confessionem; Paganorum, Judæorum, Turcarum, Hæreticorum, &c. quæ quidem hoc loco examinare instituti nostri non est: Illud verò, quod sub finem ex *Cochlæo* monet, quòd, cùm an. Chr. 1531. inter Helvetios pax componeretur, Artic. 1. Reformati *scripserint, se velle deinceps dimittere confœderatos suos quietos circa veram, indubitatam & Catholicam fidem suam: Catholici verò scripserint, se velle dimittere confœderatos suos quietos circa fidem eorum: nihil verò addebant de vera, indubitata & Catholica.* Mirum profectò, eruditissimo Cardinali non alias argumenti sui, à consensu Adversariorum petiti, suppetere rationes! Nolumus cicatricem pridem obductam refricare: Exteris tamen hanc debere volumus benevolentiam, ut quam aliunde habere non possunt rerum domi nostræ gestarum notitiam, à nobis expectent. Non diffitemur, Reformationem superiori seculo non in Helvetia minùs, quàm alibi expertam fuisse ἀντιλογίαν. Unde animorum paulatim commotio, & tandem aperta etiam orta bella. Bis, intra triennium, Confœderati arripuerunt arma: Semel 1529. & iterum 1531. Prior

expeditio absque clade & sanguine fuit finita, ijs utrinque positis conditionibus, quæ patriæ paci consulere videbantur: Reformatorũ tamen partibus magis erant propitię. Primo enim statim Articulo, nostri *verbi Divini* præconium sibi asserunt; ubi de Pontificia religione sermo, nec Catholicismi, nec fidei veræ, indubitatæ, ulla mentio; sed Missæ simpliciter, imaginum, ceremoniarum. Cur hinc non etiam Cardinalis pro religionis nostræ veritate argumentatur? Alteram expeditionem, quæ & sanguine utrinque constitit, & in qua, quod de Romanis gravis monet author, *fortiùs* nostri, quàm *feliciùs* pugnârunt; aliud pacis Nationalis excepit Instrumentum, quod in territorio Tugiensi, calamo victore tum conceptum, liberalius erat in propriæ causæ, religionis vernaculæ, quàm alienæ Epithetis. Hæc verò verborum pompa posterioris Instrumenti quid nobis auferat, quod Emphasis prioris non restituat? Aut quid veritati, quæ nuda esse amat, verborum detrahat lenocinium? Nihil usitatius Christianis, quàm Turcam, Muhamedanum, appellare *Muselmannum*, quo nomine nihil est splendidius, *Orthodoxum, Deo se totum devoventem,*

tem, ſignificans. Nihil tamen propterea Muhamedicæ impietati accedere volumus. Publica Magiſtratuum Helvetiæ Non-reformatæ Edicta ſunt ad manus, ex quibus luculentiſsimè demonſtrare poſſumus, errare, qui formulâ Inſtrumenti *pacis Nationalis* religioni noſtræ probrum adſpergi, exiſtiment, aut temerè ſpargant. Ut ergò, optimus eſt Interpres verborum quiſque ſuorum; ita rectiùs ſenſum publicorum Inſtrumentorum à publicis poſtulamus judicibus, quàm à privatis Adverſariorum affectibus. Sed hæc ἐν παρόδῳ.

[*b*] In rem eámus præſentem, & videamus, quid ante Reformationem etiam infideles in Chriſtianiſmo deprehenderint, quod reprehendi meritò potuerit. Ubi tamen obſervandum, ante omnia, erit. 1. Antiquiſſimos Patres iiſdem rationibus oppugnâſſe Gentiliſmum: quibus poſtea Judæi & Muhamedani refutârunt Papiſmum. Nec proinde, quis dicat, ſed quid dicatur attendendum. 2. Scriptores ſive Judæos, ſive Muhamedanos, qui ante mille vixerunt annos, tot abuſus, ſuperſtitiones &c. Chriſtianis non objeciſſe, quot quidem à trecentis aut quadringentis objectas eſſe, obſervamus. In Alkorano, Talmude &c. nihil de Chriſtianorum

norum εἰκονολατρεία, λειψανολατρεία, ἀρτολατρεία, ἁγιολατρεία; nihil de Transsubstantiatione; nihil de Oecumenico Pontificis Episcopatu, &c. quod profectò Muhammed, ingenium versi pelle, nunquam intermisisset, si quicquam ea in re Christianis exprobrare potuisset. De *Mariolatria* aliquid posteriores inaudivisse, ex *Beidavio* patet; qua de re *Hist. Orient.* pag. 343. Adeò ut, quamvis in omnes partes fuerit Pseudo Propheta intentus, qua ratione Christianismum Saracenis suis redderet invisum, nihil tamen ei occurrerit ex ijs, quibus Ecclesia postea demum fuit infestata: Evidenti satis argumento, olim non fuisse sic. Quid verò postea paulatim evenerit, quàm amplam succrescens superstitio occasionem præbuerit infidelibus Christianismo corrupto insultandi, dolentes potiùs, quàm ἐπιχαιρέκακοι, distinctè indicabimus.

1. De *Scriptura* Sacra ægrè tulit, & merito quidem, Synagoga, Theologos Pontificios, contra Augustini authoritatem, Judæos reos agere criminis falsi, ipsorúmque corruptorum V.T. Codicum. Insignem ea de re ex R. *Gedalia* dedimus locum *Thes. Phil.* l.2.c.2.q.4. Vulgatam contrà versionem, & malè

malè nonnunquam esse redditam, & superstitionibus inservire coactam, Judæi non semel observârunt. R. *Lipman. in* Nizzach. S. 44. וי שתחו ישראל על ראש המטה לפי שהוא חסר יוד עכום אומרים מטה ויאמרו שבראש המטה היה צלם שהיה משתחוה לו ותשובתו בצדו וישב ישראל על המטה הרי הנהג בו מנהג בזמן ולפי טענתם שקראו מטה נפרש להם לפי שהיה חולה היה בידו מטה ונשען על ראשו והשתחוה לי״ יתברך ופי האמ יתי מפורש בפי רשי Et incurvavit se Jsrael ad verticem lecti. *Propterea quod Jod deest, Idololatræ legunt* מטה baculum. *Dicúntque in baculi summitate fuisse imaginem, quam ille adorârit. Sed ecce responsio est è latere* (regione) *ejus:* Et insedit Jsrael lecto suo. *Ecce pro more illius ætatis agit. Sed & juxta instantiam eorum, qui* מטה baculum *legunt, ita explicabimus, quòd ægrotus fuerit, baculum in manu habuerit, ejúsque vertici innixus adorârit Deum benedictum. Vera autem explicatio est juxta mentem R. Schelom. Jarchÿ.*

2. *Neque semel reprehendisse video inconsideratas Glossas*, quibus Sacram Scripturam, nulla antecedentium & consequentium habita ratione,

tione, ad *ἰδίας ὑποθέσεις*, obtorto quasi collo, rapuerunt *R. Lipman.* S. 45. שכל את ידיו אף כאן מדברים הנוצרים על צדיק עתיק ואומרים שכיון לעשות שתי וערב וכהג טועים בהרבה מקומות שמביטין רק לתיבה אחת ומדלגים על הפרשה לראות עניינם הלא בתוך הפסוק בהדיא מפורש כונתו כשא׳ יוסף לא כן אבי כי זה הבכור וגו השיב לו כוונתו שאחיו הקטן יגדל ממנו *Et cognovit* (Jacobus, Genes. 48. v. 14.) *manibus suis, &c. Etiam hîc dicunt Christiani, de pio sene, quòd intenderit facere crucem. Et ad hunc modum multis in locis illi errant, quòd ad unam tantùm respiciunt vocem, reliquos textus, ut sensum rectè observarent, transilientes. Annon enim in medio contextu clarè explicatur ejus scopus, cùm inquit Joseph:* Non ita, mi Pater; Hic enim est primogenitus, &c. *Intentionem ei suam replicuit, fratrem minorem majori prævaliturum.* Et S. 56. ויורהו יל עץ וישלך אל המים וגו הנוצרים אומרים מה טיבו של עץ זה להמתיק המים על כן מן אמת רחקו ודרשו ודחקו לפרשו שתי וערב היה שהשליך אל המים וכופרים סמכו לדבריהם עץ בגים צלם והנה כאשר דימו

דימו כן אפרשו להם *Et ostendit ei Iehova lignum, & projecit illud in aquas. Quærunt Christiani, quæ ratio fuerit hujus ligni, ut aquæ inde dulcescerent? Proinde à veritate recedunt in explicatione, vimq; ei inferunt, de cruce intelligentes, quod in aquam projecit: Subsidium autem infideles ex eo captant, quòd* vox עץ lignum, *per Gematriam*, fit צלם imago. *Ecce Scripturam explicant, pro ut somniant!*

3. *Muhammedani, à longo tempore, conquesti sunt de cleri tyrannide*, authoritate ferendi leges, obtrudendi traditiones, consuetudine, Canonum pœnitentialium diversitate, & affectatione Dominij supremi adeóque divini; cæco, contrà, obsequio, & ignorantia plebis, quæ Pythagorica devotione in Magistrorum verbis acquiescat. Videamus unum & alterum locum, ex *Ahmed Ibn-Edris*, qui aliquot ante Reformationem seculis vixit. Liber est Msc. & Arabicus quidem, ex quo loca nonnulla excerpere placet. P.211. initio Quæst. 103. scribit;
וצעת אלנצארי לאנפסהם קואנין מן עיר
דליל מן אלתוראה ואלאנגיל ומן כאלפהא
סמוה כארגא תארה וכאפרא אכרא ואל כרוג
ען קואנינהם דנוב ויתכ--אלי מא יעפרונה ואלי
מא

מא יסתקבלון בעֿפראנה ואדא עֿפרואלה
ארכֿלוה אלכניסה וקבלוא קרבאנה ואדא לם
יעֿפרוא לה אבעדוה ען כנֿאיסהם וטֿרדוה
והולוא עליה ולם יקבלוא קרבאנה *Ponunt Nazareni* (Christiani) *sibi Canones, quos demonstrare non possunt, neque ex Lege, neque Evangelio: Qui illis contradicit, eum Apostatam appellant; vel etiam Infidelem. Transgressiones autem ejusmodi Canonum, sunt peccata, quæ in remissibilia illi distinguunt, & irremissibilia. Si cui remiserunt peccata, eum intromittunt in Ecclesiam, ejusdémque sacrificium acceptant: Si verò* non remittunt, *eum removent, & expellunt è cœtibus suis, terrorem ei incutiunt, neque sacrificium ejus habent ratum. Et paulò pòst* ומן אטלע עלי כתב
פקההם ראי פיהא מן ערֿאיב אלתחכימאת
ועֿגאיב אלמוצועאת לם תרד בהא אלנבואת
בל געלוא אנפסהם מנזלה רב אלעאלמין ואן
אלחכם ואלתחכם מן כֿצאיץ אלרבוביה ואנמא
אלאנביא עם מבלעֿון לא חאכמון *Et qui animum ad scripta eorum Theologica adverterit, videbit: in ijs peregrinas* (supremi) *judicij usurpationes, & mirabiles hypotheses.*

ses, quas Prophetiæ non probant : Sed ipsi in locum Domini Exercituum se elevant. Judicium enim, & absolvendi damnandíque potestas est ex proprietatibus Deitatis. Prophetæ autem Oratores tantùm sunt, non judices. Eadem quæstione, cum indicâsset, pœnam homicidij capitalem, contra Legis & Evangelij authoritatem, mitigatam, concludit: עטמוא הולא אלקסיסון אנפסהם חתי געלוא אנפסהם אעטם מן אלאנביא פתחמלוא פי אלשראיע וליס דלך באלאנביא עם שיא מן דלך בל אלחכם כלה ללה ענד כל נבי מן אלאנביא *Presbyteri illi se ipsos efferunt, adeò ut supra Prophetas se extollant; potestatem Leges ferendi* sibi *sumant: Cujusmodi nihil apud ullum Prophetam p.m. reperitur: Omnes enim Prophetæ judicandi potestatem Deo resignant.* Initio lib.1. פאן אלנצארי אמה עמיא וטאיפה גהלא קד עלב עליהם אלתקליד ותגנבוא מחגה אלנטר אלסדיד חתי לא יבהתון ען צחה מא לקיה אליהם אסאקפתהם ולא יתמאלון מא יעתמד פי דינהם אכאברהם וטעאיהם ולו לא דלך לם יבק לדין אלנצראניה וגוד לטהור פסארה *Christiani sunt populus cæcus, & caterva*

caterva stulta, (unde & auth. *Nizach. Argent.* ad Es.5.v.21. vult Laicos Christianorum voce *Barbarorum* innui) *utpote qui, Traditione freti, declinant accuratam disputationem; adeò ut ne quidem accuratè inquirant in id, quod Episcopi eorum tradiderunt; neque recedant ab eo, quod majores eorum in religione statuerunt, & Imperatores eorum. Et certè, nisi illud esset, ne quidem Christianorum religio superesset, adeò manifestè corrupta est.* Eodem capite, postquam licentiam triduo judæos expilandi, reprehendisset, disertè monuisset, Christianos חיניר מתבעין אלוסאיס אסאק פתהם לא לרסאלאת רבהם *tunc secutos figmenta Episcoperum suorum, non Epistolas Domini sui*; ostendisset, neque Legis, neque Evangelij regulam homicidij suspicionem ad duelli experimentum remittere; quæ tamen consuetudo in quibusdam obtineat locis; de Excommunicatione tandem, Legum Ecclesiasticarum transgressoribus parata, ita loquitur: וממא אטבק עליה אלנצארי אן אלאסקף ארא לם יואפקה שכץ עלי הואה חרם עליה ומעני חרם עליה אן אלרב תעאל עצב עליה ואן אלכלאיף ימתנע עליהם בעד דלך מעאשרתה ומואלפתה: בל יתעין עליהם הגראנה

הג׳ראנה ותרכה ויחטר להם אן תלך אלחאלה
ארא דאמת עליה תנתזע מנה אלברכה וימות
דואבה פיהלך ואן מאת פיהא דהב אלי אלסכט
אלדאים ואלעדאב אלמקים ויתכילון אן
אלאסקפה קד צארוא פי אלארץ ינצרפון פי
אלעבאד תצרף רב אלארבאב פאן בידיהם
אלסעאדה ואלשקא *Et quod insuper de eo tradunt Christiani, quòd Episcopus, si quis ejus figmento non consentiat, eum excommunicet: Rationem autem excommunicationis esse* (tradunt,) *quòd Deus Opt. Max. ei succenseat, Vicariiq; ejus postea iis prohibeant omnem conversationem, & cohabitationem; ita ut protinus eum sequatur fuga, & desertio. Et persuadetur illis, quòd, quandiu in hoc quis fuerit statu, auferatur ab eo benedictio, pereat pecus, ipséque exitio sit devotus: Adeò, ut mortuus in ea, migret in iræ* (locum) *æterna, pœnaque perpetua. Atque sic fingunt Episcopos in terra tales, quibus homines cultum debeant deferre divinum; quòd in manibus cujusque* (Episcopi) *esset felicitas & miseria. Ex hoc principio, & infirmo rationis humanæ, sanctionis Ecclesiasticæ & traditionis Majorum*

rum fundamento, idem pag.286. vult imaginum cultum, & fuppofititiorum miraculorum prætextum habere originem, loca item religiofa, de quibus ita author: ולמא

עלם חראקהם אן דינהם ליס לה קאעדה
יבני עליה ולא אצל ירגע אליה גמעוא עקול
אלעאמה בתכילאת ואבאטיל מזכרפה וצעוהא
פי אלכנאיס ואלמדאראת ומן דלך אן וצעוא
צורא מן אלחגארה אדא קרי עליהא אלאנגיל
ותגרי דמועהא. ישאהדהא אלכאץ ואלעאם
פיעתקדון אן דלך למא עלמתה מן אמר
אלאנגיל ותכון להא מגאר זקאק פי אגואפהא
מן וראיהא. מתצלה בזק ממלו מן אלמא
יעצרה בעץ אלשמאסה פיפז אלמא מן
אלמגאר ויתצל בעיון תלך אלאצנאם וכדלך
יצעון אצנאמא יכרג אללבן מן תדיהא ענד
קראה אלאנגיל ודלך בצקליה ועירהא ומן
דלך אצנאם מן חדיד וקנאדיל וצלבאן עטאם
מעלקה בין אלסמא ואלארץ לא ימס שיא מנה
ולא ימסהא שיא ויקולון אן דלך בסבב ברכה
הדא אלמכאן ואנה ברהאן עלי עלאמה אלדין
ואן דאלכם יוגד לעירהם מן אלמלל ויכון סבב
דלך מגארה מן מענטיס עמלת פי סת גהאת
פוק אלצנם ותחתה וימינה ויסארה וכלפה
ואמא מה פיגד בה כל הגר. אלי גהתה וליס
אלבעץ אולי מן אלבעץ פיקע אלתמאנע פיקף
אלחדיד

אלחריד פי אלוסט ולדלך למא דכל עליה בעץ רסל אלמסלמין אמר בהדם מא חולה מן אלבנא וסקט ודלך בקסנטיניה כרסי ממלכתהם ומגתמע עטמאיה ועקלאיהם והרא חאלהם: *Cúmque perspicaciores inter illos animadverterent, religionem suam neq; fundamentum habere, cui superstruatur, neque principium, ad quod revertatur, detinuerunt intellectum plebis figmentis, & variegatis nænijs, quas collocârunt in Templis & cœnobijs. Hinc posuerunt statuam lapideam*, quæ, si supra eam *legeretur, Evangelium, lachrymas mitteret, omnibus & singulis inspectantibus; id quod fieri credunt, propterea, quod ex Evangelio aliquid illa perciperet; cum tamen & in medio, & à tergo earum* (statuarum) *alveidispositi sint, ut res nempe; quorum unum, aqua repletum, quidam ex Ministris, exprimit, ita ut aqua ex alveis destillet, & ad oculos ejusmodi statuarum pertingat. Ita etiam imagines ponunt, ex quarum mammis lac, ad lectionem Evangelij, prodit: Id quod in Sicilia contigit & alibi. Sunt etiam imagines ferreæ; ubi candelabra &*

cruces magnæ inter cælum versantur & terram, quæ & à nulla re tanguntur, & ipsæ nihil tangunt, id quod acceptum ferunt singulari loci benedictioni: *Manifestum hoc esse volunt τεκμήριον, ad demonstrandam religionem; utpote quod in nulla alia reperiatur religione. Cùm tamen causa illius rei sit lapis ex magnete, ἑξάγωνος, supra statuam positus, & infra eam, ad dextram, & sinistram, à tergo & à facie ejus, ubiquilibet lapis* ad *id, quo* (magnes vergit) *trahitur, ita ut alter altero non sit prior: Atque sic accessus impeditur, ut ferrum in medio subsistat. Proinde, cùm quidam Legati Muselmannorum ingressi fuissent, illúdque, quod circa eam* (statuam) *fuisset extructum, destruere jussissent, illa* (statua) *quoque cecidit.* Id quod Constantinopoli *evenit, Sede Imperii eorum, Consessu Magnatum & prudentum eorum. Atque hæc est Christianorum ratio.* Pergit deinde ostendere, quomodo se habeat *ignis*, ille qui sponte & accendi & flagrare, nullo accedente alimento, videatur Hierosolymis, loco sepulturæ Christi, die resurrectionis, ומן דלך אלנור אלדי ינזל באלקיאמה פי אלבית

אלבית אלמקדס עלי קנדיל מעלק הנאך
וישרק מן עיר אתצאל נאר פי ראי אלעין
אלעאמה אן אלאנואר תנזל עלי דלך
פליוהמון מן קבל אללה עז וגל לאנה מוצע
קבר אלמסיח ענדהם אלדי דפן פיה וצעד
מנה והו שי משאהד באלחס ואצלה אן
אלנפט אדא אדבר עלי כיפיה מכצוצה ומסח
בה שריט רקיק פי עאיה אלרקה מן אלחדיד
ומד דלך אלשריט ועמל פי אכרה פתילה
מן אלנאר ואן אלנאר אדא מס בהא אול
דלך אלשריט יסתרי פיה בסבב אלנפט
אלמלאצק להן אלי אן ינתהי אלי אכרה
פישתעל פי דלך אלגסם אלדי ללפתילה מן
אלקטן או עירה וכדלך יראהן אל נפטיון עלי
אנהם יקעדון פי צדרית וישעלון סראגא פי
טאק מן אלגהה אלאכרי מן עיר מבאשרה
פארא ראהנה אחד מד שריטא מע טול
אלחאיט בדאיר אלבית מתצלא בדלך
אלסראג וימסח באלנאר פיסתרי אלנאר אלי
אלסראג ולא ישער אלגאלסון מן אין אתקד
אלסראג וכדלך אלנצארי אבדוא שריטא
רקיקא להדא אלקנדיל ישעלונה מן אעלא
אלקבה אלתי פי אלמכאן פישעל אלקנדיל
מן עיר נאר משאהדה וכד אטלע עלי דלך

 גמאעה

cruces magnæ inter cælum verſantur & terram, quæ & à nulla re tanguntur, & ipſa nihil tangunt, id quod acceptum ferunt ſingulari loci benedictioni: *Manifeſtum hoc eſſe volunt τεκμήριον, ad demonſtrandam religionem; utpote quod in nulla alia reperiatur religione. Cùm tamen cauſa illius rei ſit lapis ex magnete, ἑξάγωνος, ſupra ſtatuam poſitus, & infra eam, ad dextram, & ſiniſtram, à tergo & à facie ejus, ubiquilibet lapis* ad *id, quo* (magnes vergit) *trahitur, ita ut alter altero non ſit prior: Atque ſic acceſſus impeditur, ut ferrum in medio ſubſiſtat. Proinde, cùm quidam Legati Muſelmannorum ingreſſi fuiſſent, illúdque, quod circa eam* (ſtatuam) *fuiſſet extructum, deſtruere juſſiſſent, illa* (ſtatua) *quoque cecidit.* Id quod Conſtantinopoli *evenit, Sede Imperij eorum, Conſeſſu Magnatum & prudentum eorum, Atque hæc eſt Chriſtianorum ratio.* Pergit deinde oſtendere, quomodo ſe habeat *ignis*, ille qui ſponte & accendi & flagrare, nullo accedente alimento, videatur Hieroſolymis, loco ſepulturæ Chriſti, die reſurrectionis, ומן דלך אלנור אלדי ינזל באלקיאמה פי אלבית

אלבית אלמקדס עלי קנדיל מעלק הנאך
וישרק מן עיר אתצאל נאר פי ראי אלעין
אלעאמה אן אלאנואר תנזל עלי דלך
פליוהמון מן קבל אללה עז וגל לאנה מוצע
קבר אלמסיח ענדהם אלדי דפן פיה וצעד
מנה והו שי משאהד באלחס ואצלה אן
אלנפט אדא אדבר עלי כיפיה מכצוצה ומסח
בה שריט רקיק פי עאיה אלרקה מן אלחדיד
ומד דלך אלשריט ועמל פי אכרה פתילה
מן אלנאר ואן אלגאר אדא מס בהא אול
דלך אלשריט יסתרי פיה בסבב אלנפט
אלמלאצק להו אלי אן ינתהי אלי אכרה
פישתעל פי דלך אלגסם אלדי ללפתילה מן
אלקטן או עירה וכדלך יראהן אל נפטיון עלי
אנהם יקעדון פי צדרית וישעלון סראגא פי
טאק מן אלגהה אלאכרי מן עיר מבאשרה
פאדא ראהנה אחר מד שריטא מע טול
אלחאיט בדאיר אלבית מתצלא בדלך
אלסראג וימסח באלנאר פיסתרי אלנאר אלי
אלסראג ולא ישער אלגאלסון מן אין אתקד
אלסראג וכדלך אלנצארי אכדוא שריטא
רקיקא להדא אלקנדיל ישעלונה מן אעלא
אלקבה אלתי פי אלמכאן פישעל אלקנדיל
מן עיר נאר משאהדה וכד אטלע עלי דלך

גמאעה מנהם אלמלך אלעטים אכו אלמלך אלכאמל ואראד אלמנעמנה פקאלוא לה אנך תהצל לך בהדא חמלה מן אלמאל פאן בטלת בטלת פתארכהם עלי חאלהם וכדלך אלאמר אלמתולין לתלך אלגה יטלעון עלי דלך ויכברון בה והדא אלכיפיה מסטורה פי כתב אלנפת ואלרמאיה רמאיתהא אנא מע מערבאת צנאעאת הדא אלשאן *Porrò ignis;qui* (die) *Resurrectionis descendit in AEde Sacra* (Templo Hierosolymitano) *super candelabrum, quod ibi suspensum; absque conjunctione ignis, quem quidem oculus videat, oritur. Est autem plebs hac opinione imbuta, ignes illos in locum illum à Deo Ter.Opt. Max.demitti, quòd locus ille esset sepulchrum Messiæ sui, qui sepultus ibi fuisset, indéque ascendisset: Esse autem hanc rem* (ita comparatam, ut) *in sensus incurrat. Sed origo* (vera ratio) *ejus est, quòd, cùm naphtha peculiari quadam ratione paratur, eaque funis ex folijs palmæ contortus, sed tenuißimus, & quolibet ferro* (lamina ferrea) *tenuior, inungitur: Extenditúrque funis ille, & ad extremitatem ejus Ellychnium*

chnium ardens jungitur, tunc ignis, cùm initio funis illius propinquus est, cum eo, propter naphtham illi junctam, recedit, usq; dum perveniat ad extremitatem ejus, eóque corpus (nisi leg. malis דסם pinguedo) *quod est in ellychnio ex gossypio, aut alia aliqua re, accendatur. Pignore proinde certant Naphthitæ* (Pyroboli, qui Naphtham tractant) se, *in anteriore parte ædium* (puto enim leg. צדר בית) *sedentes, lucernam in opere arcuato ab altero latere, absque contactu,* (ignis conjunctione) *accensuros: quòd si quis pignus deposuerit,* (Pyrobolus) *funem ex palmæ folijs contortum, ad longitudinem muri, qui est in ambitu domicilij, lucernæ illi attigui, extendit, cúmque igni jam appropinquat, clàm ille, ad lucernam, ut sedentium nullus unde lucerna sit accensa, sciat, recedit. Ita Christiani funem ejusmodi accipiunt tenuem, ad candelabrum, quod in summitate fornicis, qui in loco illo; accendunt: Atque sic candelabrum, absque ullo igni visibili, accenditur: id quod multi ex ijs detulerunt ad Regem magnum, fratrem Regis* Camili, *qui etiam prohibere*

illud voluit; cui illi dixerunt: Utique hinc Tibi multa opes reponuntur, quod si aboleveris, abolebis etiam illas: Reliquit ergo eos sibi. Atque ita se rem habere, illi referunt, qui ei præ sunt: hæcq; ratio delineata est in libris eorum, qui de Naphtha & πυροβολία, cujus, per operationes mirabiles ad hunc modum, ego periculum feci; agunt. Cúmque & aliud fraudis addidisset exemplum, ubi Sacerdotis manus certo tempore ostensa, & à Domino loci tandem, ut cujus illa esset, cognosceret, apprehensa, manifestæ imposturæ monumentum reliquit; infirmitatem Religionis Christianę, demonstrationísque sufficientis objecit defectum, quem ne quidem ἔξοχοι ἄλλων, inter ipsos emendare possent: quæ omnia hoc loco inserere operosum nimis esset, compendiosæque nostræ tractationis limites excederent. *Judæum* ergò etiam audire placet, qui & ipse haud obscurè observavit, multa miraculorum nomine in Papatu venire, quæ ad Naturæ vix pertineant miranda. R. *Lipm.* Nizz. S. 289. אף הביאו הנוצרים ראייה על אמונתם שמי השמד אינם מסריחים והנה אם אמת הדבר זה מחמת מלח שמערבין בו כי לכל שמד לוקחים מלח וגם מתחרשין אותו

אותו תמיד במים אחרים לפי שממעטין
בהזאתן גם ידעתי שיש מהם שמבשלים
המים תחלה במלח ויש שלוקחים מי טל
שאינם מסריחים לעולם ואין לגלות זאת
להם שלא ילמדו הדבר אותם מי שאינן
יודעין ויחזיקו בו טעותם ולו חכמו ישכילו
זאת ויבינו אם היה ממש באמונתו ובהצ
לחתם היה בהם נביאים גלוים וידועים כאשר
היה לנו בשלותינו ואין בהם אנכים העושים
כל אלה הנפלאות של משה ושל אליהו
ושל אלישע המפורשים בהדיא בתורה
ובנביאים *Rationem etiam Chriſtiani, pro religione ſua afferunt, quòd aqua Baptiſmi* (more ſuo, *aquas Apoſtaſiæ* appellat, aut *corruptionis*) *putredinem non concipiant. Id quod ſi ita ſit, ſali, quem illis admiſcent, tribui debet. Ad unum quemq; enim Baptiſmi* (Apoſtaſiæ) *actum ſal adhibent. Sed & quotidie aliâ eas renovant* aquâ, quia aſperſione *illarum, eas imminuunt. Novi etiam, eſſe quosdam, qui primò aquas in ſale coquunt. Sunt inſuper, qui aquam adhibent roralem, quæ nunquam putreſcit, quod tamen revelari ijs non debet, ne, quod ignorant,*

rant, discant, indéq; errorem suum confirment. Utinam verò saperent! Intelligerent utiq; atq; cognoscerent, numquicquam solidi religio eorum haberet, & ad salutem eorum revelati atque noti essent Propheta, pro ut nobis fuerunt in tranquillitate nostra. Neque enim inter illos sunt, qui faciant ullum mirabilium Mosis, Elia, & Elisai, qua apertè sunt explicata in Lege & Prophetis.

Est & hoc ab infidelibus observatum, nimis facilè locum scriptis Apocryphis, fabulosis etiam, in Ecclesia Christiana fuisse concessum. *Ahmed Ibn Edris* p.m. 304. אלאנגיל כמס תערף אלנצארי מנהא ארבעה משהורה ואלכאמס לא יערפה אלא אלקליל מנהם *Quinque Evangelia sunt nota Christianis, ex quibus quatuor celebriora sunt; quintum pauci recipiunt.* De hoc quinto Evangelio Id. pag. 305. אלאנגיל אלכאמס יסמי אנגיל אלצבוה דכר פיה אלאשיא אלתי צדרת מן אלמסיח עם פי חאל טפוליתה ינסב לבטרס ען מרים עם ופיה זיאדה ונקצאן וקד תרך כתיר פיה מן אפלאם אלמסיח עם ואמה עם ויוסף אלנגאר רצם אלי צעיד מצר תם

הם עודתה אלי נאצרה קריה ענד אלקדס ואליה ינסב אלנצארי *Evangelium quintum appellatur* Evangelium Pueritiæ, *ubi ea commemorantur, quæ à Meßia profecta sunt in statu juventutis; tributum Petro; de Maria, p.m. Habétque redundantiam & defectum. Relinquuntur autem multa in eo de signis Meßiæ, p. m. & Matris ejus, cui Deus propitius sit, & Josepho fabro, cui Deus propitius sit, itinere ejus Zajdum in AEgypto, & reditu ejus Nazarethum, urbem in terra sancta, unde & Nazareni denominantur.* Author etiam *Nizz. Argent.* fabulosa multa de Christo refert, quæ tamen se reperisse ait in libris Christianorum; כתוב להם *Scriptum illis.* Nec mirum est, hoc etiam ulcus tangi ab Empeiricis illis, quibus ejusmodi carbones pro thesauris sępe vēduntur, ut ex *Xavieri* Evangelio Persico; ubi nimis manifestum comissum esse crimen falsi, alibi jam indicavimus; apparet II. Hactenus quidem de *Scriptura*; progredimur ad doctrinam de *Deo.* Hîc verò apparet 1. non satis cautè & dignè Scholasticos abstrusissimam de S. S. Trinitate doctrinam tractâsse, ijs nonnunquàm adhibitis similibus, quæ Muham-

Muhamedanorum Doctoribus anſam præbuerunt nobis inſultandi. 2. Nec in citatione Locorum Scripturæ pro ejus aſſertione, eam, quę requirebatur, adhibuiſſe ἀγχίνοιαν. 3. Magno cum infidelium ſcandalo, & inviſibilem Deum effigie humana fuiſſe expreſſum, & cultum ſoli Deo proprium, in Angelos, Sanctos defunctos, & imagines, contra Scripturæ Sacræ authoritatem, fuiſſe collatum. *Et de Scholaſticorum quidem, in Articulo de S. S. Trinitate, nimia ſive licentia, ſive libertate,* ſuo loco commodiùs diſſeri poterit. Neque enim negari poteſt, novis & portentoſis terminis eos doctrinam illam obſcurâſſe, ut quid vellent, utrum Scripturæ ſenſum ſaltem retinerent, aut ab eo recederent, non intelligerentur. Dogmati etiam tam ſubtili, varias, inutiles, & curioſas admiſcuerunt quæſtiones: Similitudines, quibus trepidè ſatis *Auguſtinus* (cæteri enim parciores fuerunt) fuit uſus, & quod venia potius, quàm imitatione in tanto Patre erat dignum, ceu κυρίας δόξας Scholaſtici amplexi ſunt. Et ut *Auguſtinus* imaginis Trinitatem oſtendere voluit, *modò* in amante, amore, amato; *modò* in mente, amore notitia, modò in mente intelligentia, & voluntate; mente notitia & amore; mente,

verbo

verbo, & dilectione, ita sequioris ætatis Scholastici in terminorum istorum, quasi receptorum jam & Theologicorum, explicatione multum desudârunt. Cùmque *Orientales* etiam Theologi, & Arabes quidẽ, si non in tentorijs Kedar habitantes, Lingua saltem eorum utentes, eadem in tantò mysterio uterentur libertate, quòdque religiosè, ceu ἀπόῤῥητον adorare debuissent, curiosè nimis rimari cæpissent, factum hinc, ut Philistæos, in Philosophicis satis armatos, ad sacratissima & secretissima nostra mysteria exagitanda provocarent. Liceat uno atq; altero agere exemplo, ut, quàm sit periculosum φρονεῖν ὑπὲρ τὸ σωφρονεῖν, discamus. *Paulus Antiochenus*, Episcopus Sidonius, compendij sui c. XV. ita loquitur: פאמא קולנא אב ואבן ואלאבוה ואלבנוה קד תכון עלי וגהין מנהא אבוה כתיפה ובנוה כתיפה במבא צעה ותנאסל פתקדם אלאב קבל אלאבן ותאכר אלאבן ען אלאב מתל זיד מן אביה ומנהא ולאדה לטיפה בעיר מבאצעה ולא תנאסל ולא תאכר פלא תקדם כולאדה אלעקל ללנטק וולדה קרץ אלשמש ללצו׳ ולרואיח אלטיבה מן אלשי אלדי תתולד מנה ואלי הדא אלמעני ננחוא פי קולנה׳ אב פאבן לא אל׳ אלמכא

אלמבאצעה ואלתנאסל פאמא אלרוח
אלקדס הי חיאה אלבארי תעאלי לאנה לא
עאקל נאטק אלא חי והדא ממא יזיל אלטו
פינא אנא אדא קלנא אלאב ואלאבן ואלרוח
אלקדס אן נגעל ללה אבנא מן מבאצעה
ותנאסל או אלאב קבל אלאבן ואלאבן בעד
אלאב כמא יכון אלאבא ואלבנון מעאד אללה
מן דלך בל אעתקאדנא אן אללה תעאלי לם
יזל אבא אי נאטק ולם יזל אלאבן אי נטקה

Cùm verò dicimus, Pater, & Filius; Paternitas & Filiatio, fit illud duobus modis. Eſt enim paternitas craſſior, & filiatio craſſior, per quandam deciſionem & propagationem. Et ita Pater præcedit Filium, & Filius poſterior eſt Patre, ut Zeidus patre ſuo. Alia generatio ſubtilior, abſque diviſione & propagatione, in qua non datur prius & poſterius, prout oratio generatio eſt intellectus, & corpus ſolis gignit ſplendorem; Et ſpiritus ſubtiles prodeunt ex ea re, ex qua generantur. Atque huc inclinamus, cùm dicimus, Pater & filius: Non verò ad diviſionem & propagationem. Eſt enim Spiritus Sanctus vita Creatoris Maximi, cùm

cùm nullum detur intelligens, loquens (λογι-κὸν) *nisi & vivum. Atque hæc refellunt; cùm dicimus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus; quasi vel ponamus Deo filium ex divisione aliqua aut propagatione, aut quasi Pater prior esset Filio, & Filius posterior Patre, prout patres & filij sunt* (carnales.) *Absit! sed fides nostra est, quòd Deus Maximus nunquam non fuerit Pater, id est, Loquens; & filius nunquam non fuerit* λόγος. Hæc Theologus Christianus Apologeticè contra Muhamedanos. Sed *Ahmed ben Edris*, sive ex hoc, sive alio Theologo Arabico, arrepta occasione, fusè disputat, cur Filius non λόγος, nec Spiritus Sanctus, sensu posito, possit appellari אלחיאה *vita.* Nam, posteaquam p.m. 158. communem de Trinitate fidem Christianorum exposuisset, quæ sit אן רבּהם אב ואבּן ורוח פאלאב אלדאת ואלאבן אלנטק אלדי הו אלכלאם אלנפסאני ואלרוח כאלחיאה *Dominum suum esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Patrem Essentiam, Filium* λόγον *i.e. sermonem spiritualem, & spiritum, quasi vitam*; primò, dissensum Christianis exprobrat, in explicatione terminorum *sermonis* & *vitæ*; tum; ex hypothesi;

vel attributa, vel substantias esse, τῷ φρικτῷ μυστηρίῳ insidias struit. De *priori* ita loquitur: פאכתלפוא פי אלכלאם ואלחיאה הל המא צפתאן ללאב או דאתאן קאימאן באנפסהמא או כציתאן לדלך אלגוהר תלאתה מדאהב להם *Dissentiunt de λόγῳ & vita; sintne proprietates Patris, aut Essentiæ per se subsistentes, aut Propria Naturæ illius? De qua quidem re tres sunt secta.* Latè, more Muselmannorum, Christianorum hic utitur vocabulo, sub quibus Nestorianos etiam, & Jacobitas intelligit, quibus ejusmodi divortia sententiarum tribuit, quæ nihil quidem ad nos: nisi quòd haud obscurè inde colligamus, quàm sobriè in hujus mysterij explicatione, terminorúmque usu sit versandum, ne per nos nomen Dei blasphemetur. De *posteriori* verò acriter disputat, *Sermonem & vitam*, nec *attributa* dici posse; neque *substantias*. Non *attributa*, פיקול להם אן קלתם אן אלאה ואחד ואלסאיר צפאת והו קולנא אן אללה תעאלי לה צפאת סבע והו אלה ואחד וצפאתה אלעאלם אלחיאה אלאראדה אלכלאם ואל קדרה ואלסמע ואלבצר ופארקהם קול משאיך ואלאמאנה

אלאמאנה פי קולהם אלאב אלה ואחד ואלאבן ישוע אלהו ואחד ואלרוח אל קדס אלה ואחד פאפסדתם צלאתכם חית יקרון פיהא אלמלאיכה ימגדונך ואבנך נטירך פי אלאבתדא ורוח אלקדס מסאויך פי אלכרא מה *Dicetur* (inquit Muhamedanus disputator) *illis: Si asseritis, unum esse Deum, cætera Attributa; est hoc id ipsum, quod nos dicimus, unum esse Deum optimum Maximum, cujus septem sint Proprietates, scientia, vita, voluntas, sermo, potentia, auditus & visus: atque sic dissentiunt ab iis Seniores fidei cùm dicunt: Patrem esse Deum unum, Filium Jesum esse Deum unum, & Spiritum Sanctum Deum unum. Et corrumpitis precationem vestrã, in qua oratis:* Angeli laudent te; & Filium tuum, Tibi similem, in principio; & Sp. S. æqualem tibi in gloria. *Si verò dixerint:* Attributa illa esse substantias, & notiones Personales, tunc Attributa λόγȣ καὶ ζωῆς, aut omnibus convenient Personis, vel non: si non, tum in Deo est imperfectio; si verò ex ęquo omnibus לזמהם אן יכון לכל ואחד מן אלתלאת צלם ודיאה וכלאם אלדי ענדהם אלאקנים אלתלאת

אל תלאת פיציר אלתלית תתסיעא וילזמהם
אן יכון כל ואחד מן אלתסע אלה לאן כל
ואחד מנהא מסאו לכל ואחד מן אלתלתה
אלאול פיחתאג כל ואחד מן אלתסע אלי
צפאת תלאת לאנה חיניד אלה וילזם
אלתסלסל ואלהה עיר מנתאהיה ומוגודאת
ליס לה עאיה והו כל מחאל *Necessariò hinc sequitur, quòd unicuiq; ex tribus competat scientia, & vita, & sermo, quæ illis* (Christianis) *sunt hypostases tres; & ita Trias erit Enneas. Necessariò enim infertur, unumquemque ex ijs novem, esse Deum; quia singula, unicuique ex Tribus primis, æqualiter conveniunt: Et ita singuli, ex Enneade, opus iterum habebunt tribus illis Attributis, siquidem jam* (unus quisque) *Deus est. Atque sic necessariò inde sequetur perpetua* συνάφεια *sive concatenatio: Eritque Deitas* ἀσελγόντι, *& Entium nullus finis. Quæ omnia sunt absurda.* Multa quidem Scholastici de explicatione illorum terminorum habent; quæstionum tamen curiosissimarum varietate, & ortis inde dissidijs, ansam, hanc etiam doctrinam, prout in Scholis tractata tum fuit, exagitandi,

di, arripuerunt aperti Christianismi hostes. Nam & Scholastici an *verbum* in divinis sit nomen personale, anxiè quæsiverunt? Et *Durandus* quidem, in 1. dist. 27. q. 3. docuit, *verbum simpliciter & absolutè esse quid Essentiale*, sed tamen, ex accommodatione usus, appropriari Filio, & sic fieri personale: prout sapientia simpliciter & absolutè sit quid Essentiale, & commune tribus personis, & tamen appropriatur Filio, qui dicitur Sapientia genita. Hanc sententiam duobus astruxit fundamentis: Primũ est, verbum non esse aliud, quàm intelligere: Cùm ergò intelligere sit aliquid essentiale, & commune tribus personis; idem etiam de verbo dicendum esse. *Alterum*, Filium non procedere à Patre per intellectum; sed per Naturæ fœcunditatem. Hinc intulit, Filium non propriè dici Verbum Patris; sed solùm per quandam similitudinem, quæ in eo consistit, quod sicut processio verbi in nobis est ante processionem amoris; ita processio Filij in divinis sit ante processionem Spiritus Sancti. Sed utrumque fundamentum *Becanus* falsi arguit, Theol. Schol. P. 1. Tract. 11. c. 5. q. 1. & cum *Magistro*, *Bonaventura*, *Richardo*, *Scoto*, *Gabriele*, *Capreolo* conclusit;

Verbum, in divinis, eſſe nomen perſonale, proprium Filij, quatenus Filius eſt, quia verbum non ſit ipſum intelligere; ſed productum quippiam intelligendo, tanquam expreſſa imago rei intellectę: At, in divinis, Filium eſſe quidpiam productum intelligendo, tanquam expreſſa imago rei intellectæ, nempe ſubſtantiæ Patris. *Thomas* ſibi non conſtitit, modò enim docuit, intelligere Eſſentiale, eſſe verbum Eſſentiale; poſtea, mutatâ ſententiâ, ut *Cajet.* obſervat quæſt. 34. artic. c. 1. aſſeruit, timidè tamen; ſolùm dari verbum perſonale. Sed & *Anſelmus*, c. 6. Monolog. *Sicut Pater eſt intelligens, & Filius eſt intelligens; & Spiritus Sanctus eſt intelligens, ita Pater eſt dicens, Filius eſt dicens, Spiritus Sanctus eſt dicens, & ſimiliter quilibet illorum dicitur.* In quibus alij dicere pro intelligere acceperunt, ut ne diſſentientem à reliquis haberent; id quod tamen alijs perſuadere vix poterant. Ita, cùm *Amoris* etiam nomen Spiritui Sancto tribueretur, neque tamen excludere ab eo reliquas poſſent Perſonas; diſtinxerunt inter *amare eſſentialiter*, pro actu, quo tres Perſonæ amant ac diligunt; & *notionaliter*, pro eo, quod eſt ſpirare, ſeu amando produce-

ducere, quo pacto convenit Patri & Filio, non autem Spiritui Sancto. Bec. P. 1. T. II. c. 6. q. 8. Unde & *Thomas* q. 37. Art. 1. dicit, quod *intelligere* sumatur solùm essentialiter, *dicere* solùm notionaliter, *diligere* utroque modo. Istis subtilitatibus ardor disputandi Muhamedanis imane quantum crevit; adeò ut quantò distinctiùs loqui, sed ex Scholæ potius, quàm Scripturæ usu, illi sibi viderentur; tantò adversarij pressiùs urgerent. Paulus Antiochenus, verbi gratiâ ad *Ahmedis* instantiam, cordata exceptione, rationem reddere conatur, c. 18. אנה לא יגב אן תכון סאיר אלצפאת אלדי יצף בהא אלבארי תעאלי אקאנימא *Non opus esse, ut reliqua Attributa, quibus Creator omnipotens describitur, sint personæ.* Verba disputationis sunt: ולקאיל אן יקול פקד יקאל סמיע בציר קאדר רחים גואד כרים פמא שאבל דלך מן הדה אלצפאת אלי אלתלת אלמקדם דכרהא ויציר תלתין וארבעין ואכתר מן דלך פאקול אן אכתצארנא עלי אלתלתה צפאת אלמרכורה דון עירהא לאנהא צפאת גוהריה פאי צפה דכרת מנהא מא תגר מעהא גוהר אכר עיר גוהר אלבארי תעאלי מתל מא ארא קלנא קאדר פקד גרת הדה אלצפה מעהא גוהר אכר

אכר והו אלמקדור עליה וארא קלנא גוארא
פקד גרת מעהא אלמגוד עליה וארא קלנא
סמיעא פקד גרת מעה אלמסמוע בה ומא
שאכל דלך ואמא ארא קלנא אנה תעאלי
שי ממא תגר הדה אלצפה גוהרא ערה
וארא קלנא חילם תגר מעהא גוהרא אכר
ובדלך ארא קלנא נאטק לם תגר מעהא
גוהר סואה פהדא תלת צפאת גוהריה כל
צפה מנהא עיר אלאכרי ואלאלה ואחד ומע
הרא פמא יכון שי מן סאיר אלצפאת אלאכרי
אלתי יצף בהא אלא לחי·נאטק *Quòd ſi quis
verò dicat. Utique dicitur (Deus etiam)
audiens, videns, potens, miſericors, bo-
nus, liberalis, & quæ his ſunt ſimilia, ex
his attributis, quæ ſi omnia adjunxero tri-
bus illis, quorum mentio præceſſit, erunt uti-
que triginta, quadraginta & plura iſtis.*
Reſpondeo: *Quòd attributa, compendiò
redigimus, ad tria memorata, non verò ad
alia, ſiquidem Attributa illa ſunt ſubſtan-
tialia: quódque ex attributis illis, quæ re-
cenſui, nullam aliam ſecum trahant ſubſtan-
tiam, extra ſubſtantiam Creatoris: Prout,
cùm dicimus* Potentem; *trahit utique hoc
attri-*

attributum secum aliam substantiam, eam nempe, in quam potentia exercetur; cùm dicimus bonum, eam secum trahit substantiam, in quam beneficentia exeritur. Ita, cùm dicimus audientem, *id quod auditur, secum trahit, & quæ his affinia sunt. Cùm verò dicimus, Deum esse* Ens, *attributum hoc aliam substantiam, præter ipsum, secum non trahit: Et cùm dicimus,* esse vivum, *aliam secum substantiam non trahit: Ita etiam, quando dicimus,* Loquentem, *non trahit secum aliam substantiam: Hæc enim tria Attributa substantialia sunt, unumquodq; nempe ab altero distinctum, Deúsque est unus. Ita autem se res non habet cum reliquis attributis, quibus describitur, ut se habere* (diximus) *cum vivente, dicente.* Hæc Paulus Antiochenus. An verò ejusmodi disputationibus, & Scholasticis expressionibus fuerit Adversarijs satisfactum, & an non potiùs ad contradicendum aperta ijs fuerit porta, eventus docuit. Dum enim tantopere illi insisterent, ut verbis saltem, & conceptis formulis secundam Deitatis Personam propriè λόγον appellarent, sive *sermonem*, eóque nomine Attributum intelli-

telligerent, Potentiæ, juſtitiæ &c. contradiſtinctum; non autem Perſonaliter λόγον ὑσίωδη, ſimpliciter charactere illo in Scriptura notari potiùs impropriè, quàm propriè exprimi oſtenderent, inſtantijs mox iterum parati, infidelitatis inde ſuæ ſubſidia quæſiverunt, cęteráque omnia, quæ ex Natura petita erant ſimilia, de *ſermone, vita, radijs ſolaribus*, & ſi quæ ſunt alia; ita ſcrupuloſè examinârunt, ut præſtitiſſet cautiùs & religioſiùs in iſtis, Theologos Orientales, fuiſſe verſatos, preſsisque labellis modeſtiam ſuam & infirmitatem faſſos; quàm tot periculoſis exceptionibus aperuiſſe feneſtram, quas citatus ſæpius *Ahmed* pag. 295. 321. &c. fusè proſequitur, eaſdémque poſtea repetijt non indoctus Scriptor Perſicus, *Politoris ſpeculi*, cui *Guadagnolus* Arabicè & Latinè reſpondit. Hæc paulò prolixiùs ad locum de S.S. Trinitate, ut appareat, quàm ad omnes occaſiones Adverſarij ſint intenti. Quando ergò novimus, in inſidijs ubique latere hoſtes Trinitatis, quibus nihil placet, quod quidem de tam ſublimi myſterio ijs proponitur; caveamus proinde, ne vel incautè & imprudenter cauſam noſtram ineptis armis defendamus, vel temerè eam proſtituamus. Non ignoramus, in ſacris Literis vocem λόγȣ pro

Ser-

Sermone Essentiali, *Filio Dei* non semel poni; ita verò inter Attributa Dei, Essentialia, referri non debet. Aliæ sunt rationes, cur Christus λόγος, vocetur, quàm quæ ab illis, quos supra audivimus, afferuntur. Tolletur *ἰσοτιμία*, tollentur axiomata sanioris Theologiæ: Nihil esse in Deo, quod non sit ipse Deus; Attributa nec inter se, nec ab essentia realiter differre; si, quæ de ratione Nomenclaturæ λόγου philosophantur isti, vera sunt. Illud magis placet *Calvini*: *Enim verò, ad vim distinctionis exprimendam, similitudines à rebus humanis mutuari, nescio an expediat. Solent id quidem veteres interdum facere; sed fatentur, plurimum differre, quicquid pro simili in medium afferunt: quo fit, ut omnem audaciam formidem: ne si quid intempestivè productum fuerit, aut malignis calumniæ, aut rudibus hallucinationis ansam præbeat.* Lib. 1. c. 13. S. 18. Certum enim est ejusmodi similia, si ad vivum resecentur, plus quàm uno pede claudicare. Originem erroris; unde nempe factum, ut disputatio, περὶ τοῦ λόγου, materiam tam periculosis locum dederit hypothesibus, deregit eruditè, ut solet, *Casaub.* cont. Baron. Exer-

cit.

cit. 1. quòd videlicet veteres λόγον οὐσιώδη, cum ratione humana confuderunt, indéque similitudinis sæpe rationem depromserunt, ubi maxima erat dissimilitudo. Ut non sine causa eximius Dei servus, Basilius, in explicatione primorum verborum, ex Evangelio Johannis monuerit, cavendum esse ab Homonymia vocis λόγος, ne in fraudem incidamus. *Hæc viri summi admonitio*, inquit *Casaubonus, in legendis veterum Patrum scriptis adprimè est necessaria: Multa enim in illorum monumentis occurrunt ad hujus vocis illustrationem eleganter, ingeniosè, addam & utiliter pro tempore excogitata, quæ tamen doctrinam parùm solidam continent. Talia multa habentur apud Patres, in quibus homonymia possit parùm cautis imponere. Sic, cùm Jobius, scriptor antiquus & eruditus causam affert, cur humanam Naturam Filius assumserit, non Pater aut Spiritus Sanctus: quia Filius sit ὁ λόγος, quem homo cùm amisisset, ait, necessarium fuit, ad sanandam ἀλογίαν, τὸν λόγον in terras venire. Parùm abest, quin ludere illum potiùs in re gravissima existimem, quàm serium Theologum agere.* Tutissimum

mum ergò erit, Scripturæ authoritatem & phraseologiam sequi, quæ aliter de S.S. Trinitate *propriè* loquitur, aliter *impropriè*. In *propria* locutione terminos *Patris* habebant, *Filij* & *Spiritus Sancti*; expressos, cur igitur illos non retinuerunt simpliciter, ad tot evitandas difficultates? Clara satis, perspicua, nobisque etiam nota sunt ista nomina, cur illis non religiosè insistamus? Si *amoris*, *vitæ* &c. nomen Spiritui Sancto tribuatur, Ecclesiastica illa Nomenclatura est: neque propria, sed Metonymica, quòd χαρισμάτων illorum effusio, toti quidem S.S. Trinitati cōmunis sit *inchoativè*, *terminativè* tamen ad Spiritum Sanctum referatur. Vocem λόγου sacris scriptoribus esse notam, nemo ambigit. *Impropria* tamen est, si sumatur pro secunda Deitatis Persona, & quidem, vel *Metonymica*, vel Metaphorica; ex similitudine quadam, & ἀναλογίᾳ cum λόγῳ creato, in Angelis & hominibus, tum interno, tum externo. *Ratio* etiam significationis, etsi à varijs accipiatur variè, apertè tamen ostendit, nihil hic Philosophicis dandum subtilitatibus, aut Scholasticorum expressionibus. Sive enim Filius Dei dicatur λόγος, quia est promissus ille Messias, exter-

no

no verbo promiſſus, ſive λόγος, vocetur tum ratione Perſonæ, quia eſt ſapientia, ſeu expreſsiſsima imago Patris, tum ratione officij, quia eſt Legatus & verbum Patris; voluntatem ejus nobis declarans, manifeſtum ſatis eſt, λόγου vocabulum *impropriè* (quod à ſuperioribus diſputatoribus non obſervatum, magnam rei Chriſtianæ malorum intulit iliadem) ſemper Chriſto tribui: *Illo*, eóque ſimplicisſimo modo, *Metonymicè*; ubi Adjunctum ponitur pro Subjecto, promiſſio pro re promiſſa, verbum, pro Chriſto, in verbo revelato; Chriſtus eſt λόγος, ſeu verbum: *Iſto* verò & *hoc* Metaphoricè, ita dicitur, vel quia Interpres verbi, quæ communis eſt ſententia; vel quia, ut ratio humana, λόγος noſter, eſt imago mentis ac cogitationis noſtræ, ita Chriſtus ſapientia eſt, ſive expreſsiſsima imago Patris. Non ergo origo nominis ex lacunis Philoſophorum Platonicorum, aut Pythagoræorum (quod *Lactantius* voluit lib.4.c.9. & poſt eum Auguſtinus lib.7. Confeſſ. cap. 9. alijque ex Patribus, Scholaſticis cumprimis Theologis,) derivanda, ſed ex Scriptura, & uſu veteris Eccleſiæ Judaicæ, cui vox מימר non ignota fuit, petenda; de qua re in *Hexaëmer.*

mer. pag.53. *Alterum* eſt, quòd ipſi etiam infideles occaſionem, noſtris inſultandi ſacris, ab ijs arripuerunt, qui plumbeis pugnârunt mucronibus, Reipublicæ ſalutem quovis modo defendendam exiſtimantes. Atqui hoc verè eſt habere zelum, ὀ κατ' ἐπίγνωσιν. Hinc loca ſæpe V. T. pro aſſerenda S. S. Trinitate adducta videas, quæ accuratiùs expenſa, aliud longè volebant, quàm boni quidem, ſed infelices Kabbaliſtæ eruere ſunt conati. Author *Nizzach. Argent.* Mſc. initio ſtatim Geneſeos, eorum reprehendit Kabbalam, qui ex בראשית per Roſche Teboth, tres S. S. Trinitatis Perſonas elicere velint, ב initio ad duas denotandas Perſonas adhibitum: ה majuſc. quinque notare vulnera Chriſti, *Deut.32.6.* Et R. *Lipm.* S.126. loca, ex quibus S. S. Trinitatis myſterium Chriſtiani defendere conantur, aliquot affert, quibus pervicaci Judæo Anti Trinitario litigandi potiùs campus aperitur, quàm os obthuratur. Solidæ eſſe debent diſputationes Anti-Judaicæ, pondere magis, quàm numero graves.

Tertium, & quod maximè Adverſarij, Hoſtes Chriſti, & crucis ejus offendit, quódque tolli merito debuiſſet, eorum eſt ſcandalum, qui & inviſibilem Deum viſibili expreſſe-

runt

runt figura, & cultum honorémque soli Deo debitum, in creaturas, Homines, Angelos & imagines retulerunt. *Judaeorum* quaedam praemittamus testimonia de imaginum cultu. *R. Lipmanus* Sect. 179. refert. se sacrificulo cuidã Lindaviensi in faciem dixisse; אמת שחוק בעינינו שאתם מעמידים נגדכם צלמים ואתם קוראים בקול גדול ואינם שומעים כי רובם מכוונים להם ואף אותם שאומרים לדמיון ולזכרון ממ גורם טעות *Verè risus est in oculis nostris, quòd è regione vestra collocatas imagines, magna voce invocatis, quae tamen nihil audiunt. Et plerique quidem intentionem suam ad eas dirigunt* (terminativè eas colunt) *Quin & illi, qui symbolicè & repraesentativè id fieri dicunt, omnino occasionem errori praebent.* Exceptionem enim, sive excusationem Pontificiorum, imaginum usum tantùm esse symbolicum & repraesentativum, cultum proinde non in imaginem ferri, sed in id, quod imago docet, ipsi quoque judaei insufficientiae pridem accusârunt. *Majm & Kimchij* testimonium dedimus in Analect. pag. 210. R. *Lipman.* S. 61. negotium clarè & distinctè expedit; ומנאן תשובה לכותיים שאומרים שעושין צורות ודמיונות לזכרון ועוד שקר אל

נסכם שאי אפשר לציירו שנ אל מי תדמו
אל ומה דמות תערכו לו ועל הכותיים ועל
האומות שהושיב מלך אשור בשמרון נאמר
את השם היו יראים ואת אלהיהם היו עובדים
וכיון שיהעו את השי והיו יראים לפניו אכ
לא היו מאותם שאמרו עזב י את הארץ
ומעתה על כרחך לא היו משוגעים לעבוד
את אלהיהם כי אם על אחת מהשלשה דכים
או עבדו משרתי השם לכבודו. כדפיר טעות
של דור אנוש בפרש בראשית בסי יב או
עבדו אותם שיהיו מליצים בעדם כמו שאפר
בעזה איסורים בפרש עקב בסי קלב או עבדו
לעץ ואבן לזכרון כמו שפי כאן שיטתו ועל דרך
זה היו כל הנזכרים לגנאי שעבדו עץ ואבן
לזכרון כי לא יתכן שיהיו משוגעים כולם
שידמו שעץ עצמו יהיה אלהות ועליהם הוא
אומר מי לא יראך מלך הגוים ואומר
יבערו ויכסלו מוסר הבלים עץ הוא כלו הכל
יודעים מלכותך ואלהותך אלא רק שמדמין
בסכלותן שעושין עץ לדמיון שזה ההבל רצונך
והנה שלשה אלה לא יעשה והמה שלשת
פשעי אדום ומה שאנו משתחוים כנגד ארון
הקודש שבו תורת העדות אין השתחוואה
זו לא לשם אלהות ולא לשם עבדות לארון
הקודש או לתורה אלא אנו משתחוים לארון

יתבך

כל נגד אותן ששם קדושתו כמו שנ אבוא
ביתך אשתחוה אל היכל ששם עליו קדושתו
אבל כוונתו ליראת השם יתב וגדול מזו מצינו
שהשתחוה נתן הנביא לדוד המלך שנ וישתחו
על אפיו ארצה וג וכן בכל יום אנו משתחוים
למלך בשר ודם וכלזה מותר לפי שאינו בדרך
אלהות אבל בעשיית הפסילים גורמים טעות
לעמי הארצות ולנשיהם כי כולם משתחוים
להם ואומרים בשיטותם שיהא ממש בהם

Hinc respondetur Cuthæis (Christianis) *qui dicunt, se imagines & similitudines facere memoriæ ergo; id quod falsum est, cùm non posit* (Deus) *effigie exprimi*, q. d. Cui assimilabitis Deum, & quam similitudinem ei disponetis? *Et de Cuthæis, atq; Gentibus, quas Assyriæ Rex Schomronæ collocavit, dicitur, quòd Deum timuerint, & Deos simul suos coluerint. Quam primùm igitur cognoverunt Deum benedictum, eum etiam timuerunt: Id si ita sit, non erunt de illis, de quibus dicitur*; (Ezech. 8. 12.) Reliquit Deus terram hanc, &c. *Nunc ergo, vel invito te, non ita fuerunt amentes, ut Deos suos colerent, nisi una aliqua, ex tribus sequentibus, via.* Aut coluerunt *Dei Ministros, in honorem Ejus*

Ejus, prout errorem explicui generationis Enosch. Sect. בראשית *n.12. Aut coluerunt eos, quòd essent intercessores eorum, prout interdictum eorum, Sect.* עקב *n. 132. explicabo. Aut coluerunt lignum & lapidem in memoriam, prout heic rationem ejus explico. Hanc observârunt viam omnes illi, quorum mentio fit κατὰ τὴν δυσφημίαν, quòd coluerint lignum & lapidem repræsentativè. Neque enim verisimile est, adeò omnes fuisse amentes, ut existimarent, lignum, ipsam fuisse divinitatem. Atque de his dicit:* (Ierem. 10. 7.) Quis non revereatur te, Rex ipsarum Gentium? &c. *Et iterum* At una obbrutescunt & stolidi fiunt: Eruditio vanitatum, eruditio ligni est; *quasi diceret, omnes nôrant Regnum tuum & Deitatem tuam; nisi, quòd stultò opinantur, quasi lignum fabricarent ad similitudinem; quæ tamen* (ô homo) *vanitas est voluntatis tuæ. Et ecce, hæc tria ne* (quis) *faciat, sunt enim tres prævaricationes Edom! Quòd verò nos, prostrati ad arcam sanctam, in qua Lex testimonij, adoramus, adoratio hæc nec divina est, nec religiosa ad arcam sanctam aut ad Legem: sed Dominum*

num omnium, qui coram iis est, adoramus, qui sanctitatem suam ibi posuit, quemadmodum dicitur : Ingrediar domum Tuam, & adorabo ad templum ; *quia sanctitatem suam ibi posuit : Estq; intentio ejus ad timorem Dei benedicti* (excitandum.) *Et quod majus est, invenimus, Nathanem Prophetam adorâsse Davidem Regem, q. d.* Et incurvavit se, vultu demisso terram versus &c. *Atque hinc etiam quotidie prosternimus nos, coram Rege carnali : Quæ quidem omnia sunt licita, quia non religioso divinitatis cultu fiunt. Verùm* εἰκονοποιΐα *occasionem præbet errori plebeiis, & uxoribus eorum, qui omnes illas* (imagines) *adorant, dicentes in stultitia sua, aliquid solidi ipsis inesse.* Idem author, disputatione contra Petrum N. sub finem lib. Nizz. p. 192. ואתם אומרים להעביר גילולים מן הארץ והאלילים כרות יכרתון עכל ואען ואמר אי אתה מודה שאותן צורות של עץ ואבן שאתם משתחוים להם שאינכם עושים אותם אלא לדמיון ואין בהם ממש ואי אתה מודה שיש נשים קטנים וכפרייס שאינן יודעין שהם דמיון וסבורין שיש בהם ממש באלהות שלכם והוצרך לומר הן

Vos

Vos (Iudæi) *dicitis, tollendos Deos ſtercoreos è terra, & Idola penitus excidenda.* Huc usque ille. *Cui ego reſpondi atque dixi. Nonne fateris, ipſas imagines ligneas & lapideas, quas vos adoratis, à vobis non fieri niſi memoriæ ergo, nec quicquam in ijs eſſe ſolidi? Et annon fateris, eſſe mulieres, minorennes, ruſticos, qui ignorent memoriæ tantum cauſâ adeſſe; ſed exiſtiment, aliquid veræ Deitatis, ex veſtro ſenſu ineſſe? Et certè neceſſariò ita loquendum eſt.* Et poſtea: ובאותן צורות ואתם עוברים על עשרת הדברות ולא עוד אלא אותם דמיונות שאתם עושים דמות לאלהות שקר הם כי אין אדם יכול לעשות דמותו כמו שנ בישעיה אל מי תדמיון אל ומה דמות תערכו לו הפסל נסך חרש וצרף בזהב ירקענו וגו *Atque per easdem imagines vos transgreſſores eſtis Decalogi. Neq; id tantùm; ſed & ipſa, quas conficitis, ſimilitudines, ut divinitatis ſint Exemplar, mendacia ſunt:* Neque enim *homo ullam ejus ſimilitudinem exprimere poteſt, q. d. apud Jeſajam:* Cui ergò aſsimilabitis Deum fortem, & quam ſimilitudinem comparabitis ei? Sculptile regit artifex, & auri-

 fex

fex, auro obducit illud &c. c. 40. v. 18. 19. Ejusdem Prophetæ locum c. 42. v. 8. Auth. *Nizz.* Argentin. contra sculptilia graviter urget, quibus ajt Christianos replevisse בתי תרפותם *domos turpitudinis* suæ; ita per δυσφημίαν Templa appellat, Heb. בתי תפלותם προσευχαὶ dicta. Observat etiam *Ahmed Ibn Edris* Muhamedanus, p. m. 315. אן עבדה אלאותאן פיצרחון בתעדיד אלאלהה מן כל וגה ולא יקול אחד מנהם אן אלצנם הן אללה תעאלי *Idololatræ satis clarè se, omnibúsque modis reos faciunt,* πολυθείας; *neque tamen quisquam eorum dicet, imaginem esse Deum excelsum.* Quasi tritum illud objiceret; *Nega, si fecisti.* Nempe, non satis esse ad eluendum Idololatriæ crimen, si protestatio gravissimis concepta verbis, contraria sit ipsi facto. Aliâs enim Gentiles etiam πολυθείας satis manifestè convictos, errori colorem aut fucum quæsituros. Prout in aprico, & alibi fusè probatum est, ne Gentilibus quidem discrimen inter imaginem, & rem imagine significatam fuisse ignotum: Vid. *Hodeg.* P. II. p. 24. Sed & ad argumenta, quibus Pontificij fabricam, usum & cultum imaginum defendunt, Judæi respon-

ſponderunt. R. Lipm. S. 73. obſervat, Chriſtianos quidem imaginibus ſuis in templo collocatis in Cherubinis patrociniũ quęrere; ſed fruſtra. Eſſe enim notorium Elenchũ parium. Cherubinorum ἐκτυπώματα, ne vultum quidem aut faciem figurâſſe: Præterea non fuiſſe erecta, לאלהות ad Deitatem exprimendam. Lege interdictum eſſe לעשות דמיונות לשם אלהות שגורם טעות *facere imagines propter divinitatem* (in honorem aut Typum numinis divini) *propterea quòd occaſionem præbeat errori.* Joſeph. de Voiſin in Theolog. Judaic. lib. 1. c. 5. imagines in templis Hebræorum, collocatas fuiſſe inde colligit, quòd Baal Turim in Exod. 25. monet; שנים כרובים בגימטריא אברהם יצחק יעקוב שהיו שם כדי להזכיר זכות אבות *Duo Cherubim, per Gematriam, Abraham Jſaac & Jacob: qui ibi in propitiatorio aderant, ad revocandum in memoriam juſtitiam Patrum*; quod ipſum infirmæ probationis firmum eſt argumentum. Quid enim hoc Gematriæ exemplum aliud, quàm recentioris Magiſtri ſuaviludium, cui totius Gentis conſenſus repugnat? Hæc Theologia Symbolica, ne in Judæorum quidem Scholis eſt argumentativa. Quanquam ne

 ima-

imaginum quidem author meminerit. Nec omnis memoria per imagines restauratur. Sed ad *Muhammedanos* progredimur, audituri eorum etiam de sponte introducto imaginum, Sanctorúmque cultu querelas: Et mittimus quidem, quæ ex Emphasi radicis אלהים pro religioso adorationis cultu studiosè heic urgent, quorum nonnulla citata à nobis sunt *Hexaem*.p.20.*Fascic*.disp.p.269. Illa verò, quæ habet *Ahmed Ibn Edris*, expendant, qui, cùm Christi discipuli haberi velint, verbo tamen ejus apertè resistunt. Quæst.41.ex Decal. præcepto secundo affert verba, ad ipsum tamen Deum relata: לא תשבהני בשי ממא פי אלסמא ולא פי אלארץ ולא ממא פי אלאבאחר *Non assimiliabis me ulli rei, quæ in cælo, aut in terra, aut in maribus. Quæ etiam sup. q. 7.* allegavit, indéque נפי אלתשביה *remotionem omnis assimilationis*, conclusit. Et p. m. 179. ליס פי כתבהם חרף מן שרע אלתצויר ולא מן אלסגוד ללתצאויר *In Scripturis Christianorum ne litera quidem est, quæ sanciat vel fabricam imaginũ, vel adorationem.* Sed & de *sanctorum cultu* tam Angelorũ, quàm hominũ, prolixè scripserunt Judæi & Muhamedani.

At

Et alij quidem ex eo, quòd observarent, eundem adorationis & invocationis cultum Deo & Sanctis tribui, πολυθείαν Christianis impegeruunt. *Ahmed Ibn Edris* p. m. 189. Q. 72. יקרון פי אלצלאה אלערב יא ואלדה אלאלה אלעדר אסעי פי כלאצנא ואפרגי יא ואלדה אלאלה מבארכה אנתי פי אלנסא ומבארכה תמרה בטנך לאנך ולדת לנא מכלצא יא ואלדה אלאלה לא תעפלי ען מסאילנא ונחן מן אלמעאטב ופי הדא אלצלאה יא צאבע אלמסיח יוחנא אדכר גמא עתנא ונחנא מן אלמעאטב פצארת אלהתהם סתה אלאב ואלאבן ואלרוח אלקדס ומרים ואלמסיח פלם *Legunt in precibus vespertinis*: O Dei Genitrix, Virgo, festina ad liberationem nostri; Depelle mœrorem ò Genitrix Dei, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: Tu enim genuisti nobis Servatorem nostrum; ò Deipara ne respuas preces nostras, qui sumus afflicti, *Et in eadem precatione*: O Baptista Messiæ, Johannes, memento nostri cætus, & libera nos ab afflictionibus. *Et ita Dij eorum sex sunt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Maria, Messias, & Johannes.* Ad-

 dit

dit immediatè; ואן טול בהם אלזמאן בארת אלהתהם לא תעד ולא תחצי *Temporis progressu Dij eorum nec numerari, nec recenseri poterunt*. Quæst. 37. exprobrat Christianis, quòd in precibus suis S.S. Trinirati addãtq; Angelos, p. 190. שרכוא אלמלאיכה ואלתוראה ואלאנגיל ואלמזאמיר יכדבהם פי דעואהם עלי אלמלאיכה *socios ej adjungunt Angelos. Lex autem, Evangelium & Psalmi mendacij eos arguunt, dum hoc modo Angelos illi invocant.* Quæst. 69. præmissis precibus ad B. Virginem, concludit. הדא אלצלאה יקתצי עבאדה מרים רצי אללה לתצריחהם באלתצרע להא לתרחם נפוסהם ותפתח להם אבואב אלרחמה ולא מעני ללעבודיה ואלרבוביה אלא הדא *Sed & precatio hæc evincit cultum Mariæ, cui Deus propitius sit: quia clarè ei supplicant, ut misereatur eorum, ijs aperiat fores misericordiæ. Neque enim cultus & Majestatis alia est ratio.* Certum est, veteres, Theologos religiosæ adorationis cultum inter honores divinos constanter retulisse; illo etiam argumento pro Deitate Filij Dei contra Arrianos pugnâsse; id quod fusè probat

bat *Forbes.* Instruct. Histor. Theol. l. 7. c. 2. ut mirum non sit id ipsum contra Ἀγιολατρείαν urgeri à Muhamedanis. Quin & *Iudæi* 1. ostendunt, *adorationis honorem Angelis non convenire, neq; preces ad eos nominatim dirigendas*: R. Iof. Alb. l. 2. c. 28.

אבל המתפלל למלאך או משתחוה לו מצד עצמו וכחו המיוחד לו ומצד מה שיורה עליו שמו הוא מה שהוזהר עליו בדבור לא יהיה לך אלהים אחרים על פני וכן כתב הרמבן ומכאן התבאר טעות המזכירים בתפלתם שמות למלאכים כי שמות המלאכים אמנם הם להם מצד הכח אשר להם בעצמם וזהוא מה שהוזהר עליו בדבור לא יהיה לך כמו שכתבנו *Qui verò orat Angelum, vel ipsum adorat propter semet ipsum, vel virtutem illi propriam, vel id etiam, quod nomen ejus docet, id ipsum est, quod prohibetur dicto:* Non erunt tibi Dij alij coram me. *Atq; hoc ipsum scripsit Nachmanides. Hinc etiam eorum declaratur error, qui meminerunt nominum Angelorum in precibus suis: Nomina enim Angelorum conveniunt illis, propter propriam illorum virtutem. Atque hoc ipsum prohibetur dicto*: Non habebis Deos &c. prout scripsimus. 2. *Conditiones invocatio-*

vocationis & adorationis in solum Deum cadere. Id quod idem author de fundam. lib. 4. c. 17. fusè explicat. Verba ejus sunt : כל מיני החסד מושפעים ונמשכים מהשם יתברך ואין נמצא אחר זולתו שיוכל להשפיע חסד על שום נמצא וזה לפי שאי אפשר שיקווה חסד גמור משום נמצא אלא אם כן נמצאו במשפיע ההוא ארבעה תוארים האחד שיהיה המשפיע ההוא בלתי משתנה שאם היה משתנה אי אפשר שיהיה החסד הנמשך ממנו גמור כי לא יהיה קיים ואין נמצא זולתי שלא ישתנה וגו *Omnes species misericordiarum* (beneficiorum) *effunduntur & deducuntur à Deo benedicto : Nullúmque aliud est ens præter Deum, quod possit misericordiam in rem aliquam infundere, idque, quia misericordia perfecta à nullo potest expectari, nisi ab eo, in quo non quatuor* (sequentes) *reperiantur conditiones.* Prima est, *ut ille, à quo misericordia* (beneficium) *promanat, sit immutabilis, si enim mutabilis esset, misericordia ab ipso profluens non esset perfecta, quia non esset stabilis. Nullum verò ens immutabile est præter Deum, &c.* ההשני שיהי המשפיע ההוא בלתי צריך אל עזר אחר נמצא זולתו בהשפעת

בהשפעת החסד ההוא או הטוב ההוא שאם יהיה צריך אל עזר זולתו לא יהיה בטוח מקבל החסד שיתמיד החסד ההוא אם לא בהמצא העזר ההוא וגו ואין נמצא בעולם שלא יצטרך אל עזר זולתו אלא השם יתברך כמאמר הכתוב אני העוש הכל נוטה שמים לבדי רוקע הארץ מאתי Secunda *conditio est, ut ille, à quo promanat misericordia, non egeat alterius auxilio, ad misericordiam illam, aut bonum illud concedendum: Si enim alio opus habeat auxilio, non erit accipiens certus, misericordiam illam continuaturam, ob necessitatem præsentiæ alterius auxilÿ, &c. Nihil autem est in Mundo, quod alterius auxilio non indigeat, præter Deum benedictum, juxta illud:* Ego Dominus faciens omnia, extendens cœlos: Ego solus, extendens terram meâ potentiâ, *Esaj.* 44. 24. והשלשי שיהיה המשפיע ההוא יכול על שני הפכים בשוה שבזולת זה לא יוכל המקבל להשיג חפצו בכנל עת שפעמים יצטרך האדם אל דבר ופעם אל הפכו וגו ואין בעולם שיהיה יכול על זה אלא השי אמר הכתוב יוצר אור ובורא חושך עושה שלום ובורא רע אני עושה

וי׳ עושה כל אלה Tertia, *ut ille, qui impertit misericordiam, duo ex æquo possit contraria. Aliâs, qui beneficium recipit, non semper voluntatem suam assequi posset. Modò enim opus habet re aliqua, modò alia contraria. Non est autem in mundo, qui hoc possit, præter Deum benedictum, de quo scriptum est:* Formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus, faciens hæc omnia, *Esaj.* 45. v. 7. והרביעי׳ שיהיה המשפיע ההוא בצד שלא יהיה שום נמצא אחר יכול לעכב על ידו מלעשות רצונו שאם יש מעכב עלידו לא יהיה בטוח מקבל החסד שיגיע אליו החסד המבוקש מן המשפיע ההוא שאולי יעכב על יד זולתו והוא מבואר שכל נמצא זולת השם יכול השם לעכב על ידו ואין מי שיעכב ביד השם שלא יעשה רצונו אמר הכתוב הן יחטוף ומי ישיבנו מי יאמר אליו מה תעשה ובהתחבר אלו התוארים במשפיע יהיה בטוח מקבל החסד שיתקיים בידו החסד המגיע או שיגיע המבוקש ואחר שאין נמצא זולת השם שימצאו בו יחד אלו הארבע תנאי הוא מבואר שאין ראוי שיבוקש או שיקוה חסד משום נמצא זולתו

וזה

וזה הדבר באר אותו הכתוב בפרשת האזינו ראה עתה כי אני אני הוא Quarta *est, ut ille, qui misericordiam largitur, in eo sit statu, ut nullum aliud sit Ens, quod impedire ipsum possit, quominus id quod placet, efficere possit. Si enim impediri posset, ille, qui beneficium accipit, certus esse non posset de consequenda petita misericordia, quandoquidem concedens ab alio impediri posset. Constat autem, Deum omnia alia posse impedire, nihil verò impedimentum afferre voluntati & beneplacito Dei, juxta illud:* Si rapuerit, quis restituere faciet eum? Quis dicet ad eum, quid facis? *Cùm autem hæ conditiones pariter conveniunt in eum, qui misericordiam impertit: Certum erit ei, cui misericordia tribuitur, sibi non defuturam misericordiam, quæ datur, seque consequi posse, quod petit. Quando verò non est præter Deum, in quo hæ quatuor conditiones simul reperiantur, constat, non esse misericordiam, requirendam, aut expectandam, nisi à Deo, juxta illud,* videte nunc, quòd ego sum &c. Deut. 32. v. 39. Et postea: ואין שום נמצא זולתו שיוכל לעשות חסד שהוא לבדו מקור החסדים והטובות קולם וזהו כיעם

״ החסד רוצה לומר ולא עם זולתו ולזה תהיה התפלה ראויה לו ולא לזולתו שאין יתפלל אדם לפני מי שאינו יכול לתת את שאלתו ולעשות את בקשתו *Nemo, præter Deum, potest facere misericordiam; quia ipse solus est fons misericordiarum, & bonorum omnium, juxta illud*, Psalm. 130.7. Quia cum Domino misericordia est, q.d. *cum nullo alio. Ideóque ipsum orare decet, & non alium. Quomodo enim quis eum oraret, à quo non posset consequi, quod petis?* Hæc *Josephus Alb.* in Lib. Fundam. 3. Negant etiam Judæi, *pontificios ullum vel exemplum, vel mandatum habere invocationis Sanctorum. R. Lipm.* Sect. 133. ומה שאמר יעקוב אבינו עה המלאך הגואל אותו מכל רע יברך את וגו חו שהתפלל אל ה מלאך אלא קאי על שאמר למעלה האלקים הרועה אותי שהוא יברך את הנערים על ידי מלאכיו וראה והבן בכל התפילות שבכל עשרים וארבע ספרים לא תמצא שום תפילה למליצים *Atqui dicit Jacob Pater noster* p. m. Angelus, qui liberavit me ab omni malo, benedicat &c. *Absit, illum adorâsse Angelum; sed eum* (invocavit) *de quo supra*

ſupra dixit: Deus, qui pavit me, ille eſt, qui benedicet pueris, miniſterio Angelorum ſuorum. *Vide verò & attende ad omnes preces, quæ in omnibus XXIV. libris* (V.T.Canonicis,) *non invenies ullam Orationem factam ad Interceſſores.* Et S. 15.

ויש מן הנוצרים שעוברים לקדושים שיהיו מליצים בעדם דוגמת מלך בשר ודם שאדם צריך לרצות משרתין להטעים דבריו למלך וגם זה הבל ורעה רבה שאינם מאמינים שהוא יתב יודע כל מעשיהם ודבריהם אם לא יטעימם לו אחד ממשרתיו או הם מא מינים שהוא יתקשה לרצות ומשרתיו נוחים לרצות כשהם ירצו אותו לעשות ככה

Sunt ex Chriſtianis (Waldenſes fortè, aut alios, qui à recepto jam errore abſtinuerunt, excipit) *qui Sanctos colunt, ut Mediatores ſint pro ipſis, exemplo Regis carnalis; ubi neceſſum eſt homini, ut conciliet ſibi Miniſtros ejus, qui cauſam ſuam Regi cum gratia proponant. Sed & vanitas eſt, & afflictio magna. Aut enim non credunt, Deum Opt. Max. omnia ſua facta & dicta nôſſe, niſi ex Miniſtris ejus illa commendet. Aut credunt, Deum Opt. difficilius placari poſſe;*

 faci-

facilius Ministros, utpote qui ipsum possint, reconciliare. Absit autem, hæc ita fieri.

III. Pergimus ad *Ministros* Ecclesiæ. Non immorabimur probrosis, quæ Judæi illis, imposuerunt, nominibus: Illa breviter, quæ jure reprehendi in illis poterant utpote vel vocatione indigna, vel S.Scripturæ contraria, indicabimus. *Cælibatum Sacerdotum* Author Nizz. Argent. semel atque iterum vellicat, eorundemque incontinentiam, exprobrat, Apostolicum consilium, melius esse nubere, quàm uri, inculcat; ad c.22. *Levit.* & *Deut.31.* Alibi quærit, cur, exemplo Aharonis, & argumento *Genes.1.* Sacerdotes non etiam uxores ducant, cùm constet, scortationi eos deditos? *Ahmed. Ibn Edris*, p. m. 180. אלתזאם אלנצארי אן אלראהב ואלראהבה לא יתזוגאן ואן אלזוג מתאפ ליאתי אלקרבאת אלי אללה תעאלי ואן תרך אל נכאח מן גמלה אלמנאסך ויער צון אלרגאל ואלנסא ללזנא ואלפסאר פי ביות אלעבאראת ויסדון באב אלדריה אלצאלחה ומן יעטם אללה תעאלי וימגדה ויקדסה והוא מן לא יגדון לה ענדהם אצלא אלא קול אלאנגיל מן תרך זוגה או בנין או חקלא מן אגלי פאנה יעטי ללואחד מאיה פקד צרח באן

באן תרך אלזוגה תיאב עליה והם עלטא
פיה מן וגוה אחדהא אנה מעארץ בקול
אלמסיח עלם פי אלאנגיל מן טלק
זוגתה באטלא פקד ערצהא ללזנא פקד
תמי ען אטלאק בעיר סבב יוגבה ואמר ברואם
אלזוגיה ענד עדם סבב אלפראק ותאניהא
אלזואג משתמל עלי קרבאת אעפאף אלזוגה
ואעפאף אלזוג ואלתסבב לעבד צאלח יעטם
אללה תעאלי ואן עאם אלשיטאן יצון פי
כתבהם אן אללה תעאלי אמתן עלי אבראהים
עלם וזכריא עלם בכעמה אלאולאד פקד קאל
מרקס פי אלרסאלה אלתאניה עשר אן
אלקסס מחקוק באן יכון עיר מלזם ואנה וכיל
אללה עיר חקוד ולא מסתבד בראיה ולא
מגאוז ללקצד פי אלחמר ולא יסרע ידה אלי
אלצרב ואן יכון מחבא ללער יבא אלאעמאל
אלצאלחאת עפיפא באן אכירא צאבט נפסה
ען אלשהואת עניא באלעלם ואלתעלם ולה
זוגה ואחדה ואלתסבב ללעפאף ואן כאלפה
פקד צל ען סנה אל נביין ואחדת אלבדע
אלקביחה פי אלדין ומא הי אלא בזעה
פלספיה וכילאת סוראייה
Necessarium apud Nazaraeos habetur, ut religiosus & religio-

sa, maneant cœlibes. Conjugatum enim i-neptum (volunt) *esse, qui afferat sacrifici- Deo Excelso.* (*De diversa hujus commatis le-ctione postea agemus*) *Abstinentiam enim à conjugio pertinere ad leges sacrificales. Atq; sic viros & mulieres objiciunt scortationi, & corruptioni in AEdibus cultui destinatis* (Monasterijs) *& claudunt januam prospera generationis, quam tamen Deus magnifecit, laudavit, & sanctificavit. Figmenti autem hujus sui nullum principium habent, nisi in dicto Evangelij, de deserenda uxore, aut filijs, aut agris propter me, & quod u-ni centuplum sit reddendum. Ubi expressè desertioni uxoris promittatur præmium. Multis autem modis in eo* (dicto, ejusque ex-plicatione) *peccatur. Primò, quòd ita contradiceret dicto Messiæ, super quo pax, in Evangelio :* Quisquis dimiserit uxorem suam sine causa, *utique eam objicit scortationi; unde divortium absque causa, quæ illud efficeret necessariò, prohibuit; imperavit contrà durationem conjugij, causa separationis deficiente. Secundò, constat conjugium suis affinitatis* (seu sanguinis, cogna-tionis)

tionis) *gradibus : suus est abstinentiæ limes uxori , suus marito* ; possent hæc verba etiam reddi : *Consistit conjugium in modesta, & verecunda conversatione, tam ex parte uxoris, quàm mariti. Convitiari autem servum bonum* (hominem pium, conjuges verecundos & modestos ita scabiosè traducere) *Deus magno habet loco* , (er empfindet es hoch) *etsi insultet Satanas. Asservatur* (insuper) *in Scriptis eorum, quòd Deus Excelsus, firmum præstiterit Abrahamum p. m. & Zachariam p. m. beneficio liberorum. Dicit etiam Marcus*, (*Marci* nomen adhibet, pro *Paulo*, qui Muhammedanis vel eo nomine invisus est, quòd disertè fateantur, eum doctrinam de S. S. Trinitate clarè exposuisse; *Hist. Orient. p. 242.*) *Epistola XII.* (ordine nempe , inter Paulinas, quæ est ad Tit. c. 1. v. 6. &c.) *à genuino Presbytero requiri, ut sit inculpatus, tanquam dispensator Dei , non odio deditus , non pertinax, non vinosus, non propensus ad verbera , peregrinorum amans , & bonorum operum, castus, justus, tenax* (veri sermonis) *continens seipsum à voluptatibus, dives scientia & institutione; qui sit unius*

uxoris maritus, & cujus liberi ſint boni (bene morati.) *Atque hac eſt Lex de praſtantia conjugij, & contemtu* (inſectatione) *medicina contra fornicationem; cui qui contradicit, aberrat à Lege Prophetarum, & producit novitatem turpem in religione, neque illa quicquam aliud eſt, quàm contentio* (vel hypotheſis) *Philoſophica, & phantaſia, &c.* Mens authoris eſt. 1. Chriſtianos clero cælibatum Lege quadam impoſuiſſe. Ratio, ex varietate lectionis, varia exiſtit. Si legatur ליותי אלקרבאן *ut offerat ſacrificium*, ſenſus eſt: Conjugio implicitum indignum eſſe, qui Deo offerat. Si verò לבאב אלקראבאת vel vertendum erit, *propter conjunctionem*, ſive *affinitatem*: vel, *propter converſationem matrimonialem.* Ex illa translatione cælibatûs Lex emergit, quod clero, qui ſpirituali nexu ſit copulatus, non conveniat, copula carnalis: Ex *hac* verò argumentum prodit; quòd carnalis converſatio indigna ſit Sacerdotio. Atque hæc lectio trito Pontificiorum argumento, pro cleri cælibatu, proximè accedit. 2. Dictum Chriſti, de deferendis domeſticis & familia, cauſæ cælibatûs non favere,

vere, cùm non absolutè possit accipi, siquidem & Christus alibi omnem separationem illegitimam prohibeat, & Epistolæ Apostolicæ, expressè à Ministro exigant, ut sit unius uxoris vir. 3. Indignum esse, probris adeò virulentis conjugium, quod medicina quædam sit conjugum, incessere: ut enim vox עפאף generaliter *medicinam* notat; ita in specie phrasis Arabica אמרנא באל עפאף est; *abstinere nos jussit à fornicatione.*

2. Σκληραγωγία, & vita, inspeciem saltem, durior, claustralium tanquam ἄγραφος, ἀντίγραφος, καὶ ἄλογος, hinc inde à Judæis reprehenditur. *R. Lipm.* Sect. 317. præmittit monitum Ethicum, ad locum *Eccles.* c. 7. 16. *Ne sis nimium justus*, בכזל המדות הטובות שינהג בהם הצדיק כגון האהבה והשלום ושאר מדות הטובות אל תנהוג בהם להתכהקאלקצה האחרון להיות כמו שאינו מרגיש *In omnibus bonis moribus, quibus justus assuescit; ut sunt amor & pax, & reliquæ virtutes præclaræ, ne assuescas iis nimis recedendo ad extremum, ut sis, quasi nihil sentires.* Quod, cùm multis explicuisset exemplis & similibus monitum suum, non vult, quenquam, vel verba sequentia

proferre לא אאכול בשר ולא אשתה יין ואתענה תמיד ולא אשכב עם אשה ולא אשב בדירה נאה ולא אלבוש כא שק כמו כומרי ארום עושים כי זה מדה רעה *Non edam carnem, neque bibam vinum: Semper Jejunabo, neque dormiam cum uxore neque habitabo in ædibus pulchris, nihilque induam præter cilicium*, prout *solent Monachi Edomæorum*, (Christianos sic vocari, notum est) *hæc enim est prava consuetudo.* Majm. Præfat. in Pirk Abh. c. 3. p. m. 200. prolixè docet, hanc σκληραγωγίαν, veteribus quidem Judæis etiam fuisse notam, non verò tanquam regulam ordinariam, sed veluti exceptionem; non tanquam cibum pro validis, sed medicinam pro ægrotis. Nihil tale comendare sacras Literas, etsi luculento perfectionis testimonio ornatas. Sed ipsum, in re gravissima, audiamus Mosen Ægyptium, Arabicè primò, postea & Latinè loquentem: פאמא מא פעליה אלפצלא פי בעץ אלאזמאן ובעץ אשכאץ מנהם איחצא מן אלמיל נחו אלטרף אלו אד מתל אלציאם וקיאם אלליל ותרך אכל אללחם ושרב אלנביד ואבעאד אלנסא ואלבאס אלצוף ואלשער וסכנא אלגבאל

ואלאנקטאע

ואלאנקטאע פי אלבראריי ומא טעלוא שיא
מן הדה אלא עלי גהה אלטב כמא בכרנא
ולפסאד אהל אלמדינה איצא אדא ראו
אנהם יפסדון כמבאשרתהם ורויה אפעאלהם
ואן עשרתהם ממא יתוקעון פיהא פסאד
אכלאקהם פכרגוא ענהם ללבראריי וחית
לא אנסאן סו נחו קול אלנבי מי יתנני במדבר
מלון אורחים וג׳ פלמא ראו אלגהאל אולאיך
אלפצלא פעלוא הדה אלאפעאל ולם יעלמוא
ערצהם טנוא כיראת וקצדוהא בזעמהם אן
יכונו מתלהם וגעלוא יעדבון אגסאמהם בכל
וגה מן אלעדאב ויטנוא אנהם אתוא פצילא
ופעלוא כירא ואן בדלך יקרב מן אללה כאן
אללה עדו אלגסם יריד הלאכה ותלאפה והם
לא ישערון אן תלך אלאפעאל שרור ואן בהא
תחצל רדילה מן רדאיל אלנפס ומא מתלהם
אלא מתל גאהל בצנאעה אלטב ראי
אלמאהרין מן אלאטבה קד אסקוא מרצא
האלכין שחם אלחנטל ואלמחמורה ואלכבר
ונחוהא וקטעוא ענהם אלעדא פברוא מן
מרצהם ותכלצוא מן אמהלאך כלאצא עטימא
פקאל דלך אלגאהל ואדא כאנת הדה אלא
שיא תברי מן אלמרץ פבאלאכרי ואלאגדר
אן תבקי אלצחיח עלי צחתה אן תזיד פיהא

פגעל

יי החסד רוצה לומר ולא עם זולתו ולזה תהיה התפלה ראויה לו ולא לזולתו שאין יתפלל אדם לפני מי שאינו יכול לתת את שאלתו ולעשות את בקשתו *Nemo, præter Deum, potest facere misericordiam; quia ipse solus est fons misericordiarum, & bonorum omnium, juxta illud*, Psalm. 130.7. Quia cum Domino misericordia est, q.d. *cum nullo alio. Ideóque ipsum orare decet, & non alium. Quomodo enim quis eum oraret, à quo non posset consequi, quod petit?* Hæc *Josephus Alb.* in Lib. Fundam. 3. Negant etiam Judæi, *pontificios ullum vel exemplum, vel mandatum habere invocationis Sanctorum. R. Lipm.* Sect. 133. ומה שאמר יעקוב אבינו עה המלאך הגואל אותו מכל רע יברך את וגו חו שהתפלל אל ה מלאך אלא קאי על שאמר למעלה האלקים הרועה אותי שהוא יברך את הנערים על ידי מלאכיו וראה והבן בכל התפילות שבכל עשרים וארבע ספרים לא המצא שום תפילה למליצים *Atqui dicit Jacob Pater noster* p. m. Angelus, qui liberavit me ab omni malo, benedicat &c. *Absit, illum adorâsse Angelum; sed eum* (invocavit) *de quo supra*

ſupra dixit: Deus, qui pavit me, ille eſt, qui benedicet pueris, miniſterio Angelorum ſuorum. *Vide verò & attende ad omnes preces, quæ in omnibus XXIV. libris* (V.T.Canonicis,) *non invenies ullam Orationem factam ad Interceſſores.* Et S.12.

ויש מן הנוצרים שעובדים לקדושים שיהיו מליצים בעדם דוגמת מלך בשר ודם שאדם צריך לרצות משרתין להטעים דבריו למלך וגם זה הבל ורעה רבה שאינם מאמינים שהוא יתב יודע כל מעשיהם ודבריהם אם לא יטעימם לו אחד ממשרתיו או הם מא מינים שהוא יתקשה לרצות ומשרתיו נוחים לרצות כשהם ירצו אותחו לעשות ככה

Sunt ex Chriſtianis (Waldenſes fortè, aut alios, qui à recepto jam errore abſtinuerunt, excipit) *qui Sanctos colunt, ut Mediatores ſint pro ipſis, exemplo Regis carnalis; ubi neceſſum eſt homini, ut conciliet ſibi Miniſtros ejus, qui cauſam ſuam Regi cum gratia proponant. Sed & vanitas eſt, & afflictio magna. Aut enim non credunt, Deum Opt. Max. omnia ſua facta & dicta nôſſe, niſi ex Miniſtris ejus illa commendet. Aut credunt, Deum Opt. difficilius placari poſſe;*

 faci-

facilius Ministros, utpote qui ipsum possint, reconciliare. Absit autem, hæc ita fieri.

III. Pergimus ad *Ministros* Ecclesiæ. Non immorabimur probrosis, quæ Judæi illis, imposuerunt, nominibus: Illa breviter, quæ jure reprehendi in illis poterant utpote vel vocatione indigna, vel S. Scripturæ contraria, indicabimus. *Cœlibatum Sacerdotum* Author Nizz. Argent. semel atque iterum vellicat, eorundémque incontinentiam, exprobrat, Apostolicum consilium, melius esse nubere, quàm uri, inculcat; ad c. 22. *Levit.* & *Deut. 31.* Alibi quærit, cur, exemplo Aharonis, & argumento *Genes. 1.* Sacerdotes non etiam uxores ducant, cùm constet, scortationi eos deditos? *Ahmed, Ibn Edris*, p. m. 180. אן אלנצארי אלתזאם אלראהב ואלראהבה לא יתזוגאן ואן אלזוג מתאה ליאתי אלקרבאת אלי אללה תעאלי ואן תרך אל נכאח מן גמלה אלמנאסך ויער צון אלרגאל ואלנסא ללזנא ואלפסאר פי ביות אלעבאדאת ויסדון באב אלדריה אלצ אלחה ומן יעטם אללה תעאלי וימגדה ויקדסה והוא מן לא יגדון לה ענדהם אצלא אלא קול אלאנגיל מן תרך זוגה או בנין או חקלא מן אגלי פאנה יעטי ללואחד מאיה פקד צרח באן

באן הרך אלזוגה תיאב עליה והם עלטא
פיה מן וגוה אהדהא אנה מעארץ בקול
אלמסיח עלם פי אלאנגיל מן טלק
זוגתה באטלא פקד ערצהא ללזנא פקד
תמי ען אטלאק בעיר סבב יוגבה ואמר ברואם
אלזוגיה ענד עדם סבב אלפראק ותאניהא
אלזואג משתמל עלי קרבאת אעפאף אלזוגה
ואעפאף אלזוג ואלתסבב לעבד צאלח יעטם
אללה תעאלי ואן עאם אלשיטאן יצון פי
כתבהם אן אללה תעאלי אמתן עלי אבראהים
עלם וזכריא עלם בכעמה אלאולאד פקד קאל
מרקס פי אלרסאלה אלתאניה עשר אן
אלקסס מחקוק באן יכון עיר מלזם ואנה וכיל
אללה עיר חקוד ולא מסתבד בראיה ולא
מגאוז ללקצד פי אלחמר ולא יסרע ידה אלי
אלצרב ואן יכון מחבא ללער יבא אלאעמאל
אלצאלחאת עפיפא באן אכירא צאבט נפסה
ען אלשהואת עניא באלעלם ואלתעלם ולה
זוגה ואחדה ואלתסבב ללעפאף ואן כאלפה
פקד צל ען סנה אל נביין ואחדת אלבדע
אלקביחה פי אלדין ומא הי אלא בזעה
פלספיה וכילאת סוראייה *Necessarium apud Nazaræos habetur, ut religiosus & religio-*

 sa,

sa, maneant cœlibes. Conjugatum enim i-neptum (volunt) *esse, qui afferat sacrificia Deo Excelso.* (*De diversa hujus commatis lectione postea agemus*) *Abstinentiam enim à conjugio pertinere ad leges sacrificales. Atq; sic viros & mulieres objiciunt scortationi, & corruptioni in AEdibus cultui destinatis* (Monasterijs) *& claudunt januam prospera generationis, quam tamen Deus magnifecit, laudavit, & sanctificavit. Figmenti autem hujus sui nullum principium habent, nisi in dicto Evangelij, de deserenda uxore, aut filijs, aut agris propter me, & quod uni centuplum sit reddendum. Ubi expressè desertioni uxoris promittatur præmium. Multis autem modis in eo* (dicto, ejusque explicatione) *peccatur. Primò, quòd ita contradiceret dicto Messiæ, super quo pax, in Evangelio :* Quisquis dimiserit uxorem suam sine causa, *utique eam objicit scortationi; unde divortium absque causa, quæ illud efficeret necessariò, prohibuit; imperavit contrà durationem conjugij, causa separationis deficiente. Secundò, constat conjugium suis affinitatis* (seu sanguinis, cognationis)

tionis) *gradibus* : *suus est abstinentiæ limes uxori* , *suus marito* ; possent hæc verba etiam reddi : *Consistit conjugium in modesta. & verecunda conversatione, tam ex parte uxoris, quàm mariti. Convitiari autem servum bonum* (hominem pium, conjuges verecundos &modestos ita scabiosè traducere) *Deus magno habet loco* , (er empfindet es hoch) *etsi insultet Satanas. Asservatur* (insuper) *in Scriptis eorum, quòd Deus Excelsus, firmum præstiterit Abrahamum p. m. & Zachariam p. m. beneficio liberorum. Dicit etiam Marcus*, (*Marci* nomen adhibet, pro *Paulo*, qui Muhammedanis vel eo nomine invisus est, quòd disertè fateantur, eum doctrinam de S. S. Trinitate clarè exposuisse; *Hist. Orient. p. 242.*) *Epistola XII.* (ordine nempe , inter Paulinas, quæ est ad Tit. c. 1. v. 6. &c.) *à genuino Presbytero requiri, ut sit inculpatus, tanquam dispensator Dei* , *non odio deditus* , *non pertinax*, *non vinosus*, *non propensus ad verbera*, *peregrinorum amans*, *& bonorum operum, castus, justus, tenax* (veri sermonis) *continens seipsum à voluptatibus, dives scientia & institutione; qui sit unius*

uxoris maritus, & cujus liberi ſint boni (bene morati.) *Atque hac eſt Lex de præſtantia conjugij, & contemtu* (inſectatione) *medicina contra fornicationem; cui qui contradicit, aberrat à Lege Prophetarum, & producit novitatem turpem in religione, neque illa quicquam aliud eſt, quàm contentio* (vel hypotheſis) *Philoſophica, & phantaſia, &c.* Mens authoris eſt. 1. Chriſtianos clero cælibatum Lege quadam impoſuiſſe. Ratio, ex varietate lectionis, varia exiſtit. Si legatur ליותי אלקרבאן *ut offerat ſacrificium*, ſenſus eſt: Conjugio implicitum indignum eſſe, qui Deo offerat. Si verò לבאב אלקראבאת vel vertendum erit, *propter conjunctionem*, ſive *affinitatem*: vel, *propter converſationem matrimonialem*. Ex illa translatione cælibatûs Lex emergit, quod clero, qui ſpirituali nexu ſit copulatus, non conveniat, copula carnalis: Ex *hac* verò argumentum prodit; quòd carnalis converſatio indigna ſit Sacerdotio. Atque hæc lectio trito Pontificiorum argumento, pro cleri cælibatu, proximè accedit. 2. Dictum Chriſti, de deferendis domeſticis & familia, cauſæ cælibatûs non favere,

vere, cùm non absolutè possit accipi, siquidem & Christus alibi omnem separationem illegitimam prohibeat, & Epistolæ Apostolicæ, expressè à Ministro exigant, ut sit unius uxoris vir. 3. Indignum esse, probris adeò virulentis conjugium, quod medicina quædam sit conjugum, incessere: ut enim vox עפאף generaliter *medicinam* notat; ita in specie phrasis Arabica יאמרנא באל עפאף est; *abstinere nos jussit à fornicatione.*

2. Σκληραγωγία, & vita, inspeciem saltem, durior, claustralium tanquam ἀγράφος, ἀντίγραφος, καὶ ἄλογος, hinc inde à Judæis reprehenditur. *R. Lipm.* Sect. 317. præmittit monitum Ethicum, ad locum *Eccles.* c.7.16. *Ne sis nimium justus* בכזל המדות הטובות שינהג בהם הצדיק כגון האהבה והשלום ושאר מדות הטובות אל תנהוג בהם להתכהקאלקצה האחרון להיות כמו שאינו מרגיש *In omnibus bonis moribus, quibus justus assuescit; ut sunt amor & pax, & reliquæ virtutes præclaræ, ne assuescas iis nimis recedendo ad extremum, ut sis, quasi nihil sentires.* Quod, cùm multis explicuisset exemplis & similibus monitum suum, non vult, quenquam, vel verba sequentia

 pro-

proferre לא אאכול בשר ולא אשתה יין ואתענה תמיד ולא אשכב עם אשה ולא אשב בדירה נאה ולא אלבוש כא שק כמו כומרי ארום עושים כי זה מדה רעה *Non edam carnem, neque bibam vinum: Semper Jejunabo, neque dormiam cum uxore neque habitabo in ædibus pulchris, nihílque induam præter cilicium*, prout *solent Monachi Edomæorum*, (Christianos sic vocari, notum est) *hæc enim est prava consuetudo.* Majm. Præfat. in Pirk Abh. c. 3. p. m. 200. prolixè docet, hanc σκληραγωγίαν, veteribus quidem Judæis etiam fuisse notam, non verò tanquam regulam ordinariam, sed veluti exceptionem; non tanquam cibum pro validis, sed medicinam pro ægrotis. Nihil tale comendare sacras Literas, etsi luculento perfectionis testimonio ornatas. Sed ipsum, in re gravissima, audiamus Mosen Ægyptium, Arabicè primò, postea & Latinè loquentem: פאמא מא פעליה אלפצלא פי בעץ אלאזמאן ובעץ אשכאץ מנהם איחצא מן אלמיל נחו אלטרף אלוי אד מתל אלציאם וקיאם אלליל ותרך אכל אללחם ושרב אלנביד ואבעאד אלנסא ואלבאס אלצוף ואלשער וסכנא אלגבאל ואלאנקטאע

ואלאנקטאע פי אלבראריי ומא טעלוא שיא
מן הדה אלא עלי גהה אלטב כמא דכרנא
ולפסאד אהל אלמדינה איצא אדא ראו
אנהם יפסדון כמבאשר תהם ורויה אפעאלהם
ואן עשרתהם ממא יתוקעון פיהא פסאד
אכלאקהם פכרגוא ענהם ללבראריי וחית
לא אנסאן סו נחו קול אלנבי מי יתנני במדבר
מלון אורחים וג פלמא ראו אלגהאל אולאיך
אלפצלא פעלוא הדה אלאפעאל ולם יעלמוא
ערצהם טנוא כיראת וקצדוהא בזעמהם אן
יכונו מתלהם וגעלוא יעדבון אגסאמהם בכל
וגה מן אלעדאב ויטנוא אנהם אתוא פצילא
ופעלוא כירא ואן בדלך יקרב מן אללה כאן
אללה עדו אלגסם יריד הלאכה ותלאפה והם
לא ישערון אן תלך אלאפעאל שרור ואן בהא
תחצל רדילה מן רדאיל אלנפס ומא מתלהם
אלא מתל גאהל בצנאעה אלטב ראי
אלמאהרין מן אלאטבה קד אסקוא מרצא
האלכין שחם אלחנטל ואלמחמורה ואלכבר
ונחוהא וקטעוא ענהם אלעדא פברוא מן
מרצהם ותכלצוא מן אמהלאך כלאצא עטימא
פקאל דלך אלגאהל ואדא כאנת הדה אלא
שיא תברי מן אלמרץ פבאלאכרי ואלאגדר
אן תבקי אלצחיח עלי צחתה אן תזיד פיהא

 פגעל

פגעל אליד אן יתנאולהא דאימא ויתדבר
בתרביר אלמרצא פהו ימרץ בלא שך כדלך
היאולאהם מרצא אלאנפס בלא שך
תנאולהם אלדוא עלי אלצחה והדה אלשריעה
אלכאמלה אלמכמלה לבנה כמא שהד פיהא
עארפהא תורת יי תמימה משיבת נפש
מחכימת פתי לם תאתי בשי מן הדא ואנמא
קצדת אן יכון אלאנסאן טביעיא סאלך פי
אלטריק אלוסטא יאכל מא לה אן יאכל
באעתדאל וישרב מא לה אן ישוב באעתדאל
וינכח מא להאן ינכח באעתדאל ויעמר
אלבלאד בלעדל ואלאנצאף לא אן יסכן
אלכהרף ואלגבאל ולא או ילבס אן שלר
ואלצוף ולא אן ישקי אלגסם ויעדבה ונהי
ען דלך במא גאנא אלנקל פי אלנזיר וכפר
עליו הכהן מאשר חטא על הנפש וקאלוא
וכי על איזה נפש חטא זה על שמנע עצמו
מן היין והלא דברים קל וחומר אם מי שציער
עצמו מן היין צריך כפרה המצער עצמו מכל
דבר על אחת כמה וכמה ופי אתאר אנביאנא
ורואת שריעתנא ראינאהם יקצדון אלאעתדאל
וציאנה אנפסהם ואגסאמהם עלי מא תוגבה
אלשריעה וגואב אללה תעאלי עלייד נביה למן
סאל פי ציאם יום אחד פי אלעאם הל ידום
עלי

עלי דלו או לא והו קולהם לזכריא האבבה
בהדש החמישי הנזר באשר עשיתי זה כמה
שנים פגואבהם כי צמתם וספוד בחמישי
ובשביעי זה שבעים שנה הצום צמתוני אני
וכי תאכלו וכי תשתו הלא אתם האכלים ואתם
השותים תם אמר הם באלאעתדאל ואלפצילה
פקט לא כאל ציאם והו קולה להם כה אמר
ײ צבאות לאמר משפט אמת שפוטו וחסד
ורחמים עשו איש את אחיו וקאל בעד דלך כה
אמר ײ צבאות צום הרביעי וצום החמישי וצום
השביעי וצום העשירי יהיה לבית יהודה לששון
ולשמחה ולמועדים טובים והאמת והשלום
אהבו ואעלם אן אמט הי אלפצאיל אלנטקיה
לאנהא אקיקיה לא תתעיר כמט דכרנא
פי אלפצל אלתאני והשלום אלפצאיל
אלכלקיה אלתי בהא יכון אלשלום בעולם

Quod adea etiam, quæ aliquando fecerunt virtute prastantes nonnulli, inclinando ad alterum extremum; dum scil. Jejunando se macerarent, noctu surgerent, ab esu carnis, vinique potu, mulierúmque consortio abstinerent, vestes laneas & cilicinas, induerent, montes incolerent, longéque se inde serta subducerent, non aliam ob causam ex his quicquam factitârunt, quàm medici-

medicinæ, ut diximus, gratia, & propter corruptos urbes incolentium mores, cùm viderent, se, familiaritate eorum utendo, factáque videndo, corruptum iri; timeréntq;, ne à consortio ipsorum mores suos contagio pervaderet: quare se ab ipsis subduxerunt in deserta, & loca, ubi nemo reperiretur malus, secundùm dictum Prophetæ: Quis dabit mihi in deserto tugurium viatorum? &c. *Cùm autem viderent stulti, viros istos virtute insignes, hujusmodi aliqua fecisse, scopum verò ipsorum nescirent, existimantes, ea in se bona fuisse; eadem & ipsi aggressi sunt, putantes, se similes illis futuros, unde corpora sua omni cruciatus genere afflixerunt; ita se virtutem assecutos, benéque fecisse autumantes, eóq; pacto ad Deum propiùs accessuros, utpote qui inimicus sit corpori, ejusque destructionem & perditionem velit, non animadvertentes interim, facta hujusmodi in se mala esse, atq; illis vitium aliquod animæ contrahi. Nec alij rei comparandi sunt, quàm homini rei Medicæ ignaro, qui videns peritos medicos graviter ægrotantibus*

tibus bibendum præbere medullam colocynthidos, Scammoniam, aloën & ejusmodi, cibo ipsis interdicentes, eósque hoc pacto à morbo suo sanari, atq; exitium, mirè liberatos, effugere, dixerit: Cùm res istæ liberent à morte, quantò magis sano valetudinem conservabunt, aut ipsi etiam eam augebunt? Ideóque semper illa sumat, & ægrotantium regimine utatur, ac se ægrotorum more tractet, qui dubium non est, quin in morbum incidat: Ita & isti, medicamenta in statu sanitatis adhibendo, sine dubio animi morbos contrahent. Lex ergo ista perfecta, quæque nos perfectos reddit (prout de ipsa fuit testatus, qui eam novit: Lex Domini perfecta, sapientem reddens imperitum:) *nihil tale præcipit, verùm eo intendit, ut sit homo, ad naturæ præscriptum ordinatus, via media incedens, adeò ut illud, quod ipsi edere permissum est, modicè edat, moderatéque, quod bibere ipsi est licitum, bibat, conjuge legitima modestè utatur, & ut in locis cultis degat, justitiæ & æquitati studens, non ut speluncas incolat & montes, neq; ut cilicium, & lanam*

nam induat, corpúsve affligat & cruciet. Imò hoc vetat, juxta illud, quod ad nos traditione pervenit: Dicit enim de Nazirao: Et expiabit illi Sacerdos, quod peccavit in animam, *Num. 6. 11. Dicunt: Quid ergò? in quam animam peccavit iste? Ideo, quia sibi vino interdixit. Annon ergò* (concludunt) *verba argumento à minori ad majus? Si ille, qui sibi vinum interdixerit, opus habet expiatione, quantò magis ille, qui se ab omni re abstinendo affligit? Et è monimentis Prophetarum nostrorum; eorúmque, qui Legem nostram nobis tradiderunt, percipimus, ipsos, hoc sibi proposuisse, ut moderationem sectarentur, animásque ac corpora sua eo, quem Lex requirit, statu conservarent, & juxta illud, quòd responsum à Deo excelso est, per Prophetam suum illis, qui quæsiverunt de jejunio unius diei annuo, num illud continuè observarent, nec ne. Hoc est, quod dicunt Zachariæ:* Num flebo mense quinto, separando me, quemadmodum feci jam tot annis? *Respondit ergò ipsis:* Cùm jejunaretis & plangeretis in quinta & in septima, & jam septuaginta annis, numquid jejunium jejunâstis mihi? Et quando

do comeditis, nonne vobis ipsis comeditis & bibitis? Tum ipsis modum tenere ac virtutem amplecti tantùm præcepit, non jejunium: *Atque hoc est, quod dicit ipsis:* Ita dicit Dominus exercituum, præcipiendo, judicium veritatis judicate, & benignitatem, & misericordiam facite unusquisque cum fratre suo: *Dicítque postea*: Ita dicit Dominus exercituum, jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium decimi, erit domui Judæ in gaudium & lætitiam, & in solennitates bonas, & veritatem & pacem diligite. *Scias autem*, veritate *innui virtutes intellectuales, quoniam illa vera sunt, nec mutantur, uti capite secundo diximus.* Pace *autem virtutes morales, per quas fit pax in mundo.* Hæc Majmonides; *Saadias* etiam Seph. Emun. c. X. S. 2. postquam rationes eorum, qui פרישות *Pharisaismum*, Separationem à Mundo, à cohabitatione civili, moderatæ diætæ regimen extra consuetas Naturæ leges, quærunt, attulisset, tandem concludit והסתכלתי במה שאמרו העם הזה ומצאתיו רובו אמת אך טעו בעזיבת הישוב ובנבי אדם כי עזבו זכרון מה שלאיו כל אדם לעמוד בלעדיו מן המזון והכסות והמחסה וגם הניחו זכרון נפשם כי עזבו לישא נשים וכרות הזרע

הזרע אלו היה טוב היו מתנהגים בו בני
אדם כלם ובטל מין המדברים ובבטולו
תבטל התכמה והתורה ויום הדין והשמים
והארץ ותהיינה הנפשות בסכנה בין החיות
והאריית והנחשים והחום והקור והפגעים
ואיה עבי הטבע והשגעון וטרוף הדעת בהעדר
המאכל הטוב והמים הקרים והפסד הדם
והמית המרה השחוה עד שיצטרדד אל
אנשי הישוב לרפוא אותם שיועיל להם
אפשר שלא יועיל והיו משתוממים האנשים
מבני אדם עד שיחשבו שיהרגו אותם ויש
שישנאום על היותם מחזקים אצלם לרעים
והטאיא עד שיתירו לעצמא שפיכות דמם
ויש שישובו במדות הבהמות ויצאו מן
האנושות כמו שאמר בת עמי לאכזר כיעניא
במדבר ואמר בערוץ נחליא לשפון חורי עפר
וכפים בין שיחים ינהקו יפסידו נפשם לגמרי
אבל הפרישות טובה לאדם כשיתנהג בה
במקומה והוא כשיזדמן לו המאכל והמשתה
האסור והמשגל האסור והממון האסור ישלח
המד הזאת עד שתרחיקהו מכל זה כמו
שאמר כי מה הווה לאדם בכל עמלו כיכל
ימיו מכאובים וכעס ענינין *Attendi autem ad hæc, quæ populus iste* (qui ἀναχωρισμὸν defendit) *dixit; & deprehendi, magnam partem*

te(quæ de corruptis moribus affert) *esse vera*; *attamen errant, deserendo terram cultam, & filios hominum. Memores enim esse desinunt, hominem subsistere non posse absque cibo, tegumento, receptaculo. Abjiciunt suam ipsorummet memoriam, quòd intermißione conjugij excindatur semen ipsorum. Quòd si bonum esset, usu utique acciperetur apud omnes homines, atque sic aboleretur species* Loquentium (Doctorum disputatorum, de quibus *Histor. orient.* p. 347.) *quâ abolitâ, tolleretur Sapientia, & Lex, Dies judicij, imò cælum & terra. Et erunt ipsæ animæ in discrimine inter bestias, Leones, serpentes; æstum & frigus; varia insuper* Συμπλώματα, ex *craßis* (crasso temperamento) Naturæ, *stupor, phrenesis ex defectu boni cibi, & aquæ calidæ; sanguinis corruptio, & ebullitio atræ bilis, usque dum opera indigeant eorum, qui* οἰκουμένην *incolunt, qui medicinam, quæ prosit ipsis, afferant. Fieri autem potest, ut usui illis non sit, ipsique ab hominibus stupore quodam aversi existiment, mortem sibi intentari. Multi insuper se ipsos habent odio, propte-*

rea quod secum reputantur mali & peccatores, adeò ut permittant suum fundi sanguinem. Sunt qui moribus imbuti bestialibus humanitate planè excedunt, q. d. Filia populi mei propter crudelem est similis ululis in deserto, Thren. 4. 3. *Et iterum:* In concavitate vallium habitando, foraminibus pulveris & petrarum: Inter stirpes rudebant, Job. 30. v. 5. 6. *totos se perdunt. Laudabilis autem separatio* (vita religiosa) *hominis est, cum ei, suo loco, assuescit, quod fit, cùm constituerit sibi* (abstinere) à cibo & potu vetito, concubitu *vetito, pecunia vetita. Hæc ei dominetur* (puto enim comodè hoc loco legi ישלט) *consuetudo, donec ipsum ab omnibus istis longissimè removerit*: q. d. Quid superest illi homini ex omni labore suo, cùm omnibus diebus illius adfuerint dolores, & indignatio occupationi ejus: Eccles. c. 2. v. 23. 24. 2. *Argentanginam*, & *insatiabile habendi desiderium in clero observâsse* infideles, vel uno palàm faciemus testimonio. Author תשובות למזיפים *Responsionum ad Falsarios* (quo nomine Christianos intelligit) cap. 5. Jesajæ, Sect. 63. ita παραφράζεται;

הוי מגיע בית בבית וגם פרשה זו בעובדי ישו תוכל

תוכל לפתר אילו הגלחים והכומרים שתפסו
בידם כל הארץ ומגיעים בית בבית
ומקריבים שדה בשדה עד שלא השאירו
אפס מקום והושבתם לבדכם בקרב הארץ
זהו ישיבת קלוסטר שלהם הוי משכימי
בבקר שכר ירדפו מאחרים בנשף יין
ידליקם כמו כי דלקת אחרי אילו הגלחים
וכהומרים שמשכימים ומעריבי בבית
טרפותם בשביל חוקם פרונדא לכן גלה עמי
הם כשאם כשהם עמי מבלי הדעת אותי
כי כאשר ישליכו איש אלילי כספו אשר עשו
לו לחפר פירות ולעטלפים אז ילכו כלם
גולים ומטולטלים בלא לחם ושמלה הוי
מושכי העון בחבלי השוא אילו החבלים
שמושכין בהם החלוקים בבית תועבותם
לעבודת אלהות הוי אמ לרע טוב ולטוב רע
שמח לפיך אלהי השמים באלהי תועבותם
שמים חשך לאור הוי חכמים בעיניהם וגו
זהו נאמ על שארית עם ישו שקורין ליינט
הוי גבורי לשתות יין וגו מצדיקי רשע עקב
שוחד וגו כל זה יש בהן Væ conjungentibus
domum domui &c. *Etiam hoc caput de
Christicolis potest explicari. Hi sunt Sacerdotes & Monachi, qui potestati suæ subjiciunt*

ciunt omnem terram, domum domui adjungunt, & agrum agro addunt. Usque dum nullus relinquatur ampliùs locus, & efficiamini habitatores vos soli in media hac terra: *Est hæc habitatio claustralis eorum.* Væ surgentibus sumo mane, ut potum inebriantem sectentur, prorogantibus ad crepusculum usque, ut vinum ardenter insequantur; *prout alibi legimus*: Cur ardenter me es insecutus, *Genes.31. 36. Hi sunt Sacerdotes & Monachi, qui & bene manè, & sera vespera se sistunt in ædibus rapinæ* (ita per δυσφημίαν appellant, Templa vel cœnobia) *eorum, propter reditus suos, quos* pfrund *appellant.* Propterea migrat populus meus, *illi nempe, qui dicunt, se populum meum esse; qui tamen expers est scientiæ meæ;* me ignorat. *Nam postquam quique Idola sua argentea,* quæ fecerunt *talpis & vespertilionibus; abjecerunt, tunc omnes; veluti vagabundi exules, abibunt, absque victu & amictu.* Væ trahentibus iniquitatem funibus vanitatis! *Sunt funes, quibus indusia sua constringunt in AEde abominationis suæ, in cultu religioso:* Apparatum vestiarium intelligit. Væ dicentibus de

de malo, bonum esse, & de bono, malum, *qui permutant Deum cæli, in Deum abominationum suarum; qui ponunt tenebras pro luce:* Væ sapientibus judicio suo, &c. *Hoc dicitur de reliquo grege Christicolarum, quos Laicos vocant.* Væ valentibus potare vinum &c. Absolventibus improbum propter munus &c. *Quæ omnia apud eos reperiuntur.*

IV. *Auricularis Confessio* pridem à Muselmannis, tanquam ἄχαφος, fuit perstricta. *Ahmed Ibn Edris* p.m. 175. רהבאן אלנצארי ואקסאויהא ידון אן מן אראד אלתובה יעתרף להם במגארתה פדנובה פאלא פלא תקבל לה תובה פאדא אעתרף ללבתרק או אלקס עפר לה דנובה כאנה רבה או כאלקה והדא מפאסד כתירה לא תאמר בהא שריעה *Monachi Christianorum & Presbyteri eorum sanxerunt, ut, qui resipiscere vellet, confiteretur ijs enormitates suas, & peccata sua; sin, non receptum iri ejus pænitentiam. Quòd si verò quis confessus fuerit Patriarchæ aut Presbytero, remittit ei peccata, quasi Dominus ejus esset, aut Creator. Atque hæc magna est corruptela, de qua nul-*

lum Legis mandatum. Neque verò neſciviſſe videntur infideles periculoſa illa Confeſſariorum examina, ex quibus infirmiores utriusque ſexus offendi neceſſe ſit. Author enim *Nizz. Argent.* ad Proverb. 28. v. 13. obſervat, Chriſtianos inde ſuam התוודאה *Confeſsionem* urgere, rogátque cur Papa (qui Dei locò, apud illos, & omnia poſsit) non jubeat, ut viri viris, mulieres mulieribus confiteantur: Ita enim multa ſcandala evitari poſſe. Neque etiam à Sacerdote remiſsionem peccatorum petendam, quæ à ſolo Deo poſsit expectari.

V. *Feſtorum* multiplicationem ipſis quidem cordatioribus in Papatu diſplicuiſſe ſuo loco audiemus. Infidelibus illa fuit lapis offenſionis, antequam ad eum paulatim numerum, qui ſucceſſu temporis invaluit, excreſceret: præſertim, cùm ad ipſas etiam creaturas, Angelos & homines, feſtivitatum ſolennia extenderentur; qua de re *Ahmed Ibn Edris*, p. m. 214. Q. 104. קאל קסיסהם חפץ אלאעיאר אלתסעה אלתי אמר אלקאנון בציא מבא אול יום ארא בשר גברייל אלמלך מרים באילאר אלמסיח עלם ואליום אלתאני פי מולד אלמסיח עלם ואלתאלת כתאנה אלי תמאניה איאם ואל ראבע

ואל ראבע יום טהורה ללמנגמין ואהדוא
אליה דהבא ולבאנא ומר והו אליום
אלנגם ואלכאמס יום אלפצח אד קאם ען
אלקבר ואלסאדס יום תכטפתה אלסחאבה
ורקא אלי אלסמא במחצר אלחואריין
ואלסאבע מן אלאיאם אלתי אסתשהד פיהא
אלשהדא ויצומוהא אלנאס ויתצדקון פיהא
פואגב צומהא פי מדינה או קריה לא ירתחל
חתי יתמהא פקד אלתזמוא מא ליס ילאזם
ואוגבוא מא ליס בואגב ולא יגדון פי
אלתוראה פלא פי אלאנגיל מא יוגב שיא
מן דלך פאן קאלוא הב אנה ליס פיה נקל אלא
אנה אנפק פיהא אמר עטים תגעלונה עידא
הלהדא אלא במגרד אלתחלם פי שרע אללה
תעאלי ולו אן הדא אלבאב צחח לכאן כליום
ולד פיה נבי או נצר עלי אעדאיה וילזמכם אן
אלאיאם אלתי אקאם עיסי עלם פי בני
אסראול פאחיא פיהא אלמותי וטהר לה
אלטפר וקאם אלחגה בל איאמה עלם כאנת
לא תכלוא ען ברכה או כראמה פנעד תלך
אלאיאם ונגעלהא כלהא אעיאד בל הכמתם
ומא אנצפתם ולא אצבתם תם אן עיסי עלם
כאן עאלמא בהדא אלאיאם ומא ילתזם פיהא
מא ילתזמונה פדל דלך עלי אנכם אחדתתם

פי דין אללה מא ליס מנה והו גרה עטימה עלי
אללה תעאלי ועלי שרעה ומא מתאלכם ומת
אלנא כמתל עבדין אמרהמא סידהמא פאמא
אחדהמא פאטאע ולם יזד ולם ינקץ ואמא
אלאכר פזאד פנקץ פקאל אלסיד ללאול מא
צנעת פקאל לם אזד עלי מא אמרת ולא
עלי מא פעלת לאני כפתך ולאני עטמתך
ואחבבתך ובעתני אלך עלי אלאתבאע ותרכת
אלאבתדאע וקאל אלאכר תרכת בעץ מא
אמרתני ופעלת בעץ מא לם תאמרני בה פזדת
ונקצת ולא ימכנה אן יקול לאני אחבבתך
ועטמתך לעדם אלמנאסבה פלא שך באן
אלעקלא יחכמון באן אלאול מטיע דון אלתאני
ואן אלתאני מסתוגב לנבאל סידה והו
מתאלכם מע אלמסיח עלם תדעון בעטמה
ניכאלפונה פי אפעאלה ויזידון עליה פי אחכאמה
ואקואלה ואנהם מסתחקון לנכאלה *Dicit Presbyter eorum Haphezus: Novem esse dies festos, quibus Canon jubeat Jejunare. Primus dies est, quo Gabriel Angelus Mariæ annunciavit Nativitatem Meßiæ, super quo pax:* Secundus, *natalis Meßiæ s.q.p.* Tertius, *Circumcisio, facta die octavo:* Quartus, *adventus Magorum, qui attulerunt ei aurum,*

thus

thus & myrrham: Atque hic est dies stellæ. Quintus *dies Paschatis , quando surrexit* (Christus) *è sepulchro:* sextus *quo abstulit illum nubes, & ascendit in cælum, inspectantibus Apostolis:* Septimus *ex diebus , quo quisq; Martyrū subijt Martyrium; quibus illi jejunant, & eleemosynas erogant. Necessarium autem illud in urbe & agro; nec migrare* (cuiquam licet) *donec eum* (diem) *absolverit. Atq; sic necessitatē sibi* (Christiani) *imponunt, ubi necessitas non est; & tanquam necessarium obtrudunt, quod necessarium non est: cùm nec in Lege reperiant, neque in Evangelio, quidquam tale necessariò præstandum. Quòd si dixerint: Posito, nullam ea de re* (Scripturæ) *esse traditionem, res tamen* (ijs diebus) *prodierunt præclaræ, quibus festivitatē destinamus. Nonne verò hoc est ludere* (somniare) *in Legibus Dei Excelsi? Si enim hæc ratio valeret, cuilibet utique diei, quo natus est Propheta, aut obtigit victoria contra hostes,* (conveniret.) *Necessariò etiam* ita argumentari deberetis: *Diebus, quibus Meßias s.q.p. substitit inter Filios Israelis, mortuos excitavit,*

 aut

aut victoria illi obtigit, festivitatem utique instituit: Quin, quia omnes ejus dies ita sunt comparati, ut nullus vel singularis beneficij aut honoris sit expers; feriabimur dies illos omnes, omnesque in solennitates ponemus. Verùm, judicio hoc, medium non observatis, neque scopum attingitis. Messias enim s. q. p. dies quidem illos novit, neque tamen necessitatem illam vobis injunxit, quam ipsi vobis imponitis. Id quod documento est, vos novitates in religionem Dei inferre, quæ ab ipso (Christo) *non sunt: Quæ quidem magna est* audacia, *contra Deum Excels. & ejus Leges. Vos autem* (Christiani) *& nos* (Muhammedani) *similes sumus duobus servis, quibus mandatum dedit Dominus eorum. Alter illorum obediens fuit,* (mandato) *nihil addidit nihílque detraxit. Alter verò addidit & detraxit. Dixítque Dominus priori: Quid fecisti? Cui respondit: Nihil addidi illi, quod præcepisti mihi, neque quod fecisti: Metui enim te, magni feci te, amavi te; id quod me impulit, ut obsequium tibi præstarem, & novitatibus nuncium mitterem.*

Alter

Alter verò dixit : Reliqui quædam eorum quæ præcepisti mihi ; quædam , quæ non jussisti , feci : Addidi , & detraxi. Fieri non potest , ut dicere hic queat : Amavi te, dilexi te , magni æstimavi te, quia (Imperio Domini) *se non præbuit obsequentem* (prop. analogum.) *Neque dubitandum hic , prudentes judicaturos, priorem obedientem esse, posteriorem non item. Et quod posterior dignum se reddiderit pœna Domini. Atq. hæc vestra ratio est cum Messia S.q.p. Præ vobis fertis , quasi magni ipsum faceretis ; contrarium tamen præstatis operibus ejus, additis judicijs , & verbis ejus. Proinde se dignos reddunt* (Christiani) *pœna ejus.* Idem Author Muhammedanus , de festo *Michaëlis* ; Quæst. 51. ללנצארי ועיד מיכאייל ליס לה אצל פי אלשראיע בל אבתדעוה בסבב אנה כאן פי אלאסכנדריה צנם יעמל לה אהל אלאסכנדריה ומצר עידא עטימא וידבחון לה אלדבאיח פולי בטרקה אלא סכנדריה אלאכצנדרוס פראם אבטאל אלצנם ולא יקדר מן עואם אלנצארי פקאל אן תעבידכם לצנם לא יצר ולא ינפע לצלאלה כפר פלו געלתם אלעיד למיכאיל אלמלך'

אלמלך ודבחתם לה אלדבאיח לכאן תשפע
לכם ענד אללה תעאלי פדלך כיר לכם
מן אלצנם פאגאבוה וכסר דלך אלצנם
ואלכד מנה צלבאנא וסמי אלהיכל בכניסה
מיכאייל פאסתמר דלך אלי אליום
ולא אצל לה פי אלדין פהו צלאל פטים

Habent Christiani festum Michaelis, cujus nullum fundamentum occurrit in Legibus; sed hac occasione illud confinxerunt. Fuit Alexandriæ Idolum, cui populus Alexandriæ & Ægypti magnum paraverunt festum, eiq; sacrificia obtulerunt: Præfuit autem Patriarchatui Alexandrino Alexander; qui, cùm abolere conaretur Idolum, neque tamen propter plebem Christianorum posset, dixit illis: Cultus utique hujus Idoli, quod nec nocet, nec prodest; error est infidelitatis. Si poneretis Festum Michaëli Angelo, eíque Sacrificia offerretis, utique intercederet ille pro vobis apud Deum Excelsum: quod majus vobis afferet commodum, quàm Idolum: Et cùm assensum præbuissent; fregit Idolum illud, indéque fabricavit crucem: Et appellavit Templum illud Michaelis templum; *quod duravit ad hunc*

hunc usq; diem, neq; tamen fundamentum habet in religione; *sed error* magnus est. Hujus festi Angelici originem Occidentales scriptores non habent; petijsse illam videtur Ahmed, ex *Batricide*, Alexandrino Patriarcha, quam, mutatis nonnullis, exhibet *Annal.* T. 1. pag. 435. Compendium verò Historiæ novæ, nec alibi lectæ, *Seld.* de Syned. Vet. Hebr. lib. 3. pag. 344. habet. Addimus, quæ idem tradit author, Quæst. 52. de *inventione & cultu crucis.*

להם עיד אלצליב ועיד אלנור ועירהמא לא
אצל להמא פי שרעהם ושראיעתהם
להמלתהם וסבב עיד אלצליב אן אליהוד
לענהם אללה אבדוא אלמקברה אלתי דפן
פיהא מזבלה ללאוסאך ואלאקדאר תהקירא
ואהאנה ללמצלוב כדלך נחו תלתמאיה סנה
פגאת אמראה קסטנטין אלמלך פאמרת
באלכשף וטהרת אלמקברה ופיהא תלאתה
צלבאן והי צליב אללצין אלשבה ואשכל
עליהא צליב אלמסיח עלם עלי ראיהא וארדת
ערפאנה וכאן מריץ בה עלה עטימה פוצעת
עליה צליבא בעד צליב ולם יברו פוצעת
אלתאלת פברי לגנבה פקאלת הדא צליב
אלרב פעלקת אלדהב פבעתה ללמלך תכ
אלנצארי

אלנצארי געלוא דלך עידא ועטמוא אלצליב
עאיה אלתעטם התי צורוה פי כנאיסהם
וטבעוה עלי אגסאמהם ואבואבהם וקרבאנהם
ולו אמכנהם אן לא יכלוא מנה מכאנא
פעלוא ומנהם מן יצלב עלי וגהה באצבע
ואחד והם אלקבט ובאצבעין והם אלרום
ובאלבעשרה והם אלאפרית והו לם יגדוה פי
כתאב מן אלכתב ולא פי שריעה מן אלשראיע
אבתדועהא בארא̇יהם אלפאסדה ועקולהם
Habent & Festum Crucis, & lucis (inter septem minora Ægyptiorum festa, refertur etiam אלסבת אלנור *Sabbathum lucis*, quo cerei benedicti accendi solent, ob lumen, quod illo die apparuit circa sepulchrum; ita enim appellari, observat ipse *Calcasendius*) *aliáque, quorum nulla est radix in Lege ipsorum, aut constitionibus divinis, quæ hoc ab illis flagitet.* Causa *autem* (vid. *Batric.* T. 1. p. 453.) *Festi crucis est, quod Judæi* (*quibus maledixit Deus*) *occupârunt sepulchrũ, in quo* (crux) *illa sepulta fuit,* (illudque repleverunt) *fimeto, sordibus, & quisquilijs, in contemtum & vilipendium crucifixi:* Postea autem, *circa annum trecentesimum venit conjunx Constantini Regis, quæ detegere*

detegere & emundare jussit sepulchrum, in quo tres erant cruces; cúmque cruces duorum latronum, effigie & figura similes, aspicienti eas, apparerent cruci Messiæ, S.q.p. illa verò agnoscere hanc (Christi crucem) *desideraret, ecce aderat ægrotus, gravi morbo tentus, & impositæ illi duæ fuerunt cruces, una post aliam, unde tamen non sanabatur; sed cùm tertia apponeretur, sanatus ille fuit ad latus ejus; Tunc dixit: Hæc est crux Domini, quam auro inclusam Regi misit. Hinc diem illum Christiani feriati sunt, crucémque maximo affecerunt honore, adeò ut illam depingerent in templis suis, & imprimerent corporibus suis, & portis suis, sacrificiis etiam suis, adeò ut vix locus apud eos supersit, qui non cruce notetur. Alij autem vultum suum cruce signant uno digito, Coptitæ nempe; alij duobus digitis, ut Romani; etiam decem, ut Africani* (nisi legendum fortè sit פרנג *Franci,* quo nomine Europæos intelligunt Christianos) *Neque tamen hæc in libro ullo librorum, aut Lege Legum suarum, reperiunt; sed commenti sunt ea, ratione cor-*

corrupta, & intellectu suo (talia invenerunt.) De cultu potissimùm crucis sumi hæc posteriora videntur, quasi Legi & Scripturæ repugnaret: quòd si tamen ad ipsam referre malis Historiam, à vero non longè abibis, cùm constet, ipsi etiam Gelasio, quæ de inventione Crucis Christi à posterioribus traduntur, scriptoribus, suspecta fuisse, qua de re *Hospin. de Fest. Christian. pag. 70.* Sabbathi mutationem Judæis ingratam esse, nihil moramur. Mutationis illius nobis rationes claræ satis sunt & evidentes. Illud tamen à Christianis non semper excusari poterat, si Diei Solis libera nimis & promiscua Christianis exprobrata fuit profanatio. Author *Teschubh. lamzaj.* postquam contra translationem illam disputâsset, tandem p. m. 37. addit: ולא עוד אלא אפי יום ראשון אינכם שומרים כראוי ואינכם שובתים בו כהוגן אך אתם עושים בו מלאכה אתכם ובהמתכם ואינכם נחים *Neque hoc tantùm; sed neque diem primum rectè, prout conveniret, observatis, neque quiescitis, ut decet: Sed opus in eo facitis, vos, & jumentum vestrum &c. neque vos quiescitis.* Observat etiam author *Nizz. Argent. ad* Esaj. c. 1. Christianos diem Solis non ita observare

ſervare religioſè, quin opera faciant. Et R. *Lipm.* Nizz.Sect.155. animadvertit, quoſdam Chriſtianos diei Solis ſolennitatem Sabbathicam conari ex ſolſtitio extraordinario, tempore Joſuæ conſpicuo, defendere, quem afferri ab illis poſſe textum negat, niſi מעתה בעל כרחם הם חייבי מיתה על המלאכות שעושים בשבת וביום ראשון *inviti fateantur, ſe reos mortis propter opera, quæ faciunt & Sabbatho, & die primo,* (Solis.) Mitto jam diſputationes, & argumenta, quibus Theologi Pontificij in hac nonnunquam materia uſi videntur, unde judæorum pervicacia confirmata potiùs fuit, quàm fracta & repreſſa. In *Schebb. Jehuda,* pag.17. &c. prolixa deſcribitur diſputatio, inter Alphonſum, Hiſpaniarum Regem, & Thomam, Philoſophum, quem judæus vocat [f]acutiſsimum, ubi, cùm p.62. mentio injiceretur feriarum Sabbathicarum, dicitur Alphonſus *maluiſſe Servatoris ferre imperium in colendo Sabbatho, cùm id deducat ad cognitionem rerum in principio creatarum. Si dixeris* (ita Thomam compellâſſe traditur Alphonſus) *diem Solis ejus loco eſſe; tum id verum eſſet, ſi Chriſtiani*

 eum

eum observarent feriando à laboribus: verùm non observant eum, nisi comessando & prodeambulando. Sed Judæi eum observant, vacando à laboribus, & divinam Legem lectitando. Sic & Muhammedani, die sexto suum legunt Koranum, in quo nobis præstantiores videri debent. Ad quæ respondit Thomas: Christiani haud tenentur cessare à laboribus, quia in Sabbathi observatione duo attenduntur. 1. Memoria Mundi creati. 2. Memoria servitutis quondam Ægyptiacæ: Quemadmodum Sacræ literæ dictitant: Memento, quòd & ipse servieris in Ægypto. Christiani autem, qui nec Ægyptum unquam ingressi, nec egressi fuerunt, adeóque sibi nullius servitutis conscij, nihil necesse habent, intermisso labore, Sabbathum celebrare.

VI. Alias etiam traditiones, ritus, ceremonias, pro Legibus, contra Legem Dei, introductas, observes hinc inde ab infidelibus sugillari, cujusmodi sunt, 1. *variæ & superstitiosæ consecrationes*, de quibus *Ahmed, Ibn Edris*, p.m. 28 Q. 106. ubi affert consuetudinem consecrandi ædes sale, quam exemplo Elisæi defendat Presbyter *Chaphezus*: ut enim

nim ille amaras aquas ea ratione reddiderit dulces, potuíque aptas; ad eundem modum צרנא נקדס באלמלח והדא פאסד לאן אליאס עלם פעל הדא עלי וגה אלמעגזה ואלכראמה לא אן תכון חכמא שרעיא כמא רוי פי אלאנגיל אן עיסי עלם סאלה אעמי אן ירד בצרה פאכד קטעה טין פגעלהא פי עינה פאבצר פכאן ינבעי אן תקדסוא ביותכם באלטין לאן עיסי עלם אולי באליאס עלם *nos quoque* (Christianorum verba retinet) *consecramus ædes nostras. Hæc autem est corruptela. Elias* (Elisæus) *enim, p. m. hoc fecit per modum mira*[illegible]*li &* (ad demonstrandam) *magnificentiam, non verò, ut esset lex statuta. Quemadmodum in Evangelio legimus de Meßia, S.q.p. quòd rogaverit eum cæcus, ut redderet visum; ipse verò luti frustum imposuerit oculo ejus, visúmque illi restituerit: unde sequeretur, quòd consecrare deberetis ædes vestras luto, quia Jesus S.p.p. præstantior est Elisæo, p.m.*

2. Iejunia. Horum originem nec ex Scriptura afferri, nec exemplis probari posse, pridem objecerunt Muhammedani. Et de origine quidem magni Jejunij loquitur *Amed, Ibn Edris*, Q. 50. quòd eam referant

להרקל מלך בית אלמקדס לסבב Christiani
אן אלפרס למא אסתולוא עלי בית אלמקדס
וקתלוא אלנצארי והדמוא אלכנאיס אעאנהם
אליהוד עלי דלך פכאנוא אשד פתכא פיהם
מן אלפרס פלמא תוגה הרקל אלי אלבית
אלמקדס תלקאה אליהוד באלהדאיא וסא
לוה אלאמאן פכתב להם אמאנא עלי
אנפסהם פלמא דכל אלבית אלמקדס שכא
אליה אלנצארי מא לקוא מן אליהוד וסאלוה
קתלהם פאעתדר באלתאמין פקאלוא נחן
נצום ענך גמעה פי אול אלצום אלכביר
כפארה לכטיתך הדה [illegible] אכל אללחם
פי אלצום מא דאמת אלנצראניה ונלען מן
יכאלף דלך ויכתב בדלך אלי אלאפאק
עפראנא לדנבך פאגאבהם אלי דלך פקתל
אליהוד ופעלוא מא קאלוא והדא מן
אלתלאעב באלדין מא יוגבון מא לם יוגבה
אללה ויחרמון מן אללחם מא לם הרמה
אללה וירידון בקרבאן מא לם יאדן פיה

ad Heraclium Regem AEdis sanctæ (Hierosolymitanum) *propterea quòd Persas, cùm illi præessent urbi sanctæ, & Christianos occidissent, templa destruxissent; Judæi juvissent, & crudeliores quàm Persæ in eos fuissent. Cùm enim Heraclius Hierosoly-*

rosolymam moveret, occurrerunt ei Judæi cum muneribus, eúmq; securitatem rogârunt, quam etiam illis scripsit. Ingresso autem Urbem sanctam questi sunt Christiani, quid contigisset illis per Judæos, rogaruntque, ut occideret illos. Postquam verò, propter fidem datam, ille se excusâsset, dixerunt ei: Nos omnes pro te jejunabimus, initio jejunij magni, in expiationem peccati tui; & à carne, tempore jejunij, abstinebimus, quamdiu Christianismus duraverit, anathemate illum, ferientes, qui huic contradixerit, atque hoc ipsum perscribetur in omnes Mundi partes, pro remißione peccati tui. Assensum autem illis præbuit, ea in re, Heraclius, omnésque occidit Judæos: Illi verò, quod promiserunt, erant executi. Atq; hoc est in religione ludere, dum ea sibi (Christiani) *necessariò imponunt, quæ non necessariò exigit Deus; prohibent edere carnem, quod Deus non prohibuit, sacrificium volunt, quod ille non concesßit.* Hanc Heraclij Historiam recitat *Batric.* Annal. T.II. pag. 245.

VII. Ad *Sacramenta* Ecclesiæ properamus

mus, & primò quidem dolendum eſt, infideles exprobare debuiſſe cætui Chriſtiano profanationem Baptiſmi in campanis, alijsque vaſis; ipſo indice *Authore Nizzach.* Argentinen. ad Matth. c. 3. Exprobrare debuiſſe opus operatum, quo profectò gratiæ Dei, & merito Chriſti nihil repugnat magis. Certè *Ahmed Ibn Edris* obſervat, ablutionem & remiſsionem peccatorum merito Chriſti tribui non poſſe, ſi ad aquæ immerſionem vel aſperſionem illa propriè referatur. Ita enim Q. 93. קולהם פי אלאמנה נומן במעמודיה ואחדה לעפראן אלכטאיא מנאקץ לקולהם אן כטיה אדם עלם עמת דריתה ולא יתכלצון מנהא אלא בקתל ללמסיח עלם ותלך אלשדאיד אלתי גרת עליה ולדלך סמונה עלם חמל אללה ויסמונה מכלץ, ללעלאם ואדא כאנת אלמעמודיה תוגב עפראן אלכטאיא וקד אעתרפוא באנה אל חאגה אלי קתל אלמסיח *Quando dicunt in fidei Confeſsione :* Credimus in unum Baptiſmum, ad remiſsionem peccatorum; *contrarium utique illi eſt, quod dicunt, Adami peccato , totam ejus generationem eſſe intricatam. nec ab eo liberari poſſe, niſi per mortem Meſsiæ, ſ. q. p. & afflictiones illas,* *quas*

quas sustinuit: Unde etiam illum appellant Agnum Dei, Servatorem mundi. Quòd si Baptismus sufficit peccatorum remissioni, utique fatentur, non opus fuisse morte Messiæ f. q. p. De sacrificio *Missæ*, multa habent, & Judæi & Muhammedani, ex quibus colligimus, crassa nimis superstitionum & errorum fuisse exempla, quæ in infidelium adeò manifestam incurrerint censuram. Unde aperta eorum bella Sacramentaria, in quibus reperias, pugnandi ardorem nunquam illis de fuisse, etsi oppugnandi dexteritatem non semper obtinuerint. Quanquam negari non possit, argumenta eorum ab experientia, & Naturæ principijs petita, in tractatione materiarum mixtarum, novis Papatûs hypothesibus ita opponi, ut; nisi manifesta & omnibus obvia occurrant miracula; cætera κρησφύγετα tam apertis instantijs satis facere non possint. Audiamus R. Josephum Albo, Hispanum, contra Missam disputantem, lib. Jkkar. P. III. cap. 25. fol. 73. מה שאומרים מקרבן הלחם והיין שהוא קרבן אין הדבר כן כי הלחם והיין אינם קרבן אלהיהם אבל לפי מה שהם אומרים הוא גוף אלהיהם כי יאמרו שגוף ישו אשר בשמים גדול יותר מאד בשיעורו וגדלו בא אל הבמה ומתלבש

בלחם

בלחם וביין עם כלות המאמר מפי הכומר
אי זה כומר שיהיה כצדיק וכרשע ונעשה הכל
גוף אחד עם גופו של משיח היורד מן השמים
בבלתי זמן ואחר כלות האכילה והשתיה
יעלה אל השמים אל מקומו וכן יעשה בכל
במה ובמה זהו דעתם בקרבן הזה ויש בזאת
האמונה מן ההרחקה אצל שכל האדם ידבר
שאי אפשר לשכל האנושי לקבלו ולא לציירו
לפי שכל זה חולק על המושכלות הרא
שונות ועל המוחשות ראשונות כי צריך
שיאמין שתמצא תנועה בבלתי זמן מן המרחק
אשר משמי השמים העליונים ומכסא הכבוד
על הארץ ועוד שימצא גוף אחד בשני
מקומות או במקומות רבים מתחלפים כי
גוף המשיח ימצא בבמות רבות מתחלפות
בעת אחת ועוד שיעלה וירד גוף המשיח מבלי
שיקרע גוף השמים אחר שהשמים אינם
מקבלים הקריעה ועוד כי יאמרו שהבשר
והדם אשר נתחדש עתה מעצם הלחם והיין
הבעת מוגבל הוא בעצמו גוף המשיח אשר
היה מימי קדם ולא יוסיף בזה ולא יגרע
מבמות שהיה ויביא זה אל האמנת בכניסת
הגשמים זה בזה וכל אלו הדברים מלבד שהם
מכחישים

מכחישים המושכלות הראשונות הם מכחישים
המוחש כי יאמרו שהלחם והיין הנראה
לעין אינו מזון ולא יזון את הבעל ח'
ולא האדם האוכלו ואנחנו נראה שאם היה
הלחם הנאכל והיין שעור גדול יזון את ה'
האדם האוכלו ויעשה ממנו חלק אבר כמו
שהוא בשאר לחם ויין ועוד כי יאמרו שעצם
הלחם והיין נהפך לגוף המשיח ונשארו
המקרים עומדים בעצמם לא בנושא ושהטעם
והמראה והריח והמשוש והכבדות והקלות
והרכות והקושי אשר נרגיש בלחם אינם
בלחם כי הגשם חלף הלך לו בגוף המשיח
וכל אלו הדברים מה שאין השכל יוכל לצייר
אותם ולא הפה יכולה לדבר ולא האוזן
יכולה לשמע ואם כן איך אפשר שתבא
האמונה בזה וכיוצא בו שירחיקהו השכל
ויכחישהו החוש ובעבור זה היהודי שהוא
מורגל בדעות אמתיות בלתי מכחישות
המותשות ולא חולקות על המושכלות
הראשונות מתורת משה שהכל מודים בה
שהיא אלהית ונתנה בפרסום גדול מששים
רבוא יקשה עליו להכריח שכל להאמי'
דברים בלתי מובנים אצל השכל כי איך
יאמין

יאמין אדם מה שלא יבין ולא ידע ציור מציאותו id est: *Quòd referunt, de oblatione panis & vini, quòd sint sacrificium, res ita se non habet. Neque enim panis & vinum sacrificium sunt Dei eorum; verùm, juxta id quod dicunt, est ipsum Dei eorum corpus. Dicunt enim, corpus Jesu, quod in cœlis est longè majus in quantitate sua & magnitudine, descendere in altare, pane & vino indui, post absolutam sententiam* (quinque verborum) *ex ore Sacerdotis; quisquis ille fuerit, sive pius, sive impius, totùmque unum fieri corpus, cum corpore Messiæ, quod de cœlo descendit in instanti: Post absolutam verò manducationem & bibitionem redire in cœlum, in locum suum: Atque hoc fieri in omnibus aris. Hæc enim eorum sententia est de hoc sacrificio. In hac verò fide occurrunt* (multa) *quæ & à sensu hominis sunt remota, & ita comparata, ut humanus intellectus neque capere possit, neque imaginari. Contraria enim hæc omnia sunt intelligibilibus primis, & ipsis etiam sensibus. Primò enim, necessarium est, ut credat, motum existere absque tempore, è loco remoto,*

to, cælis nempe cælorum, qui sublimes sunt, & solio gloriæ, ad terram. Deinde, unum corpus existere in duobus aut pluribus locis diversis: Reperitur enim corpus Messiæ in pluribus altaribus, iisque diversis, uno tempore. Insuper Corpus Christi ascendere, & descendere, neque tamen cæli Corpus lacerari, siquidem cæli scissionem non admittant. Porrò, cùm dicunt, carnem & sanguinem, quæ jam ex pane illo & vino creantur, quæque tempore sunt definita, esse ipsum illud Corpus Christi, quod fuit olim sine additione aut detractione suæ pristinæ quantitatis, fidem illud inducit penetrationis corporum alterius in alterum. Quæ quidem omnia, præter quam quòd destruant primas notiones, labefactant etiam ipsum sensum, quia dicunt, vinum & panem, quæ videntur oculis, non esse cibum, neq ullum vivens nutrire, aut hominem, qui illud comederit. Nos verò panem illum & vinum, si in magna sumatur quantitate, nutrire videmus hominem, qui illa comedit; indéq cedere in partem membri, nō secus ac si alius esset panis & vinū. Præterea dicunt, substantiam

panis

panis & vini converti in Corpus Christi, & Accidentia relinqui, quæ per se subsistant, absque subjecto: Neque saporem neque odorem, neque contactum, neque gravitatem, neque levitatem, neque mollitiem, neque duritiem, quæ in pane sentiuntur, in pane esse: Corpus enim transire in Corpus Christi: Quæ quidem omnia talia sunt, quæ intellectus ne quidem sibi fingere potest, neque os eloqui, neque auris audire. Quomodo ergo in id, & similia ejusmodi, quæ & ab intellectu sunt remota, & quæ sensus arguit, fides cadat? Quare judæo (qui assuefactus notionibus veris, quæ neque sensum tollunt, neque destruunt notiones primas, ex Lege Mosis, quam omnes fatentur divinam, datam in propatulo, coram pluribus quàm sexaginta myriadibus editam) difficultates moventur, ut ea necessariò credat intellectus ejus, quæ intellectus non capit? Quomodo enim credat homo, quod non intelligit, neque novit Ideam existentiæ ejus? Atque hæc quidem paulò prolixiùs *R. Joseph. Albo* de Transsubstantiatione; de eadem agit author *lib. Nizz.*

Nizz. Argent. ad Matth. c. 26. Josephi locum jam alibi etiam reperias, sed absque textu Hebraico, qui non in omnibus occurrit Editionibus. Sed & *R. Lipman.* S. 8. p. 11. contra πανταχουσίαν Corporis Christi in Missa Naturam in subsidium vocat. *Credunt,* inquit, *Christiani, Christum descendere* בכל יום פעם אחת באלף אלפים לחמים ובכל אחד שלם ומה מאוד זה נמנע מן השכל ומן הטבע *quotidie semel in millenis panibus, & in uno quoque integrum. quo quid ab intellectu remotius, aut in Natura absurdius? Author Teschubh. Lamzajeph.* p. m. 50. recenset verba quædam Leiturgiæ Missaticæ, tandémque subjicit; איך תאמרו שהוא אלהים והגלה עצמו אומר שאינו רק זבח ואתה עשית את היין ואפית את הלחם ואיך תאמר שהוא עשך ויכוננך ויצרך ובוראך ובשעת בליעת הלחם אומר כוס ישועות אשא ובשם השם אקרא ואז שתה היין אשר שחר ידו בו הכלב *Quomodo dicetis, esse Deum; cùm ipse sacrificulus tantùm sacrificium esse dicat? Tu parâsti vinum, & coxisti panem, & quomodo dicis, quòd is te fecerit, parârit, & condiderit, & creârit? Cùm ab-*

abligurit panem dicit; Tollam poculum salutis, & invocabo nomen Domini; & tunc vinum bibit &c.

Ex *Muhammedanis* de ſacrificio *Miſſæ* prolixè agit *Ahmed Ibn Edris*, idque duobus potiſsimùm locis, Quæſt. 105. pag. 216. & pag. 316. *Illo*, ad Scripturæ textus, quibus vel realitatem Sacrificij, vel corporalem pręſentiam aſtruere Chriſtiani conantur, reſpondet; *hoc* verò, locum Alkorani, de *Menſa cælitus delapſa*, quem Miſſæ favere arbitrantur, vindicat. *Primo* loco, Chaphezo Presbytero reſpondet, qui hoc Sacrificium Melchizedeki exemplo defendit; ſed, ut non diffitear, ineptè ſatis, quaſi materiam ſacrificij Levitici אלעגול ואלגזר ואלכרפאן *vitulos, pecus, oves; Chriſtiani* יעירונה ויבד לונה באלכבז ואלכמר לקלה תמנה ומא יגרונה מן אללדה פי אלכמר *mutáſſent & convertiſſent in panem & vinum, ob pretij exiguitatem, deliciásque, quas in vino ſentiant.* Plebem autem avaritiæ ſtudio aſſentiri: Omnia iſta Legi repugnare, quam Chriſtus non ſuſtulerit. Hæc, inquam, ut frivola ſatis ſunt, ita authori tribuimus in Scholis noſtris non inſtituto, & Sacrarum literarum Hiſtoricè magis, quàm Theologicè

cè gnaro: cætera verò, quæ ad locûm Johannis cap.6. excipit, non obscurè probant, quod πολλάκι καὶ κηπουρὸς ἀνὴρ μάλα καίρια εἶπεν. Verba ejus sunt ואמא
קול עיסי עליה אלסלאם מן אכל לחמי
פשרב דמי כאן פי פכנת פיה ואמא
אלכבז אלנאזל מן אלסמא פקד חמלה
אלנצארי עלי טאהרה וכאנוא עלי אלמסיח
אשד מן אליהוד קתלוהו ותרכוה ואלנצארי
יאכלון לחמה וישרבון דמה ומעלום אן הדא
פי אלעאדה אשד נכאיה ואנמא ינבעי להם
אן יסעוא פי צחתה אלנקל או לא פאדא צח
חמל עלי מא יליק במנצבה והו אנה עלם
עבר ען אלמעני אלמעקול במתאל מחסוס
ושבה עדא אלארואח בעד אלאגסאם והו
עלם אתי באנואע אלהדאיאת ותפאציל
אלחלם ואחיא מא אמאתה בני אסראיל
מן דלך פמן אתבעה אעתדת רוחה ותופ
רת ואמנת שקאהא וכיבה מסעאהא וליס
אלמראד אלכבז אלמחסוס ולא אלדם אלמ
שאהד לאן דלך כפר אתפאקא ומא דכרנה
עני גליל ינאסב מנצבה עלם פתעין אנהא
אלחק ודכרת הדא אלתאויל ליעלמוא אנא
אולי בעיסי עלם מנהם פי גמיע אלאחואל

Quod

Quod dictum attinet Ieſu, ſ.q.p. Qui manducârit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, eſt in me, & ego in illo: ſum enim panis ille, qui de Cœlo deſcendit; *Chriſtiani illud ſecundùm literam intelligunt: Atque ſic ſunt Chriſtiani crudeliores contra Meſſiam, quàm Judæi. Judæi enim occiſum eum reliquerunt; Chriſtiani autem comedunt carnem ejus, & bibunt ſanguinem ejus: Notũ autem eſt, quod hoc, ex conſuetudine, crudelius ſit mortis ſupplicium.* Oportet *autem, ut ad aſſertionem ejus* (ſententiæ) *vel translationem* (authoritatem divinam, pro ea obtinenda) *admittant, vel non habeant. Si illa præſtò eſt, nos eadẽ invitabit, ut intelligamus,* (verba) *prout ejus*(Chriſti)*convenit dignitati: At q. ſic Meſſias ſ.q.p. notare voluit rem intelligibilem, figura ſenſili, & ſimilitudinem cibi ſpiritualis per corporalem. Nempe attulit Meſſias ſ.q.p. varias ſpecies munerum & beneficiorum, manſuetudinem videlicet, & reſuſcitationem eorum, quos Jſraëlitæ occiderunt. Qui jam ipſum ſequitur, illius utique Spiritus cibatus eſt, & ditatus eſt.*

eſt, & ſecurus eſt ab afflictione, & damno, quo affici poſſet : (puto enim legendum (כיבה מס עליהא) *Non autem ſenſus eſt, quaſi panis eſſet ſenſibilis, aut ſanguis conſpicuus. Hoc enim, omnium conſenſu, eſſet impium. Is verò, quem nos commemoravimus, ſignificatum, egregius eſt, qui dignitati Meſſiæ ſ. q. p. convenit : Eum ergo animadverte verum eſſe. Hanc autem explicationem afferre volui, ut ſciant,* (Chriſtiani) *nos propiores eſſe Jeſu ſ. q. p. quàm iſti, omnibus modis.* Hæc Maurus ille, qui paucis multa complexus, oſtendit 1. verba Chriſti, Joh. 6. non eſſe ſecundùm literam intelligenda. 2. Senſum literalem Chriſtianos crudelitatis Capernaiticę reos agere. 3. Ejusmodi loca, convenienter perſonis, de quibus agunt, quod ad analogiam fidei pertinet, explicanda. 4. Non convenire Chriſto, ut τὸ ῥητὸν hîc obſervetur. 5. Symbolis externis & figuris ſenſibilibus cibum notari ſpiritualem. 6. Edere Chriſtum, eſſe ejus beneficijs frui. 7. Adeò ſibi Muhammedanos de hujus loci commodiori explicatione gratulari, ut vel hoc nomine imitatorum Chriſti axioma rectiùs deberi ſibi, exiſtiment. Loco ſuo relinquam,

 quòd

quod *Averroi*; tribuitur, de Christianismo judicium: *Omnes regiones peragravi, nec Christiana Gente deteriorem ullam reperi: Quia, quem Deum adorant, hunc dentibus devorant.* Non sollicitabo responsum *Legati* cujusdam Muhammedici, qui in aula quadam Principis Christiani interrogatus, cur adeò infensis animis Turcæ Christianos persequerentur, & non potiùs in Christianorum castra transirent? dixisse fertur: *Nemini, vel ex sensuum judicio eam placere posse religionem, quæ Numina colat, ipsis cultoribus inferiora.* Imagines potissimum & Artolatriam intellexit, quæ Genti barbaræ sudes hactenus fuerunt in oculis, & periculosus lapis offendiculi. Referam, non urgebò tamen hoc loco, quæ de Friderico Imperatore tradunt Scriptores Pontificij. Eum; postquam cum exercitu ingenti feliciter contra Sultanum pugnâsset, & magna potitus victoria; Hierosolymis Eucharistica Deo persolvere paratus esset; Templariorum & Hospitalariorum avaritia & contentionibus sic offensum fuisse & perturbatum, ut de religione sua, Missæ præsertim sacrificio dubitare cæperit. *Unde* (verba sunt *Johannis*, Monachi *Vitodurani*, in Historia sua

sua Msc.) *agens in partibus fortè, ut suspicor, trans marinis, triumpho jam potito, secundùm opinionem istorum, ac relationem astruitur, quadam dierum ipsum in pompa praecellenti, stipatum undique corona Procerum, Missarum solenniјs interfuisse, & ibidem à Soldano vel Principe quodam alio infideli inquisitum ab eo fuisse, quid in manibus Sacerdotis elevaretur, & cum adoratione adeò reverenda ab eo & cunctis Christicolis tam diligenter conspiceretur? Tale dicitur ei dedisse responsum: Sacerdotes nostri fabulantur, id quod sursum erigitur, fore Deum. Ad quod ille: Si fuisset Deus ille tantæ magnitudinis, ut mons maximus, dudum à Presbyteris vestris ipsum quotidie in Missa manducantibus, consumtus fore potuisset.* Unde & idem observat author, quorundam judicio, Imperatorem de abolenda Missa cogitâsse. Addi possunt, quæ de *Gentium* scandalo dedimus in *Apolog.* nostra *Eucharistica*, Sect.XIV.

VII. Et quanquam *Purgatorij* sedem defectus necessariæ, & acceptæ Deo reconciliationis Muhamedanis & Judæis commendârit, ceu diximus in *Hodeg.* P.III. c. 2. Lim-

bum tamen Patrum, & Triumphum Christi in inferno Judæi non uno loco impetunt. Auth. *Teschubh. Lamzajeph.* p. m. 55. obiter locum ex Glossa citat, sed R. Lipm. in Nizz. Sect. 230. אומרים הנוצרים שנשמת אלהיהם בא לגיהנם ולהוציאם ולו חכמו ישכילו זאת כמה מגנים אלהיהם שנשמתו שורפת בגיהנם כמו שנ ובערה בה לפי פי שלהם אלא הכי פירושו נשמת יי מלשון נשימה ורוח כלומר ורוח יי כמדורת העצים מבערו אמנם משל הוא על הגיהנם *Dicunt Nazareni* (Christiani) *animam Dei sui venisse in Gehennam, ut educeret eos* (quam Christianorum sententiam blasphemè exprimit S. 8. pag. 14.) *Quòd si saperent, intelligerent utique, quomodo ignominiâ afficerent Deum suum, cujus animam ardere volunt in Gehenna*, q. d. Et ardebit in ea; *juxta explicationem nempe eorum. Explicatio aliâs ejus est, ut sit flatus Domini ex significatione spirationis, flatus, quasi diceret*: Et Spiritus Domini instar struis lignorum, quam incendit. Hæc verò parabolicè dicuntur de Gehenna. Ad locum etiam *Genes. 37. 34. descendam ad filium meum*, &c. quem de limbo, vel, ut ille ajt, de Gehenna

henna Christiani intelligant, idem excipit; monstrando, absurdam illam esse sententiam, quæ statuat, Patriarchas omnes descendisse לגיהנם *in Gehennam*, Sect.40. Author etiam *Nizz. Argent.* Limbi figmentum frequenter vellicat, præsertim ad Esaj. c.35.10, c.51.3. Atque hæc quidem sunt, quæ ex infidelium scriptis afferre placuit: Non, quasi omnia prorsus ipsi probaremus (multa enim fabulosa, pro more Gentis, admixta esse fatemur; nonnulla etiam malitiosa, & impia) sed ut, quàm palpabiles superiorum seculorum fuissent tenebræ, quàm notorij, & vel infidelibus obvij, grassati essent errores, palàm constaret, non in Occidente tantum; sed &, quanquam parciùs, in Oriente; ne quis existimet, hanc nos plagam ab omni planè vitio aut corruptione sive dogmatum, sive rituum eximere. Ex *Muhammedanis* unius potissimùm meminimus, *Ibn Edris, Sanhaghij*, authoris responsorum & Quæsitorum de religione, de quo *Biblioth. Orient.* pag. 203. Occasio scripti, ut ipse p.m. 202. fatetur, nata ipsi fuit ex libro Dialogisticè à Christiano quodam exarato משתמלה עלי אלאחתגאג באלקראן אלכרים עלי צחה מדהב אלנצראניה *qui oppugnatio-*

 nem

nem continet Alkorani, & defensionem religionis Christianæ. Ipse author se initio libri appellat, אבואלעבאס אחמד בן אדריס אלצנהאגי אלמאלכי *Ahmed, Abulabbasum, Ibn Edris*; (Enochi) *Sanhaghium, Malekitam.* Quando vixerit, ex duobus maximè locis erui debet. Priori, p. 311. monet, à Christo ad sua usque tempora, præterijsse נחו אלף סנה *circiter 1000. annos.* Posteriori pag. 322. indicat, dominatum esse סיף עלי דין אלנצראניה סתמאיה סנה *gladium in religionem Christianam 600. annos.* Sive jam prior calculus bene subductus sit, sive posterior, authorem non χθὲς ἢ πρώχθες; sed aliquot ante Reformationem seculis vixisse, manifestum est. Ex priori Epocha, referetur scriptor ad Sec.X. Ex posteriori, quæ à Muhammede incipere videtur, ad Sec.XII. Inter *Hebræos* illi libri de Christianorum sacris & dogmatibus Elenctice & ex professo agunt, qui superbo frontispicio insignes, נצחון Libri *victoriæ* appellari solent. Duorũ potissimùm audivimus objectiones; *illius* author est R. *Lipmannus*, Mulhusinus, circa an. Chr. 1459. Hoc nunsterus aliquando fuit usus, notis in Evangelium Hebraicum. Prodijt non ita pridem, cum doctis observationibus

tionibus Philologicis D. *Theodori Hackſpani*, quam etiam Editionem ſecuti fuimus. Alterum Codicem *Argentinenſem* nuncupavimus; de quo ita aliquando ad nos amicus: *Eſt hic* Nizzachon; *mea quidem ſententia; idem cum Munſteri & Fagij; quòd multa habeant communia. Quamvis fidei Chriſtianæ ſit hoſtis ἄσπονδος author; nihilominus nonnulla habet obſervatu digna. Urget contra Pontificios, Clericis conjugium non eſſe denegandum; ſanctos non eſſe invocandos. Sugillat, quòd campanas baptizent, imaginibus cultum præſtent. Taceo, quòd non malè ipſos ob Scripturæ detorſionem vellicet. Rubore ſuffundantur, quibus oculatis cæcus viam monſtrat &c.* Hactenus de clamore lapidum, id eſt, infidelium contra Chriſtianorum ſuperſtitiones, novitates, heterolatrias juſtiſsimis querelis, multis ante Reformationem ſeculis, effuſis. In Arabe ſæpiùs citato, *Ahmede Ibn Edris*, illud memorabile eſt, quòd, ex univerſo propemodum contextu ſacro, non modò loca quædam tam contra Chriſtianos & Judæos, quàm pro Muſelmannis, citet; ſed & nonnunquam integros verſiculos Hebraicè proferat. Obſervavi enim allega-

 ri

ri ex *Lege*, Genes. cap. l. 4. 16. 32. 17. 49. Deut. 18. *Prophetis*, Esaj. 9. 21. 42. 45. 47. Ezechiele, Daniele, Hosea, Michea, &c. Psalmis, Psal. 2. 4. 8. 72. 110. 149. Ex Novo Testamento, Matth. 2. 18. 19. 25. Marc. 9. Luc. 1. 10. 13. Johan. 1. 4. 14. 5. 15. 17. Act. 10. Ex Epistolis pauciora occurrunt; occurrunt tamen, 1. Tim. 2. 1. Joh. 4. Cæterorum illum non meminisse, defectu, procul dubio, Codicum factum est: Si enim Christiani (quod ex Alepensi Melchita observâsse se scribit *Edvardus Pocokius* in Text. Arab. Oper. Polygl. Londin. pag. 1.) conquerantur, non reperiri penes se Arabicè exemplar Bibliorum aliquod, quod æquali filo contextum, partibus inter se congruis, aptéque dispositis constaret; quid Muhammedanis evenisse existimemus? Certè *Ismaël Abulfeda* (qui, Ahmedi nostro ferè σύγχρονος, año Hegiræ 672. fuit natus) Hamai Princeps, scriptis Geographicis clarissimus, de judicibus ac Regibus Israeliticis acturus, non absque Scripturæ sacræ laude, fateri debuit, aliunde frustra lucem expectari Historiæ Judaicæ, quàm ex illorum libris sacris, nondum tamen satis Arabibus, per translationes obvias, notis: *Hac in parte*, inquit, *necesse est, ut multa recurrant errata, cùm ob magnam tempo-*

temporis intercapedinem, tum quod Hebraicè scripta sint, quæ de ijs memoriæ prodita sunt, cujus Linguæ verba debito modo proferre admodùm difficile est. Neque in exemplaribus Historiarum his de rebus conscriptarum, quæ inspicere contigit, inveni, de cujus veritate certò mihi constaret. Unū quodque enim alteri contrarium reperi vel in nominibus judicum, vel eorum numero, vel temporis, quo præfuerunt, spatio, notandis. At Judæis libri sunt XXIV. antiquitus apud ipsos per manus accepti ולם תערב אלי אלאן בל הי באללעה אלעבראניה *qui nondum Arabici facti sunt, verùm Lingua Hebraica exarati* (quod tamen de notitia potiùs, & vulgari usu apud Arabes, quàm ipsa translatione, debet intelligi, cùm constet, diu jam antè, hanc operam R. Saadiam, aliósque præstitisse) *extant. Comparatis ergo mihi ex ipsis judicum Israeliticorum & Regum libris, accersivi virum Hebraicè & Arabicè doctum, cui eos prælegendos tradidi, tribúsque adhibitis exemplaribus ex ipsis transscripsi, quod mihi verissimum visum est, nominaq; literis & vocalibus suis, quàm potui fideliter, notavi.*

Cap. III.

De causis Reformationis efficientibus.

Ordine indicatur, 1. *Causam efficientem* principalem *esse* Deum, *a. ratione* mandati, *tam generalis*; *quàm specialis b.* Exempli, *Christi, ubi* παραλληλισμὸς *inter Synagogam Iudaicam, & Ecclesiam Christianam, tempore Reformationis.* 1. Successûs, *quem divinum fuisse & cælestem, ipsi etiam adversarij fatentur.* II. Impulsivam *externam, Indulgentiarum sordidißimam mercaturam fuisse, concedunt Polydorus Virgilius, Surius, Faber.* III. Instrumentalis *in* A. *Helvetia fuit* Zuinglius, *cujus distinctè, a. Brevis vitæ descriptio.* b. *Reformationis enarratio.* c. *Axiomatum deductio. Cujusmodi sunt* 1. *quòd prima ejus de Reformatione fuerit cura.* 2. *Reformatio ejus accuratè & prudenter instituta: ubi de varijs ejus periculis, minis & pollicitis.* 3. *Eruditio Zuinglij.* 4. *Fortitudo.* 5. *Calumniæ, quibus impetitus fuit, breviter diluuntur.* 6. *Historia mortis ejus & indicatur, & vindicatur. In* B. Germania *& vicinis locis* Lutherus, *cujus etiam* 1. *vita succinctè recitatur.* 2. *Reformatio proponitur.* 3. *Theoremata sive observationes nonnullæ eruuntur: Cujusmodi, quòd a. initio Reformationis paulò fuerit timidior.* b. *Concitatior,* c. *Laude, propter præclara merita, dignißimus.* C. *In* Sabaudia

bondia & Gallia *præ cæteris celebris* Calvinus *de quo itidem* a. *Brevis* προσωπογραφία, b. *obſervationes de vita & ſtudijs ejus.*

I. Cauſa Reformationis Efficiens Principalis eſt Deus; tum ratione [a] mandati, tam generalis quàm ſpecialis, tum exempli [b] Chriſti, tum denique Spiritus Sancti operatione, & ſucceſſus [c] non uno modo miraculoſi evidentia ſpeciali.

[a] Deum cauſam dicimus efficientem, ratione. 1. *Mandati generalis*, de diligendo Deo ſuper omnia, Deut 6.v.2.6. eóque ſolo colendo. Quicquid igitur vel ab amore Dei, vel etiam á cultu, ipſi ſoli debito, nos abſtraxerit, vitari debet. Talia fuiſſe in Papatu plurima, poſtea videbimus. 2. *ſpecialis* [a] *de deſerendis veſtigijs* avitis, & traditionibus Majorum, ſi verbum Dei reddant irritum, Deut. 4. 2. & 12. 8. Ezech. 20. 18. Matth. 15. 9. [b] *De exitu ex Babylone ſpirituali*, Apoc. 18. 4. *Exite ex illa populus meus, ne communicetis peccatis ejus, & ut non accipiatis de plagis ejus.* [c] Romam Babylonis nomine intelligi, & Patres quidam, *Hieron.* Catal. Script. Eccleſ. & Coment. in c. 47. Eſaj. &c. ſtatuerunt, & eorum exemplo Pontificij. [d] *De vitandis idolis,*

lis, 1. Joh. 5. 21. *Filioli custodite vos ipsos ab Idolis,* i. e. ut egregiè habet Paraph. Syrus רחלת פתכרא *à cultu Idolorum.* Idololatriæ autem onus pressisse Majores nostros, suo loco videbimus. [e] *De dispari societate tollenda,* 2. Cor. 6. 14. 15. 16. Quæ *conventio Christo ad Belialem* (*Syr.* Satanam. *Arab.* Apostatam; *AEth.* Belhor, reddit) *aut quæ pars fideli cum infideli, aut quis consensus templo Dei cum Idolis? Syrus* Idolorum templa vocat. *AEthiops:* Quis est, qui collocet Idolum *in templo Dei?* At, in templis, Deo consecratis, paulatim collocata fuisse idola, nostri experti fuêre Majores. Quid enim Latinorum *imago* aliud est, quàm Græcorum εἶδος, & εἴδωλον? [f] *De declinandis* omnibus illis, *qui dissensiones & offendicula* (aliam fidei & vitæ rationem ostendendo) *præter doctrinam, quam ab Apostolis didicimus;* Rom. 16. 17. At, tales paulatim irrepsisse *dissensionum authores,* qui, ut idem loquitur Paulus, *non Christo, sed ventri, sunt famulati, qui per blandiloquentiam & benedictionem* (amicas compellationes & salutationes) *corda simplicium seduxerunt,* postea disquiremus. *De redarguendis* operibus

ribus tenebrarum ἀκάρπαις, Epheſ. 5. 11. Quę, niſi in ſocietatem plagarum pertrahi voluiſſent optimi Majores, diutiùs illa relinquere intacta non potuerunt. Quid multis? Nihil reformatum Majores noſtri voluerunt, cujus non ſpecialis illis eſſet mandati divini authoritas. Mandatum erat; ſcrutari Scripturas; Joh. 5. Nullas ad cultum habere imagines, Exod. 20. Unum agnoſcere Mediatorem, 1. Tim. 2. 5. ſolum adorare Deum, Matth. 4. Remiſsionem peccatorum quærere in ſolo Chriſti ſanguine, 1. Joh. 1. 7. Caput Eccleſiæ agnoſcere Chriſtum Eph. 1. 22. 23. Juſtificationem coram Deo negare operibus; Rom. 3. Gal. 2. In adminiſtratione Cœnæ Dominicæ non acquieſcere in ſolo calice 1. Cor. 11. Et ſi quæ ſunt alia; de quibus; σὺν θεῷ; diſtinctè ſuo loco: Compendium interim audiamus ex *Calvini* reſp. ad quendam Curat. *Palàm eſt, noſtram à nobis Eccleſiam reformatam eſſe ex mero ipſius verbo, quod unum eſt pro regula, ad quam & inſtituenda illa ſit, & tuenda legitimè. Plusquam idoneæ ſunt rationes, quæ ad mutationem illam nos adegerunt, cujus præjudicio falsò urgemur. Primum nempe caput Chriſtianiſmi eſt, ut*

Deus

Deus colatur. Animadvertimus verò formam illam adorationis, quæ in usu erat, falsam & perversam esse, quia non erat in Spiritu & veritate, sed in externis ceremoniis, & ritibus etiam superstitiosis. Quamvis etiam non jam unus Deus adoraretur; sed loco ipsius ligna & lapides, picturæ, mortuorum reliquiæ, & cætera id genus. Cum Dei adoratione cohæret ipsius rectè invocandi regula. *Et qualis est* Dei invocatio *in toto Papatu, nisi cum dubitatione & diffidentia conjuncta: quatenus non tenetur Christianus, quod in eo positum est, ut intercedat pro nobis, ut ejus nomine à Deo exaudiamur? Porrò, quid sunt aliud publicæ illæ preces, quàm strepitus ignoti, & velut exotici ululatus! Postremò,* quot blasphemiæ illic *censendæ sunt, ubi virtus Mediatoris transfertur ad Sanctos & Sanctas, ut eorum nomine & meritis gratia impetretur.* Tertio *loco, & invocationi proximo est ipse Dei cultus. Docebamur autem Deũ colere ex variis hominũ traditionibus.*

[b] Christus enim, in Synagoga Judaica, quæ etiam axioma *veræ Ecclesiæ,*

peculij

peculÿ Dei &c. ad nauſeam inculcavit, reformatam voluit Dogmatum corruptelam, rituum ſuperſtitionem, vitæ hypocriſin, & regiminis tyrannidem. Correxit ergo Servator 1. *Corruptelam dogmatum*, quæ doctrinam ita invaſit, ut [a] Verbi Dei, duas diſtinctas Rabbini poſuerint ſpecies, ἔγγραφον & ἄγραφον; & hanc quidem illi prætulerint: Unde tot Servatoris querelæ de abrogato Dei verbo per traditiones humanas, Matth. 5. 6. 7. 15. Scripturæ interpretationem exigebant non ad ipſam Scripturam; ſed ad Doctorum ſuorum placita, in quibus ſecurè quieſcebant, parùm ſoliciti, quàm vel rectè, vel bene. Huc ergo Chriſtus & monitis & parabolis eos revocavit aliquoties, Joh. 5. Luc. 16. De [b] *Meßia* periculoſsimæ nidulari cæperunt opiniones, quaſi Rex futurus eſſet terreſtris, qui collapſam rem Judaicam reſtitueret, Joh. 6. & 18. De [c] *Lege* philoſophati ſunt, eum, qui vel partem ejus impleviſſet, toti ſatisfeciſſe: cui pernicioſo errori Apoſtolus Jacobus priorem Epiſtolæ ſuæ partem oppoſuit: ex Majorum traditione, non ipſa Moſis explicatione, Legem, ſuam habere lucem; externis potiùs ritibus & ceremonijs Numen placari, quàm interna cordis obedientia. De quibus convellendis hetero

terodoxijs. Optimus Legis interpres, Chriſtus, ſolicitùs maximè fuit Matth. 5.6.7. De [d] *Iuſtificatione*, quam operum adſcribebant meritis: utque faciliùs eam obtinerent, juſtum non illum definierunt, qui, juxta ſummam Legis, *Deum diligeret ex toto corde ex tota anima, ex omnibus viribus*, Deut. 6. Matth. 22. ſed cujus pauciora eſſent peccata, quàm bona opera. Atque horum, aliorumque dogmatum Antiſtites Phariſæi fuerunt: unde & plures Servatori cum illis fuiſſe leguntur conflictus, quàm cùm reliquis Eccleſiæ Judaicæ Hæreticis aut Schiſmaticis, Sadducæis, Eſſæis &c.

II. *Superſtitionem rituum*, quæ ſpecioſo *παραδόσεων* prætextu ita invaluit, ut utramque fere cultûs Judaici fecerit paginam. Hinc Servatoris toties ingeminatum Væ; Matth. 23. Luc. 11. &c. Hinc juſtiſsimæ ἐπιπλήξεις, propter malè intellectam, & ad ſuperſtitionem detortam Scripturam; de fimbriarum dilatatione; Phylacteriorum apparatu Matth 23. v. 5. olerum decimis Luc. 11. 42. ſub anathematis ſpecie denegatis parentibus ſubſidijs, Matth. 15. 5.6.

III. *Vitæ hypocriſin*, quod vitium illis ubique impingitur, præſertim Matth. 23. qui onera alijs impoſuerunt, quæ ne extremis attige-

attigerunt digitis: Prophetarum à ſuis Majoribus occiſorum viſitârunt ſepulchra Luc. 11.v.47. precum affectârunt prolixitatem; Eleemoſynas erogârunt, ſed tubâ indicatas; jejunia indixerunt πτερόποδα, ſed meriti opinione turgida Matth.5. Luc.18.

IV. *Regiminis tyrannidem.* Clavem enim ſcientiæ rapiebant, cujus tamen uſum nec ſibi indulſerunt, nec alijs Luc.11.52. Occuparunt Cathedram Moſis, Matth.23.2. idque tandem artibus ſuis, & blanditijs impetrârunt, ut omnes eorum votis & vocibus ſteterint ſacrorum conſtitutiones. Unde *Joſephus* Antiquit. lib. 18.c.2. καὶ δὲ αὐτὰ τοῖς δὲ δήμοις πιθανώτατοι τυγχάνουσι, καὶ ὁπόσα θεῖα εὐχῶν τε καὶ ἱερῶν ποιήσεως ἐξηγήσει τῇ ἐκείνων τυγχάνουσι πρασσόμενα; *Per quæ magnam ſibi authoritatem paraverunt apud populum, & quicquid ad ſolennes precationes, ac divinum cultum attinet, juxta horum Interpretationem ſolet fieri.* Magiſtratui etiam extraneo, *Regibus cumprimis parere ægrè aſſueverunt, obſequij jugum pertinaciter detrectantes*, de quo idem lib.17.c.3. καὶ ἦν μόριόν τι ἰουδαικῶν ἀνθρώπων, ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονοῦν τοῦ πατρίου

τρίου νόμου, οἷς χαίρειν τὸ θεῖον προσποιουμένων ὑπῆκτο ἡ γυναικωνῖτος. Φαρισαῖοι καλοῦνται, βασιλεῦσι δυνάμενοι μάλιστα ἀντιπράσσειν προμηθεῖς, κἀκ τοῦ προὔπτου εἰς τὸ πολεμεῖν τε καὶ βλάπτειν ἐπηρμένοι. παντὸς γοῦν τοῦ Ἰουδαϊκοῦ βεβαιώσαντος δι' ὅρκων ἦ μὴν Κυνοήσειν καίσαρι, καὶ τοῖς βασιλέως πράγμασιν, οἵδε οἱ ἄνδρες οὐκ ὤμοσαν ὄντες ὑπὲρ ἑξακισχίλιοι, καὶ αὐτοὺς βασιλέως ζημιώσαντος χρήμασιν ἡ Φερώρου γυνὴ τὴν ζημίαν ὑπὲρ αὐτῶν εἰσφέρει. *Erat enim quædam Judæorum secta, exactiorem patriæ legis cognitionem sibi vindicans, quibus tanquam Deo, ut videri volebant, charis, addictum erat hoc mulierum sodalitium. Hi Pharisæi vocantur, genus hominum astutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infestum, ut eos etiam apertè impugnare non vereatur. Nam cùm tota gens Judæorum fidem suam jurejurando obligâsset Regi & Cæsari, hi soli non juraverunt, excedentes sex millium numerum, quibus hoc nomine à rege mulctatis, Pheroræ uxor pro eis mulctam persolvit.* Hæc *synagogæ* fuit facies tempore Christi, quam proinde repurgavit: Cur ergo Majoribus nostris Ecclesiam ijsdem laborantem incom-

comodis, tam ſanctis inſiſtere, præeuntibus tot præceptis, veſtigijs, fraudi fuerit? Certè ſi inter ſe conferuntur præmiſſa modò, quibus tempore Chriſti Eccleſia Judaica immerſa fuit, mala, cum Majorum noſtrorum ſorte, vix ovum ovo eſt ſimilius, quàm ratio utriusque & conditio. Sed experiamur unum & alterum παραλληλισμόν. In *doctrina* Judæi, Phariſæi cumprimis, I. Capita, de *Lege, peccato*, *Iuſtificatione*, connexa, malè ſunt interpretati. Unde tot ſeriæ, Chriſti & Apoſtolorum, Pauli præſertim, ad Romanos & Galatas contra Pſeudapoſtolos diſputationes: Quid Reformationis tempore, Eccleſiam importuniùs vexavit, quàm Evangelij vel everſio, vel in Legales quaſdam ceremonias, & externam tantùm obedientiam, larvata converſio? II. *Meſſiæ officium* & Perſona à Judæis non rectè & ex Scripturæ oraculo, ſed humani cerebri præſcripto, æſtimabatur. In *Papatu* eundem paulatim errorem irrepſiſſe; officium præſertim Chriſti periculosè fuiſſe vel extenuatum, vel impetitum, ſuo loco, oſtendemus. III. τὰ θεῖα, & quicquid ad *cultum* ſpectabat, ſuę dictaturæ Rabbini ſubjecerunt, atque tribunali, Scripturæ authoritate poſthabita. Eandem calamitatem preſsiſſe Majores noſtros, Ro-

M 2 mamque

mamque, ceu unicam facrorum credendorum & faciendorum normam, fuiffe auditam, quis vel dubitet? IV. Rationem & modum *excutiendæ obedientiæ* Dei verbo, & Miniftris, legitimis Magiftratibus debitas, Pharifæos quæfiviffe, ex Jofepho audivimus. Quid Romana Curia olim tentârit, quam Cleius immunitatem etiamnum jactitet, in aprico eft. V. *Liberi Arbitrij, vitæ, in fpeciem fancta, Purgatorij* fortè etiam, focios effe utriufque Ecclefiæ corruptæ Antiftites, quàm fuerit probatu proclivè? Compendium certè fuperioris feculi Theologiæ Scholafticæ fuppeditat, in quo bona mixta malis, *Jofephus* lib. 18. c. 2. quando de Pharifæis ita loquitur: Οἱ τε γὰρ Φαρισαῖοι τὴν δίαιταν ἐξευτελίζουσιν, οὐδὲν εἰς τὸ μαλακώτερον ἐνδιδόντες· ὧν τε ὁ λόγος, κρίνας παρέδωκεν ἀγαθῶν. ἕπονται τῇ ἡγεμονίᾳ περιμάχητον ἡγούμενοι τὴν φυλακὴν ἣν προαγορεύειν ἠθέλησε. Τιμῆς γε τῆς ἡλικίας προήκουσι παραχωροῦσιν, οὐδὲν ἐπ' ἀντιλέξει τῶν εἰσηγηθέντων ταῦτα θράσει ἐπαιρόμενοι, πράσσεσθαι τε εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦντες, οὐδὲ τοῦ ἀνθρωπείου τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτῆς ὁρμῆς ἀφαιροῦνται, δοκῆσαν τῷ θεῷ κρᾶσιν γενέσθαι, καὶ τῷ ἐκείνης βουλευτηρίῳ, καὶ τῶν ἀνθρώπων, τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν, μετ'

μετ' ἀρετῆς ἢ κακίας. Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς, οἷς ἀρετῆς, ἢ κακίας ἐπιτήδευσι ἐν τῷ βίῳ γέγονε, καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥαστώνην τοῦ ἀναβιοῦν. *Pharifæorum victus fimplex, nihil delicijs indulgentes, quæ ratio dictat, ea fequuntur voluntate, exiftimantes, id, quod quis ante defendere voluit, effe retinendum. Honorem majoribus deferunt, nec audent eis refponfare monentibus. Fato, quæcunque geruntur, tribuunt, nec tamen homini voluntatis affenfum adimunt, hoc temperamento Deum uti dicentes, ut cùm omnia fiant ex ipfius confilio, in homine tamen fit voluntas accedendi ad virtutē, aut vitium. Animas credunt effe immortales, & fub terra earum judicia fieri, tum præmia quoque contingere ex Virtutis aut malitiæ merito: & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem ad vitam effe reditum.* Sed de hoc Pharifaicarum & Papifticarum hypothefium parellelifmo, actum à nobis eft alibi. Videatur *Thef. Philol.* pag 28.

[c] Sed & *progreffus* & confervationis refpectu, opus hoc *divinum* fuiffe, vix

lis, 1. Joh. 5. 21. *Filioli custodite vos ipsos ab Idolis*, i. e. ut egregiè habet Paraph. Syrus רחלת פתכרא *à cultu Idolorum.* Idololatriæ autem onus pressisse Majores nostros, suo loco videbimus. [e] *De dispari societate tollenda*, 2. Cor. 6. 14. 15. 16. Quæ *conventio Christo ad Belialem* (*Syr.* Satanam. *Arab.* Apostatam; *AEth.* Belhor, reddit) *aut quæ pars fideli cum infideli, aut quis consensus templo Dei cum Idolis? Syrus* Idolorum templa vocat. *AEthiops:* Quis est, qui collocet Idolum *in templo Dei?* At, in templis, Deo consecratis, paulatim collocata fuisse idola, nostri experti fuêre Majores. Quid enim Latinorum *imago* aliud est, quàm Græcorum εἶδος, & εἴδωλον? [f] *De declinandis* omnibus illis, *qui dissensiones & offendicula* (aliam fidei & vitæ rationem ostendendo) *præter doctrinam, quam ab Apostolis didicimus*; Rom. 16. 17. At, tales paulatim irrepsisse *dissensionum authores*, qui, ut idem loquitur Paulus, *non Christo, sed ventri, sunt famulati, qui per blandiloquentiam & benedictionem* (amicas compellationes & salutationes) *corda simplicium seduxerunt*, postea disquiremus. *De redarguendis* operibus

ribus tenebrarum ἀκάρποις, Ephes. 5.11. Quę, nisi in societatem plagarum pertrahi voluissent optimi Majores, diutiùs illa relinquere intacta non potuerunt. Quid multis? Nihil reformatum Majores nostri voluerunt, cujus non specialis illis esset mandati divini authoritas. Mandatum erat; scrutari Scripturas; Joh. 5. Nullas ad cultum habere imagines, Exod. 20. Unum agnoscere Mediatorem, 1. Tim. 2.5. solum adorare Deum, Matth. 4. Remissionem peccatorum quærere in solo Christi sanguine, 1. Joh. 1.7. Caput Ecclesiæ agnoscere Christum Eph. 1. 22. 23. Justificationem coram Deo negare operibus; Rom. 3. Gal. 2. In administratione Cœnæ Dominicæ non acquiescere in solo calice 1. Cor. 11. Et si quæ sunt alia; de quibus; σὺν θεῷ, distinctè suo loco. Compendium interim audiamus ex *Calvini* resp. ad quendam Curat. *Palàm est, nostram à nobis Ecclesiam reformatam esse ex mero ipsius verbo, quod unum est pro regula, ad quam & instituenda illa sit, & tuenda legitimè. Plusquam idoneæ sunt rationes, quæ ad mutationem illam nos adegerunt, cujus præjudicio falsò urgemur. Primum nempe caput Christianismi est, ut*

Deus

Deus colatur. Animadvertimus verò formam illam adorationis, quæ in usu erat, falsam & perversam esse, quia non erat in Spiritu & veritate, sed in externis ceremoniijs, & ritibus etiam superstitiosis. Quamvis etiam non jam unus Deus adoraretur; sed loco ipsius ligna & lapides, picturæ, mortuorum reliquiæ, & cætera id genus. Cum Dei adoratione cohæret ipsius rectè invocandi regula. *Et qualis est* Dei invocatio *in toto Papatu, nisi cum dubitatione & diffidentia conjuncta, quatenus non tenetur Christianus, quod in eo positum est, ut intercedat pro nobis, ut ejus nomine à Deo exaudiamur? Porrò, quid sunt aliud publicæ illæ preces, quàm strepitus ignoti, & velut exotici ululatus! Postremò,* quot blasphemiæ illic *censendæ sunt, ubi virtus Mediatoris transfertur ad Sanctos & Sanctas, ut eorum nomine & meritis gratia impetretur.* Tertio *loco, & invocationi proximo est ipse Dei cultus. Docebamur autem Deũ colere ex variis hominũ traditionibus.*

[b] Christus enim, in Synagoga Judaica, quæ etiam axioma *veræ Ecclesiæ, peculij*

peculÿ Dei &c. ad nauſeam incülcavit, reformatam voluit Dogmatum corruptelam, rituum ſuperſtitionem, vitæ hypocriſin, & regiminis tyrannidem. Correxit ergo Servator 1. *Corruptelam dogmatum,* quæ doctrinam ita invaſit, ut [a] Verbi Dei, duas diſtinctas Rabbini poſuerint ſpecies, *ἔγγραφον* & *ἄγραφον*; & hanc quidem illi prætulerint: Unde tot Servatoris querelæ de abrogato Dei verbo per traditiones humanas, Matth. 5. 6. 7. 15. Scripturæ interpretationem exigebant non ad ipſam Scripturam; ſed ad Doctorum ſuorum placita, in quibus ſecurè quieſcebant, parum ſoliciti, quàm vel rectè, vel bene. Huc ergo Chriſtus & monitis & parabolis eos revocavit aliquoties, Joh. 5. Luc. 16. De [b] *Meßia* periculoſsimæ nidulari cæperunt opiniones, quaſi Rex futurus eſſet terreſtris, qui collapſam rem Judaicam reſtitueret, Joh. 6. & 18. De [c] *Lege* philoſophati ſunt, eum, qui vel partem ejus implevisset, toti ſatisfeciſſe: cui pernicioſo errori Apoſtolus Jacobus priorem Epiſtolæ ſuæ partem oppoſuit: ex Majorum traditione, non ipſa Moſis explicatione, Legem, ſuam habere lucem; externis potiùs ritibus & ceremonijs Numen placari, quàm interna cordis obedientia. De quibus convellendis hetero

terodoxijs. Optimus Legis interpres, Christus, ſolicitus maximè fuit Matth. 5. 6. 7. De [d] *Iuſtificatione*, quam operum adſcribebant meritis: utque faciliùs eam obtinerent, juſtum non illum definierunt, qui, juxta ſummam Legis, *Deum diligeret ex toto corde ex tota anima, ex omnibus viribus*, Deut. 6. Matth. 22. ſed cujus pauciora eſſent peccata, quàm bona opera. Atque horum, aliorumque dogmatum Antiſtites Pharisæi fuerunt: unde & plures Servatori cum illis fuiſſe leguntur conflictus, quàm cùm reliquis Eccleſiæ Judaicæ Hæreticis aut Schiſmaticis, Sadducæis, Eſſæis &c.

II. *Superſtitionem rituum*, quæ ſpecioſo παραδόσεων prætextu ita invaluit, ut utramque fere cultûs Judaici fecerit paginam. Hinc Servatoris toties ingeminatum Væ; Matth. 23. Luc. 11. &c. Hinc juſtiſsimæ ἐπιπλήξεις, propter malè intellectam, & ad ſuperſtitionem detortam Scripturam; de fimbriarum dilatatione; Phylacteriorum apparatu Matth 23. v. 5. olerum decimis Luc. 11. 42. ſub anathematis ſpecie denegatis parentibus ſubſidijs, Matth. 15. 5. 6.

III. *Vitæ hypocriſin*, quod vitium illis ubique impingitur, præſertim Matth. 23. qui onera alijs impoſuerunt, quæ ne extremis attige-

attigerunt digitis: Prophetarum à ſuis Majōribus occiſorum viſitârunt ſepulchra Luc. 11.v.47. precum affectârunt prolixitatem; Eleemoſynas erogârunt, ſed tubâ indicatas; jejunia indixerunt περισσότερα, ſed meriti opinione turgida Matth.5.Luc.18.

IV. *Regiminis tyrannidem*. Clavem enim ſcientiæ rapiebant, cujus tamen uſum nec ſibi indulſerunt, nec alijs Luc.11.52. Occuparunt Cathedram Moſis, Matth.23.2. idque tandem artibus ſuis, & blanditijs impetrârunt, ut omnes eorum votis & vocibus ſteterint ſacrorum conſtitutiones. Unde *Joſephus* Antiquit. lib. 18.c.2. καὶ δὲ αὐτὰ τοῖς δὲ δήμοις πιθανώτατοι τυγχάνουσι, καὶ ὁπόσα θεῖα εὐχῶν τε καὶ ἱερῶν ποιήσεως ἐξηγήσει τῇ ἐκείνων τυγχάνουσι πρασσόμενα; *Per quæ magnam ſibi authoritatem paraverunt apud populum, & quicquid ad ſolennes precationes, ac divinum cultum attinet, juxta horum Interpretationem ſolet fieri.* Magiſtratui etiam extraneo, *Regibus cumprimis parere ægrè aſſueverunt, obſequij jugum pertinaciter detrectantes*, de quo idem lib.17.c.3. καὶ ἦν μόριόν τι ἰουδαικῶν ἀνθρώπων, ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονοῦν τοῦ πατρίου

M

περὶ νόμου, οἷς χαίρειν τὸ θεῖον προσποιουμένων ὑπῆκτο ἡ γυναικωνῖτις. Φαρισαῖοι καλοῦνται, βασιλεῦσι δυνάμενοι μάλιστα ἀντιπράσσειν προμηθεῖς, κἀκ τοῦ προὔπτου εἰς τὸ πολεμεῖν τε καὶ βλάπτειν ἐπηρμένοι παντὸς γοῦν τοῦ Ἰουδαϊκοῦ βεβαιώσαντος δι' ὅρκων ἦ μὴν εὐνοήσειν καίσαρι, καὶ τοῖς βασιλέως πράγμασι, οἵδε οἱ ἄνδρες οὐκ ὤμοσαν ὄντες ὑπὲρ ἑξακισχίλιοι, καὶ αὐτοὺς βασιλέως ζημιώσαντος χρήμασιν ἡ Φερώρου γυνὴ τὴν ζημίαν ὑπὲρ αὐτῶν εἰσφέρει. *Erat enim quædam Judæorum secta, exactiorem patriæ legis cognitionem sibi vindicans, quibus tanquam Deo, ut videri volebant, charis, addictum erat hoc mulierum sodalitium. Hi Pharisæi vocantur, genus hominum astutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infestum, ut eos etiam apertè impugnare non vereatur. Nam cùm tota gens Judæorum fidem suam jurejurando obligâsset Regi & Cæsari, hi soli non juraverunt, excedentes sex millium numerum, quibus hoc nomine à rege mulctatis, Pheroræ uxor pro eis mulctam persolvit.* Hæc *synagogæ* fuit facies tempore Christi, quam proinde repurgavit: Cur ergo Majoribus nostris Ecclesiam ijsdem laborantem incom-

comõdis, tam ſanctis inſiſtere, præeuntibus tot præceptis, veſtigijs, fraudi fuerit? Certè ſi inter ſe conferuntur præmiſſa modò, quibus tempore Chriſti Eccleſia Judaica immerſa fuit, mala, cum Majorum noſtrorum ſorte, vix ovum ovo eſt ſimilius, quàm ratio utriusque & conditio. Sed experiamur unum & alterum παραλληλισμόν. In *doctrina* Judæi, Phariſæi cumprimis, I. Capita, de *Lege, peccato*, *Iuſtificatione*, connexa, malè ſunt interpretati. Unde tot ſeriæ, Chriſti & Apoſtolorum, Pauli præſertim, ad Romanos & Galatas contra Pſeudapoſtolos diſputationes: Quid Reformationis tempore, Eccleſiam importuniùs vexavit, quàm Evangelij vel everſio, vel in Legales quaſdam ceremonias, & externam tantùm obedientiam, larvata converſio? II. *Meßiæ officium* & Perſona à Judæis non rectè & ex Scripturæ oraculo, ſed humani cerebri præſcripto, æſtimabatur. In *Papatu* eundem paulatim errorem irrepſiſſe; officium præſertim Chriſti periculosè fuiſſe vel extenuatum, vel impetitum, ſuo loco, oſtendemus. III. τὰ θεῖα, & quicquid ad *cultum* ſpectabat, ſuę dictaturæ Rabbini ſubjecerunt, atque tribunali, Scripturæ authoritate poſthabita. Eandem calamitatem preſsiſſe Majores noſtros, Ro-

M 2 mamque

mamque, ceu unicam sacrorum credendorum & faciendorum normam, fuisse auditam, quis vel dubitet? IV. Rationem & modum *excutiendæ obedientiæ* Dei verbo, & Ministris, legitimis Magistratibus debitas, Pharisæos quæsivisse, ex Josepho audivimus. Quid Romana Curia olim tentârit, quam Clerus immunitatem etiamnum jactitet, in aprico est. V. *Liberi Arbitrij, vitæ, in speciem sanctæ, purgatorij* fortè etiam, socios esse utriusque Ecclesiæ corruptæ Antistites, quàm fuerit probatu proclivè? Compendium certè superioris seculi Theologiæ Scholasticæ suppeditat, in quo bona mixta malis, *Josephus* lib. 18. c. 2. quando de Pharisæis ita loquitur: Οἵ τε γὰρ Φαρισαῖοι τὴν δίαιταν ἐξευτελίζουσιν, οὐδὲν εἰς τὸ μαλακώτερον ἐνδιδόντες; ὧν τε ὁ λόγος, κρίνας παρέδωκεν ἀγαθῶν, ἕπονται τῇ ἡγεμονίᾳ περιμάχητον ἡγούμενοι τὴν φυλακὴν ἣν προαγορεύειν ἠθέλησε. Τιμῆς γε τῆς ἡλικίας προήκουσι παραχωροῦσιν, οὐδὲν ἐπ' ἀντιλέξει τῶν εἰσηγηθέντων ταῦτα θράσει ἐπαιρόμενοι, πράσσεσθαί τε εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦντες, οὐδὲ τοῦ ἀνθρωπείου τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτῆς ὁρμῆς ἀφαιροῦνται, δοκῆσαν τῷ θεῷ κρᾶσιν γενέσθαι, καὶ τῷ ἐκείνης βουλευτηρίῳ, καὶ τῶν ἀνθρώπων, τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν, μετ'

μετ' ἀρετῆς ἢ κακίας. Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς, οἷς ἀρετῆς, ἢ κακίας ἐπιτήδευσι ἐν τῷ βίῳ γέγονε, καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥαστώνην τοῦ ἀναβιοῦν. *Phariſæorum victus ſimplex, nihil deliciis indulgentes, quæ ratio dictat, ea ſequuntur voluntate, exiſtimantes, id, quod quis ante defendere voluit, eſſe retinendum. Honorem majoribus deferunt, nec audent eis reſponſare monentibus. Fato, quæcunque geruntur, tribuunt, nec tamen homini voluntatis aſſenſum adimunt, hoc temperamento Deum uti dicentes, ut cùm omnia fiant ex ipſius conſilio, in homine tamen ſit voluntas accedendi ad virtutẽ, aut vitium. Animas credunt eſſe immortales, & ſub terra earum judicia fieri, tum præmia quoque contingere ex Virtutis aut malitiæ merito: & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem ad vitam eſſe reditum.* Sed de hoc Phariſaicarum & Papiſticarum hypotheſium parellelismo, actum à nobis eſt alibi. Videatur *Theſ. Philol.* pag 28.

[c] Sed & *progreſſus* & conſervationis reſpectu, opus hoc *divinum* fuiſſe, vix

negare videntur Ecclesiæ Romanæ amici. Insigne testimonium extat apud *Paulum Scarpium*, Venetum, Authorem *Hist. Concil. Trident.* pag.65. ubi refert Scriptor; *Helvetios intestinis bellis inter se commissos, post Zuinglij obitum, utrisque interim de religionis suæ studio nihil remittentibus, ad pacis & concordiæ consilia rediisse. Persuasum autem erat*, scribit author, *Catholicis quinque Pagorum, extincto eo, qui statum religionis concionibus suis mutâsset, facile omnia ad pristinam faciem reditura. Mortem enim ejus & Oecolampadij, Basileensis Ministri, Zuinglij conjunctissimi, adscribebant providentiæ divinæ, quæ nationem Helveticam commiserata, dissensionum authores subitis pœnis multâsset; sed experientia eorum, quæ sequentibus annis acciderunt, facile evicit, Pagos, qui dicuntur Evangelici, post mortem horum virorum multò majores, quàm antea in doctrina ab ipsis accepta, fecisse progressus, illustri argumento, tam copiosam messem*, ab altiori causa, quàm Zuinglij coloni opera provenisse. Addi possent, quæ in *Method. leg. Hist.*

Hist. Helvet. pag. 591. proposuimus. Piè *Calvinus*, Epist. ad Ambros. Blaurer. 1552. *Dominus scilicet hominum ope vult nos destitui; ut suo unius præsidio nos tueatur.*

[d] Non malè veteres Hebræi, nomine *Spiritus Sancti* nonnunquam intellexerunt singularia ejus charismata, quibus instruxisse dicitur eos, quos ad singulare aliquod excitatos voluit κατόρθωμα, sive ad reformandam religionem; sive liberandam ab hostibus Rempublicam. *Majm. More Hannev.* P. II. c. 45. *Primus gradus Prophetiæ*, inquit, *est, cùm quis auxilio divino ita instructus est & præditus, ut eo moveatur & animetur, ad magnum & heroicum aliquod facinus perpetrandum (ut, verbi gratia, ad Ecclesiam totam, vel insignem aliquem hominem, à vi & tyrannide improborum liberandum; vel ad multis hominibus benefaciendum) illúmque motum in se sentit, & animadvertit. Hoc donum vocatur Spiritus Domini; & de homine, virtute illa prædito dicitur, quòd* in illum irruerit Spiritus Domini: *vel,* induerit eum Spiritus Domini; *aut,* fuerit cum ipso Dominus, *& similia. Et hic est gradus* judicum *Israëlis omnium,*

de quibus in genere dicitur; cùm autem suscitâsset Dominus eis judices, erat Dominus cum judice, & servabat eos. *Et hic gradus etiam præstantissimorum consiliariorum Israëlis omnium &c.* Ita Rabbinus ille Ægyptius, de excellentioribus Ministrorum Synagogæ donis; nos eundem Spiritum Sanctum, veritatis Doctorem, singulariáque ejus dona, tum in alijs suspicimus N.T. Ministris, tum verò etiam in ipsis Reformatoribus, quorum conatus non humanos fuisse, sed divinos, & verè miraculosos, tum aliunde, tùm ex hoc patet, quòd, 1. cùm viri essent pij, eruditi, magnanimi, nullo tamen externo vel armorum, vel pompæ strepitu fuerunt muniti. Non *ore gladij*, ut Muhammed; sed *gladio oris* tantùm; more Apostolico, totum penè subegerunt orbem. Imò, ne humanæ quicquam tribueretur industriæ, observavimus, sanguine potiùs, quàm victorijs Evangelij crevisse doctrinam. Et quoties contigit, ut cùm nutanti Arcæ admoverent Majores nostri manus, cum Uza experiri debuerint, Deum in regni sui conservatione operâ nostrâ non indigere, 2. Sam. c. 6. v. 6. 7. adeóque in Nominis sui manifestandâ gloriâ nec parem ferre, nec superiorem. 2. *Ex effectis.* Vix proponi, vel scribi dignè satis potest velocis-

velociſsimus Evangelii curſus, quo non *Senatores* tantùm pauci, ſive Hieroſolymitani, ſive Romani; vel *Aulici* Herodiani, imperiales; unus & alter *Philoſophus*, Dionyſius Areopagita: Nicodemus, & Joſephus Judaicæ tum Synagogæ, Eccleſiæ, & Reipublicæ, columnæ, Chriſto nomen dederunt. Reges, Principes, Reſpublicæ, Archiepiſcopi, Theologi, Juriſconſulti, Medici, Philoſophi, catervatim in Reformationem tam diu deſideratam conſenſerunt, eandémque receptam ubique ferè locorum introduxerunt: ſanctum ferè inter eos, qui varijs correpti morbis ſalutarem ingredi properârunt Bethesdam, erat certamen: Id quod profectò tantò, miraculo ſingulari, & penè inuſitato eſt propius, quantò vel unius hominis ſeria converſio rariùs contingit.

II. *Minus principalis* vel *impulſiva* eſt, vel *inſtrumentalis*. *Illa*, vel *interna*, erat conſcientiæ dictamen, quod permittere noluit, ut periculoſiſſimi jam univerſum orbem Chriſtianum infeſtantes morbi, diutiùs graſſarentur, aut latiùs ſerperent; vel *externa*, tum *generalis*, miſera & cadaveroſa Eccleſiæ facies: tum *ſpecialis*, turpis & quæſtuoſa

 nun-

nundinatio indulgentiaria[a] sub Leone X. per Thecelium in Germania, Samsonium in Helvetia instituta.

[a] Turpem hanc Indulgentiarię nundinationis simoniam (de generali enim causa impulsiva præcedens agit Tomus) occasionem præbuisse, fatetur *Polyd. Vergil. Cùm eas utilitatis studio prædicarent: Martinus Lutherus Augustinianus id improbavit. Procuratores ea re valdè commoti, Romã, deferunt nomẽ Lutheri. Is ut Deorũ contemptor accusatur, citatur, causa agitur, sed quia ad diem non adfuit Romæ præsens, ut responderet, paulò post declaratur hæreticus. Verùm, quoniam ejusmodi indulgentiarum quæstus jam in odia hominum cum procuratoribus incurrerant, permulti magni viri, & in his Fridericus Saxoniæ Dux præsto fuit, qui Lutherum consilio, authoritate, armis denique tegeret, ne ulla eum vis attingere valeret. Lutherus igitur tali præsidio munitus, & licentia loquendi parta, majora ausus, de omnibus religionis mysteriis scribere, suaque scripta foras dare cœpit, Ita brevi tempore mirabiliter coaluit secta, quæ Evangelica dicta est, eò quòd nullam recipien-*

recipiendã eſſe legem aſſeveret, quæ ad animarum ſalutem pertineat, niſi quam Chriſtus aut Apoſtoli dedient. L.8.c.4.de *Invent.* Surius rem ita narrat: *Leo Pontifex Romæ largiſſimas promulgat condonationes ſive indulgentias, eiq; negotio in Germania præficit Moguntinum Archiepiſcopum, Albertum Principem celeberrimum. Is ad prædicandas eas Indulgentias delegit Johannem Tezelium, Dominicanum. Ea res peſſimè habuit quoſdam ordinis Auguſtiniani, inprimis Johannem Staupizium, ejus ordinis generalem per Germaniam, Vicarium virum nobilem, facundum, & Friderico Principi charum: itémque Martinum Lutherum, lectorem ordinarium Vitebergæ. Et quia interdum non parvi abuſus ejusmodi Indulgentijs evulgandis ſeſe immiſcuerant, inde ſumpta occaſione Lutherus primum in Indulgentiarum immodicos quoſdam & ſordidos, ſuo duntaxat quæſtui ſervientes, buccinatores, acriter invectus eſt, datis ad Moguntinum Antiſtiten literis, in quibus longè aliter ſcripſit de ſalutis certitudine, quàm paulò poſt in ſua Captivi-*

Captivitate Babylonica & Scriptis aliis. Simul etiam 95. Propositiones edidit, quibus Indulgentias oppugnavit. Contra verò Tezelius in 106. Propositiones evulgavit, Lutheranis planè contrarias. Ex hac lite ortum est illud immane, & horrendum incendium Lutheranum, quo tota penè Europa postmodum conflagravit. In ipsis hujus tragœdiæ initiis visus est Lutherus etiam plerisque viris gravibus & eruditis non pessimo Zelo moveri, planéque nihil spectare aliud, quàm Ecclesiæ Reformationem, cujus quidam deformes abusus non parum malè habebant bonos omnes, &c. De mercaturæ hujus impudentissimo institore illud addere placet ex Archivo nostro, quod *Johannes Faber*, Vicar. Constantiens. 1519. d. 7. Jun. Scripsit. *Quod ad N. Indulgentiarum cælipotentem attinet, meus mihi genius præsagiit hunc eventum: neque enim tam frigidus circum præcordia sanguis obstitit, ut tam portentosas venias à sede Apostolica unquam profecta, crederem. Quid aliud ejusmodi veniarum licitatores effrontes*

frontes agunt, quàm ut Eccleſia paſſim vel à Chriſtianis irrideatur? Ita ipſi Pontificij.

III. Ubi & hoc notandum, vix unquam liberaliùs, & brevi tempore, frequentiùs hanc proſtitutam fuiſſe mercem, quàm hoc ipſo Seculo.

Ter enim *in Germania, tricennij ſpatio, vel continuo, vel interrupto, monopolium hoc eſſe inſtitutum, obſervamus. Et* primo *quidem* 1514. Albertus Epiſcopus Magdeburgenſis, conſenſu Pontificis eligitur Archiepiſcopus Moguntinus & Elector, hac de cauſa, quòd quadriennij ſpacio bini Archiepiſcopi defuncti eſſent, quorum ſinguli pallium triginta millibus aureorum redemerant. Cùm igitur Epiſcopatus aliâs ære alieno obrutus eſſet, & pecuniam pallij exponere non poſſet, Albertus ſuis ſumptibus hoc effecit, ſumptâ pecuniâ mutuâ à Fuggeris, quam Indulgentijs recuperare cogitabat, atque ita poſt occaſionem præbuit Luthero de Indulgentijs diſputandi Chytræus. Anno *deinde* ſequenti 1516. Tezelius jam ſuas extruſit merces, juxta exemplar, ipſius Inſtitoris manu ſubſcriptum, quod ita habet: *Devotis & in Chriſto Jeſu ſibi dilectis Petro Currificis, & Annæ uxoris ejus: Nos*

Bartho-

Bartholomæus Ordinis Prædicatorum immeritus Prior, salutem & divinæ gratiæ incrementum salutare. Quia piæ vestræ devotionis affectus, quem præcipuè ad nostrum geritis ordinem, condigna exigentia requirit beneficia nostro collata ordini à piissima clementia Salvatoris vobis gratiosiùs impartiri. Quapropter vobis omnium Missarum, Orationum, prædicationum, vigiliarum, abstinentiarum, jejuniorum, laborum, cæterorúmque bonorum operum, quæ per Fratres nostri conventus Dominus noster Jesus Christus fieri dederit, participationem concedo tenore præsentium in omnibus specialem, in vita pariter & in morte, ut multiplice suffragiorum præsidio, & hic augmentum gratiæ, & in futuro mereamini æternæ vitæ præmium, feliciter possidere. Volo insuper & ordino, ut animæ vestræ, post decessum vestrum, fratrum nostrorum recommendetur Orationibus, si obitus vestri nobis fuerint nunciati. In quorum omnium fidem & testimonium sigillum mei Prioratus officij præsentibus duxi imprimendum. Datum Feria tertia post Lamper-

Lamperti, a.D.1516. *Joh. Tezel.* &c. Eodem anno d.27.Auguſti Maximilianus Imperator Johanni Arcimboldo, Nuncio Apoſtolico, facultatem dedit Indulgentias in Miſnia ſuas vulgandi, pecunias inde collectas, absque ullo impedimento retinendi &c. Magnæ *denique*, & ſede Romanæ fatales nundinæ Indulgentiariæ in ciduntin a. Chr. 1517. ubi D. Martinus Lutherus, cùm Leo Papa, miſsis per omnia regna literis, Indulgentias, ſive omnium delictorum expiationem polliceretur, interventu pecuniæ, & præcones Indulgentiarum impiè agerent, adeò ut unicuique abſolutionem à ſcelere quovis, & redemtionem animæ, qui decem ſolidos ſolveret, promitterent. Themata 95. de Indulgentijs, ultima Octobris anni 1517. templo arcis affigit, de ijs diſputaturus, cui Tecelius præco, alias Theſes 106. à Wimpino Francofurtenſi ad Oderam factas, opponit, & contra Lutherum Francofurthi, præſentibus trecentis Monachis, diſputat. Lutherus verò ad Albertum Moguntinum ſcribit, petitque, ut impudentia præconum coerceatur, atque hoc modo initium repurgatæ doctrinæ cœleſtis factum. Ita compendiosè Seth. Calvis. an. Chr. 1517. Hæc verò nundinatio quàm ſit ferax errorum,

rum, quámque justam præbuerit reformandi causam, alibi excussimus, sequenti plura V. capite, §. 9. indicaturi.

IV. Causa *Instrumentalis* consideratur vel ratione *initij*, sigillatim; *vel continuationis*, conjunctim. *Illo* respectu trium, præ alijs, in Orbe Christiano magnum est nomen, in Helvetia [a] Zvvinglij, Germania [b] Lutheri, Sabaudia & vicina Gallia [c] *Calvini*, quorũ potissimùm operâ Deus ad negotium Reformationis fuit usus, quibus etiam *Reformatorum* nomen κατ' ἐξοχὴν tribui potest. De singulis, quædam monebimus, *tum* absolutè, *tum etiam* comparatè, *sed* ἄνευ φθόνου καὶ πάθους.

A. Vita Zuinglij.

[a] Nolumus, quę de Reformatoribus possent, deberent etiam, omnia prolixè referre; singula ferè ætatum spatia, suas habent sedes, quibus commodè disponi illa poterunt: De uno quoq; verò tantũ recitabimus, quantum expedire nobis videbitur, & *Zuinglij* quidem præmittemus tum *vitam*, tum *Reformationis* succinctam Historiam, tum denique *observationes* nonnullas eruditorum de eodem attexemus, quæ Historiæ

tiæ Reformationis non contemnendam accendunt facem. A. *Proſopographia* ejus contracta ita habet: Natus eſt *Huldricus Zuinglius* an. Chr. 1484. ipſis Calend. Januarij in *Domo Sylveſtri*, qui Comitatus Doggici pagus eſt, altiſsimis propemodum montibus adæquatus. Pater, ex honorata & antiqua familia, loci fuit Ammanus; *Bartholomaus*, Patruus Decanus in vicina Weſena, vir eruditus & probus. Initia hic fecit informationis cum nepotulo ſuo, quem ad decimum ætatis annum domi altum & inſtitutum, poſtea Baſileam ad D. *Binzlium* ablegavit, virum didacticum, celebrèmque juventutis formatorem: cujus ductu prima eruditionis elementa ita imbibit, ut aliorum invidiam ægrè declinaret. Muſicæ amantiſsimus fuit. Et quia *Henricus Lupulus*, maximi tum in Helvetia, propter eruditionem, fuit nominis, cuique hoc gratâ memoriâ ferunt acceptum, quòd politioris literaturæ Ludum primus in Helvetia aperuerit; Bernam Zuinglius conceſsit, bonas literas, Lupulo Præceptore, Poëſin cumprimis, exculturus. Muſicę ſtudio Dominicanorũ gratiam ita ſtatim fuit aucupatus, ut de eo, in Ordinis ornamentum auctorando cogitârint. Sed cùm pater ſimul

A. Proſopographia Zuinglij.

& Patruus, ea de re monerentur, alio inito consilio, Huldricum Viennam abire jussêrunt. Philosophicis ibi studijs operam aliquandiu eo cum successu dedit, ut eminere inter æquales brevi cæperit. Inde Basileam mox regressus, Scholæ triviali ad S. Martinum suam addixit operam; sic tamen ut & studia continuaret, Musices utriusque felicissimus cultor, & ad Magisterij gradum admitteretur. Sumam in Philosophia consecutus lauream, animum ad studia Theologica appulit, Doctore *Thoma VVittenbachio, Biellensi*, qui Tubinga relicta, Basileam abijt; feliciter viam monstrante. Unde Wittenbachium *Zuinglius* plurimi semper fecit, veluti virum magnum, & qui suo jam tempore indulgentias masculè impugnâsset. Extant adhuc in Archivo nostro literæ Zuinglij ad Wittenbachium; quem *Præceptorem* suum appellat; Biennam an. Chr. 1523. scriptæ ubi initio statim; *Quod quereris, frustra te ætatem tam tuam, quàm nostram in Sophismatum nugis deiriviſſe, non injuria facis: Quanquam nihil est, quòd nostra causa turberis. Dedimus hoc jam olim temporum injuriæ; verùm, pænitendo nihil efficimus, quàm quod alijs exem-*

exemplo sumus, qui paulò sunt ingenio magis ingenuo, ne illi diutiùs, quàm par sit inhæreant, à quibus nos esse avulsos, ut vehementer gaudemus, ita non parùm dolet, serò nimis avulsos. Ab Academicis studijs *Zuinglius*, ad Cathedram translatus, primam an. Chr. 1506. Concionem habuit *Rupertivillæ* ad lacum Tigurinum; tum demum in patria, feria Michaelis, primam legit Missam, *Glaronæ* publici auspicia dedit muneris, eò ad Plebanatum, legitimè vocatus: in qua functione amplissimus studia privatim exercendi, patuit campus. Latinis Græca diligenter, & sororio nexu junxit. Et ex Latinis quidem authoribus, præ alijs, propter exempla, placuit Valerius Maximus, quem totum edidicit; in Græcis Lucianus. Primaria tamen ejus studia erant Sacra: Scripturæ enim Sacræ lectioni sedulò incubuit. Ex recentioribus commendavit *Picum Mirandulanum*, ejus præsertim resolutiones, in propositiones Romæ disputandas, adeò ut ex eo tempore quorundam sibi Sacerdotum conflaret invidiam. Sed audentior contrà iturus Zuinglius, disputando, concionando, officium strenuè fecit, abusus & superstitiones, ma-

gna cum libertate reprehendit. Ut familiarem sibi redderet Pauli textum Græcum, Epistolas illius omnes & descripsit, & varijs ex Patribus Origene, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, notis illustravit; quas & memoriæ fideliter impressit. Extat adhuc exemplar αὐτόγραφον in Bibliotheca nostra civica. Paulò post (nam de gemino ejus itinere in Italiam, cum reliquo Helvetiorum exercitu, postea dicemus) *in Eremum Helvetiorum* vocatus paruit, ut in loco celebriori talentum majori cum fænore elocare posset: ubi tamen non diu substitit; sed vacante Plebanatu Tigurino, amicorum studio, provinciam tantò facilius impetravit, quantò ejus eruditio & nomen Collegio erat notius. Quæ Tiguri ejus fuerit sparta, quibus paulatim gradibus animos Auditorum ad Evangelij puriorem doctrinam recipiendam præparaverit, in sequentibus, ubi de vocatione Reformatorum agetur, monebimus: quo etiam certamina contra Bernhardinum Sampsonium, Indulgentiarum institorem impudentissimum, rejicimus. Inter curam autem Pastoralem, & Plebanatûs occupationes; quæ in Ecclesia Cathedrali frequentissima & populosissima; ordinarias, studia sua privata religiosè continuavit, lectio-

lectionem cumprimis Patrum, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi. Meminit Bullingerus in Historia Reformationis, se an. Chr. 1524. magnum vidisse volumen Locorum comunium, à *Zuinglio*, de dogmatibus fidei, ex antiquitate maximè conscriptorum: In Latinis pergebat, Horatio potissimùm Salustio, Seneca, quem ***animarum agricolam*** appellare solebat, delectatus. In Græcis Aristotelem legit, Platonem, Thucydidem. In Hebraicis, eousq;, brevi tempore, ductu *Andreæ Boesenstein*, pervenit, ut & Psalterium verteret, & in comentarijs suis Emphasin Hebraismi solicitè urgeret. In reliquas etiam Linguas Orientales affectum testatur *Psalterium Nebiense*, quod adhuc dum, ejus olim destinatum studijs, in Bibliotheca asservatur Carolina. Concionum suarum ab anno 1519. ad 1523. argumenta enarrat ipse in suo Archetele. Ex eo tempore gravissima secuta fuerunt certamina. Reformatio dogmatum suscepta, defendenda & vindicanda erat publicis disputationibus, exquisitis scriptis, quorum ab anno 1523. ad 1531. plura prodierunt, quàm ab homine occupatissimo expectari poterant. Præter Conciones enim ordinarias, Lectiones Theologicas, quas (exceptis diebus Veneris, & festis)

quotidianas habuit, regiminis Ecclesiastici curam, visitationes frequentes; commercium literarium, Scholarum institutiones, bella Papistica, Anabaptistica &c. Consilia Regum, Principum, Rerumpublicarum nomine vel petita, vel edita, salutem Reipublicæ Christianæ, cui studuit, universam; sua manu aliquot publicarum lucubrationum dedit Tomos, distinctos licet, & ipsa occasione variè invitante, modò Germanicè, modò Latinè, magna tamen animi præsentia scriptos. Hoc stadium decurrit Zuinglius ad annum usque a. Ch. 1531. d. 11. Octobris, quo doctrinam Evangelicam sanguine suo obsignavit, dignissimus, cujus aliquando vita & res gestæ pleniùs & accuratiùs ad posteritatis usum enarrentur. Operum Catalogum dedimus in *Bibliotheca nostra Tigurina*; anniorum seriem observavit in ijs enarrandis, successor ejus, *Bullingerus*, Hist. Ref. Msc. quem etiam in descriptione vitæ, sumus, magna partem, secuti. Plura peti possunt ex *Myconio, Gualthero, Hospiniano*, Hist. Sacram. P.II. alijs, qui ei vel parentârunt, vel vindicias parârunt. Sed & nos in *Hierologio* nostro pridem aliquid de eo collegimus.

B. Reformatione.

B. *Reformatio* Zuinglij, in Helvetia primùm; cæteris postea locis per Germaniam,

niam, Galliam, Angliam, Poloniam, Hungariam, Tranſſylvaniam, Belgium, Scotiam &c. ὡς ἐν τύπῳ ita habet. Eſt Tigurina Eccleſia, una, procul dubio, ex antiquiſſimis in Germania. Antiquitatis prærogativa illi tantam conciliavit authoritatem, ut in Epiſcopatu Conſtantienſi vaſtiſsimo, poſt Conſtantiam, ſedem Epiſcopalem, primum occuparet locum. Sed & ſimplicitatis eadem fuit ſtudioſiſsima, uſque adeò, ut nec novos facilè admitteret Ordines, nec admiſſos pro arbitrio agere permitteret. Civium integritas & fides eò uſque ſuperioribus ſemper fuit probata, ut magnis paulatim Imperatorum & Regum frui cæperit privilegijs; quibus aucta Pontificum in Imperatores tyrannide, reſiſtere, quàm perfidia Pontificis gratiam redimere aliquoties maluit. Hinc non modò à multis ſeculis cleri im̃unitas à Tigurini impugnata; ſed & *Arnoldi Brixienſis* ſeculo XII. παῤῥησία, & in concionando dexteritas, quam & Tiguri publicè oſtendit, grata rataque fuit habita, ita ut longè pòſt ſanioris doctrinæ nobiſcum reliquerit ſemina: Quod & *Guntherus Poëta* expreſsit, verſiculo: *Servat adhuc uvæ guſtum gens iſta paterna.* De quibus conſuli poteſt *Bibliotheca Tigur.* p.66. & *Analect.*

p. 73. fædus Helveticum, quòd succesſit, magnam quidem Fœderatis dedit libertatem, multis tamen, ne Clericis quidem, licentiam vel impunè peccandi, vel alio foro utendi. Unde tritum illud an. Chr. 1370. datum instrumentum, quod vulgo appellatur der Pfaffen Brieff; cui non absimilis erat altera an. Chr. 1493. ab antiquioribus nostræ Helvetiæ Cantonibus, inter Episcopum Constantiensem, & Abbates, Præpositos &c. quosdam Helvetiæ, compositio amica, cujus sumam exhibet Bibliotheca nostra Tigurina, p. 67. Sanctio illa, est verè Pragmatica. Atque sic factum, ut in hoc capite, quod in Theologia Pontificia non est postremum, Ecclesia Romana, Helvetios, Tigurinos cumprimis, à longo tempore habuerit contradicentes. Cùmque & mores Cleri in dies vitiarentur, & barbaries ad pudorem, nostras etiam Ecclesias occuparet, Scholastica studia nauseam multis parerent, pertæsi plerique tot novitatum, rituum, superstitionum, quibus populus Christianus, religiosiùs ferè, quàm olim in Synagoga judaica, urgebatur status & ordines omnes, veluti ἀποκαραδοκοῦντες ad meliorem sortem adspirare & anhelare videbantur. Erat autem, jam inde ab anno Christi 1510. tum ob inge-

ingenium, & eruditionem, tum ob pruden-
tiam Eccleſiaſticam & fortitudinem animi,
non in Helvetia modò; ſed & alibi celebris
Zuinglius noſter, quem ceu *Præceptorem*
comunem plerique, doctiſsimi etiam vene-
rabantur. Huic alii publicè gratulabantur
occaſionem, dona eximia cum fructu Eccle-
ſiæ impendendi; alij eum, ut, quo cæpiſſet,
feliciſsimè pergeret, pede, excitabant: alij
ut ſpei conceptæ ſatisfaceret, urgebant. Diu
ergo judicioſiſsimus Theologus de eo mul-
túmque deliberavit, quod ſtatuere voluit ſe-
mel. Ad munus publicum *Glaronæ* primùm,
poſtea in *Eremo* admotus, non receptis mo-
dò erroribus fucum & ſplendorem non quę-
ſivit; ſed & ſolida, planáq; in docendo, à ve-
teribus trita, inceſsit via. Ad fontes & viren-
tia prata gregem ſuum deduxit; modera-
tè tamen, & cum conſilio Superiorum, per
aliquot annos, donec tandem an. Chr. 1519.
Leo X. inſtitorem etiam ſuum, Samſonium
Mediolanenſem, cum Indulgentijs in Hel-
vetiam miſiſſet, qua occaſione conatus Zuin-
glij, diu jam antea deſiderati, magnum
ex abſurditate impiæ mercaturæ, incremen-
tum acceperunt. Jam enim lethale illud
ſcelerum ulcus, quod in maturitatem eru-
perat, premi comodiſsimè poterat, ea Me-

 thodo

thodo & ordine, quem suo loco indicabimus. Hæc ratio, & occasio Reformationis. Ipsam compendiosè seriem universæ Reformationis Tigurinæ habet *Hospin.* Histor. Sacram. Par.II. in præfat. & nos, tum in *Anal.* P.II. tum etiam in Schol. Carolin. Orig. Orat.II.

c. observationes.

C. Pergimus ad *observationes* nonnullas, quæ tamen non tam sunt nostræ, quàm aliorum, à nobis tantùm collectæ, & Methodicè, ut speramus, dispositæ. Observatum igitur est, de Zuinglio, I. *Iure eum ratione ordinis in Reformatorum Catalogo præmitti*, tum quòd reformationis curam primus, & pridem, & alijs ferè de causis (unâ exceptâ προσκαιρικῇ comuni, mercatura Indulgentiaria) ille susceperit, tum quòd majori conatu, accuratiori Methodo, prudentiâ, constantiâ & fortitudine animi negotium sit aggressus, tum denique, quòd, magnorum virorum judicio, absolutius & perfectius ipsum dederit opus. *Prima, pro Reformatione depravati status Ecclesiastici, agitâsse illum consilia*, ne expectato quidem impudentissimo Institore Mediolanensi, neque comunicatis cum exteris quibuscunque consilijs, vadum hîc tentatum, non obscuris tam privatis, quàm publicis, ipsorum etiam Adversariorum, probari potest

geſt documentis. Et primò quidem ipſe Magiſtratus Tigurinus cùm an. Chr. 1524. d. 21. Martij modeſtum ad confœderatos ſuos, XI. Cantones edidiſſet Apologeticum, diſertè teſtatus eſt, Miniſtros ſuos jam per quadriennium, aut quinquennium docuiſſe Evangelium, verbum Dei. *Et paulò poſt: Illis temporibus,* inquiunt, *antequam de Lutheri doctrina quicquam vel ſciviſſemus, vel audiviſſemus, publico edicto in urbe & agro omnibus Plebanis, Curatis & Miniſtris injunximus, ut communiter & liberè (id quod jus etiam Pontificium concedit) Sancta Evangelia, & Apoſtolicas Epiſtolas conformiter, juxta mentem Sp.S. & ſenſum ipſius Scripturæ Sacræ Veteris & Novi Teſtamenti annunciarent. Et illud tantùm, quod authoritate Scripturæ defendi poſſet, prædicarent, cætera verò novitatis nomine ſuſpecta omitterent.* Prolixiùs ipſe *Zuinglius* modeſta, ſibi πρωτεῖα illa deberi, condocefacit demonſtratione. Ita enim Oper. Tom. I. pag. 37. *Quandoquidem ſupra in fortiſſimi & dexterrimi Miniſtri Dei, Lutheri, mentionem incidimus, ſervari de ipſo quædam jam dicenda.*

cenda. Cœperunt Magnates & Potentes hujus mundi haud ita pridem doctrinam Christi sub Lutheri nomine persequi, imò non persequi solùm; sed etiam orbi quoque exosam reddere, adeò ut omnem doctrinam de Christo à quocunque tandem prædicetur, Lutheranam vocent. Etiamsi quis Lutheri dogmata nunquam legisset, prædicaret autem verbum Dei purum & sinceriter, eum magni convitij loco Lutheranum vocitare audent. Hoc idem mihi quoque contingit. Cœpi ego Evangelium prædicare anno salutis decimo sexto (NB.) supra millesimum & quingentesimum, eo scilicet tempore, cùm Lutheri nomen in nostris regionibus ne auditum quidem adhuc erat. Sic autem prædicavi, cùm Missa adhuc in usu esset Pontificijs, Evangelium quod in Missa legebatur populo proposui explicandum; inquam, non hominum commentis, sed sola Scripturarum Biblicarum collatione. Tametsi tunc temporis vehementer priscis Doctoribus, ut qui essent puriores & clariores, addictus essem, quantumvis me & illorum non nihil pigeret. Testem hujus

rei

rei habere poſſum generoſum illum & verè Nobilem Theobaldum de Geroldſeck adminiſtratorem Templi Eremitici. Cui tum conſilium tale dedi (erat enim legendi avidus) ut ſumma diligentia Hieronymum legeret, ſimul addens, fore, idque Deo ſtatim ſic fortunante, ut neque Hieronymus, neque cæteri, ſed ſola Scriptura Divina apud Chriſtianos in pretio ſit futura. Præſentiſcere enim & ſubodorari tum incipiebam, non ſolum Hieronymum, ſed & cæteros omnes; tametſi magis quàm Sophiſtæ dextrè Scripturas tractabant, tamen nonnunquam vim Scripturis facere. Adhortabar ergo Dominum & Patronum meum, à quo 18. anno eram Tigurum diſceſſurus, ut me abſente Hieronymi lectioni aſſueſceret, partim ne totus à Scriptura deflecteret, partim (ut erat politioris Literaturæ ſtudioſus) dictione Hieronymiana oblectatus in officio retineretur. Anno 19. cùm Tigurum conceſſiſſem, & ibidem prædicare cœpiſſem, indicabam Venerabilibus, Domino Præpoſito, cæteriſque Collegij illius Capitularibus, me poſthac prædicaturum eſſe Evangelium

Matthæi,

Matthæi, idque absque humanis Commentationibus ex solis fontibus Scripturæ Sacræ. Initio ejus anni nemo apud nos de Luthero quidquam audierat, præterquam, quòd de Indulgentijs quiddam prodierat, quod me parum erudire poterat, quum jam antè satis scirem, Indulgentiarum negotium nihil esse, quàm fucum & dolum. Didiceram hoc ex disputatione quadam, quam Doctissimus Vir, Doctor Thomas Vuittenbach Bielensis, Patronus & Præceptor meus ante annos aliquot, Basileæ in consessu publico, in Schola ac palæstrâ Theologicâ, licèt me absente habuerat. Me tunc in Matthæi prædicatione, Lutheri Scriptis parum esse adjutum, quis non videt? Ad cujus tamen prædicationem turmatim accurrebant, quotquot veritatis erant cupidi, adeò ut ipse mirarer.

Adpello jam vos, ô hostes doctrinæ Christi, quis me tum Lutheranum convitiabatur? Quum jam prodiret libellus Lutheri in Dominicam Orationem, & ego non ita pridem hanc precem in Matthæo explicássem, memini adhuc fuisse quosdam ex pijs,

qui

qui me hujus libelli authorem inſimularent, contenderéntque me Lutheri nomen præfixiſſe, ut authoris nomen diſsimularem. Quis me tùm Lutheranum eſſe accuſare potuit? Porrò Cardinales, Romani, qui tum Legatos apud Tigurinos agebant, quique me Italico auro procorum in morem corrumpere, (utcunque odiſſent) tentabant; cur, inquam, hi Lutheranum me non vocabant, donec Lutherum hæreticum pronuntiâſſent, quem tamen Hæreticum nec probare, nec facere potuerunt? Bullingerus Hiſt. Reformat. Mſc. pag. 136. Zuinglium ſesqui anno Luthero fuiſſe priorem obſervat. Extat etiam Epiſtola an. Chr. 1536. à *VVolfg. Capitone* ad Bullingerum ſcripta, qua, quanti feciſſet Zuinglium, & faceret adhuc, quòd ipſi conjunctis viribus ante Lutherum contra Papam egiſſent, exponit. *Ne locum demus* (ita verba ejus ex autographo habent) *Satanæ, ſemper diſsidia admolienti inter fratres. Puto non admiſſuros nos, ut unquam dividamur. Nam antequam Lutherus in lucem emerſerat, Zuinglius & ego inter nos communicavimus de Pontifice dejiciendo, etiam dum ille vitam degeret in*

Eremi-

Eremitorio. Nam utrique ex Erasmi consuetudine, & lectione bonorum authorum qualecunque judicium tum subolescebat. Ea amicitia sine interruptione usque in hunc diem stetit. Ita & Moses Amyraldus: *Ideo magis commemorabile est, quod Zuinglius & Calvinus, qui fuerunt in Reformatione principes, consilia inter se non communicârunt*: Zuinglius enim viam ad reformationem in Helvetia affectaverat anno integro, antequam Lutherus in Germania appareret *De Secess. ab Eccles. Rom.* pag. 44. Quid, quòd, primarij Scriptores Pontificij altius assurgunt? Cardinalis certè *Palavicinus*, Hist. Concil. Trident. l. 1. c. 19. circa finem monet: *Parùm fideliter hoc loco agere Suavem, dum ab adventu Frat. Sampsonis, ac proinde à Romana libidine pecunias emungendi, novam Zuinglij haresin deducit. Viguisse jam, antequam F. Sampson accessisset; neque initium fecisse occasione Indulgentiarum Zuinglium; sed longè graviorum & difficilimorum articuolrum. Lutheri verò hinc natam reformationem.* Nempe, multis ante Reformationem seculis, Arnoldus Brixiensis, Papatus oppugnator, suos non minus,

minus Tiguri habuit diſcipulos, quàm Waldus in Gallia, Huſſus in Bohemia, Wiclefus in Anglia. Rem paulò prolixius expoſuimus in *Biblioth. Tigurina* pag.67. ut oppidò ſit ridiculus *Bzovius*, qui a. Chr. 1519. Sect. 36. frivolè ſcripſit. *Atrociùs*, inquit, *nonnulli ex Viennenſi Academia Doctores, Joachimus Vadianus, Sangallenſis, Georgius Binder & Schelerus, uterque Tigurinus, Vienna propter peſtem, in Helvetiam patriam reduces, qui novarum rerum libidine, repertos per viam Lutheri libros, & coëmptos paſſim publicabant, ingerebántque, improbantes ipſi pariter, ut eſt proclivis ad deteriora mortalium lapſus, honorem & interceſſionem Deiparæ & Beatorum cælitum, & alia, quæ Lutherus jam tunc inſectabatur: quibus etiam ſe Zuinglius adjungere, conſilia communicare, eodémque modo in Lutheri notitiam & diſcipulorum pervenire: de Luthero tamen adhuc pauca in publico intermiſcere, quia odioſum, ut novum & monſtroſum intelligebat: doctrinam ſolummodò admirari, & puram putam Evangelicam prædicare, ab eodem poſt mille annorum curſum latam tan-*

dem in medium, & pro dignitate promulgatam & adsertam: haud pauca interim de suo interjicere, & literis etiam ad amicos patefacere, eadem ipsa in re Studiosorum, Magistrorúmque operam & suffragia adhibere: quibus modis efficiebat, ut non paucos impotentes, superbos, ambitiosos, curiosos, cupidos utriusque sexus viros & fœminas in sententiam prius adduxerit, quàm pro concione quidquam attigerit, unde suspicio suboriri posset hæreseos aut novitatis. Ubi autem se satis firmum, & auditorum fautorúmque copia adfuit, Calend. Ian. 1519. primam, contra veterem & indubitatam religionem, concionem habuit, sed tum quoque eatenus, ut Ecclesiæ abusus, quibus indulgentias admiscebat, criminaretur, tum in Republica libera Regum & Principum pensiones tanquam inhonestas, sanguinarias, exitiosas: eadémque occasione in Pontifices Romanos eò acerbiùs, quia ipsum, ex quo Glarona pulsus erat, pensione annua & beneficijs Pontifex privaverat, invehebatur: Unde Zuingliana secta, & nominationis prima fundamen-

menta atque exordia exhibere. Ita ſolent adverſarij de alieno corio ludere, & ut ſuis conſulant rebus, quidlibet aliud alijs affingere. Vadianus Viennæ fuit; verum eſt: Quo etiam tempore fidem ei ſuam Viennæ probavit Binderus Tigurinus, vir egregriè doctus, & Ludi noſtri Carolini tum modò reformati Moderator, meritiſsimus. Neque negamus, Vadianum magnum fuiſſe Lutheri æſtimatorem, quem tamen maluiſſet majorem, in lite præſertim Sacramentaria, adhibuiſſe moderationem. Falſiſsimum interim, Zuinglium hoc demum anno, *hac occaſione φροντίδας ζοφωτέρας*, de emendatione Religionis ſuſcepiſſe. Aliud condocefaciunt varia, quæ præmiſimus jam, documenta; aliud evincent ſequentia. Initio anni 1519. publicè Tiguri agere cæpit, ſanámque Auditoribus ſuis proponere doctrinam, quam pridem ante conceperat, nemine extra patriam in conſilium adhibito. Indulgentias non ille tantùm; ſed & alij, ſedis Romanæ conducti paraſiti, criminabantur. Glarona ejectum eſſe, mala fide Bzovius narrat. Ægrè, ſingularique Glaronenſium cum gratia, Glaronâ abierat, eò ex Eremo Helvetiorum reverſurus, niſi Tigurina vocatio aliud ſuaſiſſet. Qua de re ipſe Zuinglius, Epiſtolâ Apo-

 logeticâ

logeticâ ad *Balthasarum Stapferum*, scribam Suitensem. Cùm enim hic referret, esse, qui publicè spargerent, Zuinglium odij, vel vindictæ studio religionem mutâsse, responsum Zuinglius paravit in quo præter cætera: *Cum Dominis Claronensibus ita amicè vixi & pacificè, ut nulla unquam contentio mihì cum illis intercesserit: Eaq́ cum gratia ab illis fui dimissus, ut reditus mihi biennij, etiam post discessum, reliquerint, spe freti, me aliquando reversurum: Neque spes fefellisset, nisi Tigurini me vocâssent. In Eremo Helvetiorum etiamnum acceptus sum non Domino modò, loci, sed & plebi: Quæ omnia satis probant malè mihi odium imputari.* Hæc ex Msc. fragmento ipsius Zuinglij. Pontificem annua pensione Zuinglium privâsse, figmentum est. Ipse Zuinglius, cùm aliquas à Legatis Romanis, ad augendam supellectilem librariam accepisset pecunias, comoda illa sponte resignavit: Id quod ad fratres suos, Zuinglium scripsisse, in Historia Reformat. observat *Bullingerus*. Evidentia utique Zuinglij sunt verba T.II.pag.341. b. de intemerat. Virg. Mar. *Si avaritiæ & perfidiæ me insimulârint Adversarij, & muneribus corruptum falsam do-*

ctrinam

ctrinam ſerere dixerint; nolite credere, ò fratres, nec unquam credetis, etiamſi ſummis obteſtationibus, adeóque jure jurando vobis fidem facere voluerint. Nec enim quisquam eſt Principum, cui aliqua ex parte pro muneribus mihi collatis devinctus ſim, Interim verò non negaverim, me olim à Romano Pontifice munera quædam recepiſſe; ſed jam dudum eadem hæc abolita & ſublata ſunt. Olim enim licitum & fas eſſe putabam Pontificum largitionibus uti, cùm illius religionem, fidémque pro viribus tueri mihi pium & ſanctum eſſe videretur. Poſtquam verò crevit in me (ut Paulino more loquar) peccati agnitio, mox & Pontifici, & muneribus ipſius longum valere renunciavi. Hic autem Pontificiorum officialium patet improbitas, quâ me infamem reddere conantur. Cùm enim ſtudium meum ipſi Pontifici contrarium iniquius ferant, illud mihi nefandi criminis loco objiciunt, quod alijs honori & laudi. Plura longè & majora ſprevit, quàm annuum illud lucellum, quod in capita diſtributum tenuius erat, quàm cujus denegatio vel magnam rei familiari afferre potuiſſet jacturam, vel exci-

tare recusanti odium. Frustra igitur febrilibus ejusmodi somnijs ad conflandam Reformationi invidiam, chartæ concacantur. *Prima hinc Zuinglianæ Sectæ fundamenta extitisse*, adversarij convitium est. Zuinglianam sectam Ecclesiæ reformatæ ignorant: Zuinglium tamen ἀιρέσεως sectæ Paulinæ propugnatorem & imitatorem agnoscimus. Nemo (ita ipse Zuingl. de vera & fals. relig. T.II. pag. 202.b.) *cùm de Eucharistia nos audit differere, sic de nobis judicet, ut quandoquidem Zuinglius dixerit, putet sequendum esse, contrà verò nec abjiciat, quæ ex fontibus arcanorum Dei prolata videt, propterea quod, qui protulit, humilis author est: Nam in utramq partem peccari video.* Noluit ergo suum esse superbum illud Pythagoricum: Αυτὸς ἔφα; sic volo, sic jubeo, &c. Noluit in sua verba jurari. Noluit tamen vel hac demũ occasione videri de reformatione cogitâsse; vel etiam propterea appellari Lutheranus. Molestũ enim valde fuit Zuinglio, vel novum vocari Lutherũ (quod à Fabro impositum illi fuisse nomen, post ea audiemus) vel Lutheranum. *Non igitur fero*, inquit, *ut Papistæ me Lutheranum appellitent: Nam doctrinam Christi non à Luthero sed ex verbo*

verbo Dei didicit. Si Lutherus Chriſtum prædicat, idem facit quod ego. Tametſi per ipſum (gratia Deo) innumerabiles populi, & plures quàm per me ad Chriſtum ducantur, quibus menſuram ſuam vel auget vel minuit Deus: Adhuc tamen nullius nomen portare volo, quàm Chriſti, unici Ducis mei, cujus miles ego ſum: Is & officium, & mercedem dabit, quantum ipſi fuerit viſum. Puto jam omnes intelligere, quare nolim Lutheranus dici, cùm nihilominus Lutherum tanti æſtimem, quanti nemo mortalium: T. I. Explan. Artic. XVIII. p. 38. An. 1522. Mycon. ſuo Lucern. ſuadet, ut probet ſuis, *ſe non eſſe Lutheranũ, ſed Chriſtianum, Chriſti, enim doctrinam ſe ſumma cum fide tradere.* Lutheri ſcripta magni fecit, plebi comendavit, non ut veritatis ſemina prima inde ſpargeret, ſed ut Helvetijs, alibi etiam eſſe, qui meliorem urgerent religionis ſtatum, adeóque conſenſum, oſtenderet. Ita certè Myconius in vita Zuinglij. *Non eſt, Agathi, ut apud te cogites: Zuinglius in Papiſmo de Evangelio? Crede mihi, ante annos 27. propter hoc ipſum, & quòd reſolutiones Joh. Pici Mirandulani ſuper eas quæſtiones, quas Ro-*

ma disputandas, is olim frustra proposuerat, non improbaret, à pinguibus istis clàm exprobratam audivit hæresin. Hinc odium, hinc Linguarum petulantia, hinc clamores, hinc insidiæ filiorum seculi, contra Zuinglium ceperunt initium, & aucta sunt omnia, quoad virtutem auxit ipse. Est & hoc memorabile, quòd, cùm Lutheri scripta jam publicè innotescerent, maluerit alijs ea commendare, quàm ipse legere, ne viderentur agere ex composito. Dum Zuinglius pergit (ejusdem sunt Myconij verba l.c.) *Lutheri nomen fit interim indies celebrius, libri teruntur manibus omnium. Ab his quidem sic abstinebat ipse, ut suos tamen vel pro suggestu ad emendum & legendum fideliter hortaretur. Vide quæso consilium! Volebat, ut populus audiens ac legens, postquam cognosceret ipsum à legendo temperare sibi, videret Spiritus in utroq; puritatem, imò & unitatem ex divinis literis exhaustam, atque veritati libentius tum hæreret ac obediret, quamvis à consueto videretur abhorrere.* Quid? quòd viri gravissimi eo ipsum nomine urgerent, non ut novorum conatuum subsidium quæreret, sed

ut

ut pridem deliberata feliciùs deduceret in actum. Ita Beatus Rhenanus ad Zuingl. αὐτοχείρως, d. 24. Maji. 1519. *Literæ tuæ alioquin mihi gratissimæ, gratiores vel hoc nomine fuerunt, quod* constantiam *animi tui in docendo Christo declarârint. Equidem laudandus es, qui rem optimam ac saluberrimam* prudenter cæperis; *magis laudandus, quod captam* constanter prosequaris, *ne tantillum quidem mutatus ab his, quibus dolet Christianam renasci pietatem, & puram Christi doctrinam populo tradi. Quòd si magnifacit eos vulgus, qui in acie viriliter perstiterunt, annon te virum dicamus, qui in proposito docendæ pietatis,* tam constanter (NB.) perseveras? *Sed accipe pulchrum consilium, quod rei,* quam (NB.) nunc agis, *valde conferet, & adversarijs tuis plurimùm nocebit. Adamus Petrejus Typographus (nôsse te puto hominem) aliquot Lutherij novos libellos Germanicè scriptos, typis suis est impressurus, expositionem videlicet Dominicæ precationis, luculentam & planè Lutherianam. Præterea Germanicam Theologiam ad quam collata*

quamlibet subtilis illa Scoti Theologia, crassa erit & hebets. Et hujus generis alios aliquot libellos: Quos situ pro concione publicè commendâris populo, hoc est, emendos suaseris, crede mihi negotium, quod instituisti (NB.) planè, *& ex animi sententia tibi succedet.* Subodorari facile potuit, hunc etiam, quo Lutheri libros alijs voluit commendatos, candorem, fraudi sibi futurum: periculosam ergo, quæ iminere videbatur, suspicionem detersit, in Archetel. T.I.pag.132.b. *Anno ab hinc quarto (ut rationem prædicationis nostræ Tiguri promulgatæ habeatis) solidum Evangelium secundum Matthæum prædicavi, quo* tempore illorum nomina ne nominari quidem audieram, quorum factionis me insimularis. *Adjunxi Evangelio protinus Apostolorum Acta, ut Tigurina Ecclesia videret, quo pacto, quibusve authoribus Evangelium propagatum esset, ac promulgatum. Successit mox prior Pauli ad Timotheum Epistola, quod mirè videretur conducere gregi optimo, in ea enim veluti Canones quidam morum Christiano dignorum continentur. Hic, cùm de fide quidam scioli non rectè sen-*

ſentirent, ſecundam Epiſtol. ad Timoth. diſtuli, donec eam, quæ Gallo-Græcis ſcripta eſt, enarrâſſem, tum illam quoque adjunxi. Cumque jam dicti ſcioli, eò inſaniæ ac impietatis proceſſiſſent, ut Pauli nomen tantum non infame redderent, jactantes hæc pia, ſcilicet, quæ neminem offendunt, quis tandem Paulus? Nonne homo eſt? Apoſtolus eſt; ſed ſuburbanus tantùm: Non ex duodecim viris, cum Chriſto non eſt converſatus, articulum fidei non compoſuit. Ego tam cuivis Thomæ vel Scoto credo, quàm Paulo. Enarravi etiam Petri utramque Epiſtolam Apoſtolorum anteſignani, ut liquidò viderent, an eodem imbuti Spiritu eadem ambo locuti eſſent. His abſolutis, Epiſtolam ad Hebræos orſus ſum, ut Chriſti beneficium clariùs agnoſcerent ac gloriam. Hic diſcent Chriſtum ſummum eſſe Sacerdotem, ac jam fermè didicerunt. Nec eſt, ut me quorundam ſcriptorum inſimuletis: Nam antequam ea ad manus noſtras venerint, orſi eramus negotium, imò ante annum ferè polliciti ſumus, id facturos. Atque hanc temporis prærogativam nullius cum præjudicio, hoc loco, Zuinglio tribuimus;

ne-

neque enim vel Zuinglij, vel nostrâ multum refert, sive ille præcesserit Lutherum, sive secutus fuerit: Quando verò & ipse sic nobis Zuinglius, & exteri etiam Theologi hanc temporis circumstantiam optima tradunt fide, eam minime negligendam esse existimavimus. Moderatiùs ea in re versari voluissem nuperum vitæ Lutheri *authorem*, qui cap. X. S. 3. pag. 54. *Minister Reformationis nec primus, nec primi socius sincerus, nec huic operi destinatus fuit Zuinglius. Ipsum enim undecim annos ante Lutherum Evangelicam veritatem agnovisse, Papales abominationes rejecisse, & Ecclesiam Helveticam à Papatu repurgâsse, invita veritate asseritur à Michaële Philippo Beuthero, Theol. Lic. Calvin. iniquissimo, & in apertis mendacijs multoties deprehenso, Argentinensium Ecclesiasticorum agendorum Censore &c. Sleidani, Historici probatissimi, testimonio constat, Zuinglium demum Anno 1519. Tiguri in Helvetijs ex Eremo, quam vocant, divæ Virginis, eo vocatum se opposuisse Indulgentiarum præconi Samsoni Mediolanensi Franciscano: Et quamvis fieri potuerit, ut* Zuinglius

Zuinglius ſub idem tempus cum D. Luthero veternum Pontificium privatim oculis excuſſerit, & ad Evangelij renaſcentis ortum paulatim evigilaverit, publicè tamen id factum fuiſſe concionibus, diſputationibus, ſcriptis, nullo documento doceri poteſt: Cùm præſertim ad annum usque 1525. nondum intellexerit doctrinam de peccato originis, de juſtificatione hominis coram Deo, de fide juſtificante &c. Imò ante annũ 1522. adverſus adverſarios ab ipſo nullum ſcriptum fuiſſe publicatum, ipſemet in Apologetici Archetelis præfatione fatetur: Addens, ſe prædicationem ſolidi Evangelij ſecundum Matthæum incepiſſe. Hæc ille. Merentur, modò melioribus locum relinquant, exteri veniam, qui de initijs Reformationis Zuinglij non aliter ſentiunt, quàm quod ex obvijs hactenus & editis didicerunt Authoribus. Zuinglium præiviſſe, ſatis, opinor, à nobis eſt demonſtratum, extraneorum etiam, Argentinenſium Theologorum, Wolfgangi Capitonis, quin ipſorum etiam Pontificiorum calculo. Nec, quod decennij integri prærogativam *Michael Philippus Beutherus* Zuinglio tribuit, ita flagellandum

landum fuisset. *Myconius* certè, anno ante obitum -7. Pontificijs erroribus restitisse, veritatem cum Pico Mirandulano Zuinglium propugnâsse, liberè edicit: quanquam parum referat, serius an citius præcurrerit, satis sit, ostendisse originem reformationis Zuinglianæ & ex alijs deducendam causis, & altius, quàm vulgò fit, arcessendam: Ipsum præcisè momentum temporis non merebitur, ut sit μῆλον ἔριδος. *Sleidanus* author gravissimus, de Imperij, quàm Helvetiæ Historia magis solicitus, de utriusque consensu & συμφερτῇ ἀρετῇ, quàm accurato temporis ordine, & communione causæ impulsivæ, Simoniæ Indulgentiariæ scribere maluit. Unde & breviter, quasi aliud ageret, Zuinglij conatus enarrat: Lutheri verò Historiam admodùm prolixè pertexit. Quod quidem, ut probatissimo Historico, subsidijs Germanicis instrnctissimo, vitio non vertimus; ita nec nobis pleniorem Reformatoris nostri, cujus res gestæ magis sunt ex domesticis añalibus exploratæ, enarrationē fraudi futuram, planè confidimus. Notorium defectum *ignorantiæ*, in palmarijs fidei Christianę dogmatibus *de peccato originis, de justificatione, fide justificante &c.* objicere Zuinglio non debuisset. Quàm enim solidè

de & pie de illis, juſtificatione cumprimis, ſenſerit, ſuo loco, Σ. Θ. videbimus. Sed quid ſi & Zuinglius profecerit ſapientiâ? Si & ipſe, ex tenebris Papatus ereptus, ſi à cæcitate ſpirituali liberatus, homines primò intuitus fuerit ὡς δένδρα, *ut arbores*? Si & ipſe experiri debuit, in ſtadio Theologico fieri progreſſum de virtute in virtutem? An, quòd dies diem doceat, prioritati hoc ordinis quicquam deroget? *Libri Lutheri* (ita ipſe *author* vitæ Lutheri pag. 48.) *ſunt in quadruplici differentia; alij ſunt didactici, alij Polemici, alij priores, alij poſteriores, alij publicè recepti, alij privati, alij ipſius genuini, alij ſuppoſititij. Priores Libri Lutheri vocantur, quos vel ante bellum Sacrum, vel in principio certaminis ſcripſit, judicio Sacris literis nondum ſatis confirmato, qui ut cum commiſeratione, ob errores illis contentos legantur, ipſe petit.* De indulgentijs, *ajt*, ante duos annos ſcripſi; ſed ſic, ut me nunc mirum in modum pœniteat editi libelli. Hærebam enim tum temporis magna quadam ſuperſtitione Romanæ tyrannidis. Unde & indulgentias non penitus rejiciendas eſſe cenſebam, quas tanto hominum conſenſu cernebam com-

pro-

probari. Nec mirum, quia ſolus tum volvebam hoc ſaxum. At poſtea beneficio Sylveſtri & Fratrum adjutus, qui ſtrenuè illas tutati ſunt, intellexi eas aliud non eſſe, quàm meras adulatorum Romanorum impoſturas. *In præfatione Tomi primi Latini*, inquit: Ante omnia oro pium Lectorem, & oro propter ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut iſta legat cum judicio, imò cum multa miſeratione, & ſciat, me aliquando fuiſſe Monachum inſaniſsimum, cùm iſtam cauſam aggreſſus ſum, & ebrium, imò ſubmerſum in dogmatibus Papæ. Quapropter nemo offendatur illorum librorum lectione, quod in ijs quædam videre liceat conſentanea adverſariorum doctrinæ. *Hæc Lutherus.* Quid ſi idem fateatur Zuinglius, prout fateri illum in articulo de Euchariſtia audiemus? Num fraudi huic ſit, quod cum laude ingenuitatis in illo comendatur? *Ante annum 1522. nihil edidiſſe Zuinglium*, verum eſt; ſed & virum jam ante celeberrimum, Reformatorem fortiſsimum, Theologum judicioſiſſimum fuiſſe, etiamſi in natione bipenni tum adhuc frequentiùs, quàm penna occupata, nihil ederet, quod vel ad literaturã, vel Theologiam facere potuiſſet; νέφει μαρτύρων poſtea probabimus. Cur verò publicis ſcri-

ſcriptis inclareſcere ſtatim noluerit Zuinglius, prudentiæ ejus ſingulari tribuendum. *Primò* maluit in aſſerenda veritate, quàm evertenda falſitate laborare. Negotium *deinde* erat cum Gente libera, quam dentatis vel eriſticis ſcriptis irritare non erat conſultum, id quod ipſe alicubi monet. Sed neque Exegeticis ſcriptis diſcipulos ſuos vel Auditores onerari voluit, ne hominum laboribus & rivulis ab ipſis Scripturæ fontibus avocarentur. Unde & doctiſsimæ ejus in V. T. lectiones invito ferè extorquendæ, & à Capitulo, libello ſupplici, ut verba habent, quæ in Epiſtol. noſtra de accurata Methodo comentandi, citavimus flagitandæ. Præterquam quòd defectus ſubſidiorũ Chalcographicorum, & quæ Tiguri demum cum ipſa Reformatione per *Chriſtophorum Froſchovverum*, qui anno 1519. ob rei typographicæ peritiam civitate (erat enim Otingenſis) donabatur Tigurina, obſtiterat, quominùs præli beneficium uſui eſſe potuerit. Mallem igitur moderatiori paulò ſtylo uti, qui in communi effectu, comunem ſuſpicere deberent cauſam. Noluit vel *alter Lutherus*, vel *Lutheranus* haberi Zuinglius. Fateor. Habebat prægnantes ſui propoſiti rationes; Cæteri tamen, qui ζύγχρονοι utrius-

 que

que erant, sibi temperare non poterant, quin vel inviti faterentur, eundem utrique reformandi sedibus æthereis venisse Spiritum. *Johannes Faber*, ad Moguntinum quendam, an. Chr. 1523. dissimulare illud non poterat; Digna est Epistola, quæ tota è ruderibus erepta, propter συγχρονισμὸν, vulgetur. *Inter hos pracipuos labores, quibus eadem hora angebar, tua litera quasi solamen aliquod attulere non modicum. Fuerunt enim atque sunt omni humanitate referta, ex quibus quum intelligerem, nondum omnem Germaniam post unum abijsse Lutherum, communem amicum, erat quo ad pergendum in rebus meis animarer. Capi autem hanc harundinem Evangelicam, huc atque illuc omni doctrinarum vento agitatam, suis depingere coloribus. Ostendo enim eidem non modò, qua contra sanam & rectam Evangelij intelligentiam ediderat, imò contra pugnantia illius plusquâm trecenta describo, ex quibus in brevi intelliget orbis, quo Spiritu in unicam domum Dei Sabaoth irruerit, quò tendat, quàm miserè vulgus hoc iners ab hoc uno seducatur homine. Videbis autem, spero, non inutilia.*

Parti-

Partitus ſum hanc contradictoriorum ſummam in tres libros admodum juſtos. In primo oſtendam, quo pacto ab univerſali Eccleſia, atque communi conſenſu Chriſti fidelium nos abducere tentârit noſter ille Lutherus: In ſecundo, in tranſcurſu & obiter indico, non ſolùm ab univerſali Eccleſia diſſentire Lutherum, imò quòd nec Picardi, nec alij Hæretici, etiam ab Apoſtolorum tempore usque ad noſtra ſecula cum Luthero convenerint, & credo, ſum orbi daturus centum & quinquaginta articulos, ex quibus Chriſtianæ fidei religio pendet, in quibus durior atq; aſperior eſt ipſe Lutherus, quàm omnes omnium ſeculorum Hæretici. In tertio libro hominem ex ore proprio judico, qui ediderit nobis in Theologia præcepta, non alia, quàm quæ cum illius Chryſippi Dialectica optimè conveniant. Hic veſpas & veſpertiliones Lutheri videbis. Faxit Deus, ut præ occupationum mole ſalvus & incolumis diutiſſimè vivam. Nunc ſub manibus tero, an verum ſit, quod poſt VViclephum temerè Lutherus aſſerit, neceſſitate abſoluta omnia evenire:

 nire:

nire: Et hic ex uno duntaxat libro, hoc est, Genesi sexaginta locos inveni, ex diametro huic assertioni contrarios, & parum aberit, non sit aliquod in sacrorum librorum Canone caput, quantumvis breve atque exiguum, ex quo non valeam hanc jugulare sententiam: Talis ac tanti nominis θεοδίδακτος est ipse Lutherus, ut uno axiomate audeat contra se provocare mille sacrarum literarum sententias. In brevi stupidas illius allegorias adgrediar: Interim minutula quædam & fortè non aspernanda videbis: Ea distuli, sperans ex Luthero responsum, quod fortè diutius ad mea scripta suspendit, quòd contra pacificum in pugnam prodire non audeat, vel forsan modum ignoret, tum ipse ubique sit convitijs lidorijsque refertus, neque gratiam hanc habeat, ut modestè quicquam agat: quanquam me insanum esse dixerit, antequam ulla catena, velut Orestes ligatus fuerim. Sed hæc est ratio Lutherani Evangelij, spiritus cunctos judicare tales, quales illi sunt: Et quod rectè nuper Serenissimus Anglorum Rex in Epistola sua testatus est, cujus

copiam

copiam antequam tuus ille familiaris adesset, ex Lupseto habebam. At pro tuo candido animo tibi gratias habeo plurimas, qui non dedignatus fueris illius rei me facere participem. Quod ex me nova expectes, certi quicquam non habeo, nisi, quòd apud Tigurinos novus Lutherus exoritur, qui tantò gravior est, quantò austeriorem populum habet: *Huic contraire, velim nolim, cogor etiam invitissimè, id quod in brevi agnosces, emisso libello, quo Missam esse sacrificium probo. Hæc Epistola, quia 3. Junij* 1523. Constantiæ fuit data, Ambrosio Blaurero communicata illa fuit, quam, comite Epistola sequenti, ad Zuinglium misit: *Non ausus sum ipse quicquam ad Te scribere,* Christianissime Ulriche, *ne quid forte, tua in Christianam Rempublicam studia, intempestivus interpellator, remorarer, sed hanc tamen Epistolam (quam ut descriptam haberes, tua nonnihil interesse putamus,) adhortante Menlishofero nostro, mittendam curavi: Ex illa tu planè intelliges, magnificos, hoc est Romanos, & omnino dignos fabro conatus, qui cùm hactenus nonnulla magno quidem nixu, sed infeliciter*

ter nobis pepererit; tamen subinde alia atq; alia orbi se parturire, tam impiè, quàm impudenter promittit. Orbi, inquam, ne quis illum unius urbis aut Gentis Apostolum arbitretur: quo nomine cæteros Apostolos facilè antecellit, non solùm æquat hoc jovis sandalium. Miseret me, ita mihi Christus faveat, miserrimi hominis, atque eò magis, quo minus miseriam ipse suam agnoscit, & precabimur melius ominatam mentem, ut tandem & pudeat & pigeat tam subventanei partus, quanquam vix fore speramus, ut recurrat, qui tanta pertinacia, tam adfectatè malè currit. Tu perge, ut facis, & Christi doctrinam, quanto potes maximo studio, Christianismum ab Anti-Christis istis vindica: Manus enim Domini tecum est, confortans te. *Nos posthac non patiemur te quicquam ignorare, quæ Fabrum hic moliri resciverimus, adversus te imprimis, cujus nomini & authoritati non minus ac nobis ipsis consultum cupimus. Vale, & si molestum non erit, tuum quoque χαῖρε ad nos quantumvis neglectim, transscribe. Hutteno, quem isthic esse audio, me diligenter commenda. Hujus germanos animos illa,*

si

ſi quicquam aliud, recens edita cum Eraſmo expoſtulatio nobis & feſtiviter, & proximè refert, ut vehementer nobis doleat, viri citra fucum Chriſtiani parùm firma valetudo, quam modis omnibus adamantinam eſſe oportebat. Sed hæc obiter. Quàm verò evidenter hinc patet, aliter luſciniam canere, aliter cicadam ſtrepere? Johannes Faber cælum Pontificium ſibi ſuſtinere videbatur; vix tamen eminus Blaureri aſſequi potuit vel facundiam, vel eruditionem. Haud illepidè Blaurerus ad finem Epiſtolæ: *ó deploratam chartarum cladem, poſt eaquam ſcripturientium fabrorum libidini inſervire coguntur!* Hæc de prioritate ordinis; alterum quod in Zuinglio obſervatur, eſt,

II. *Magno illum conatu, accurata Methodo, prudentiâ, conſtantia, & modeſtiâ, cum gravitate tamen conjuncta, arduum hoc aggreſſum fuiſſe opus. Prudentiæ* ſpecimem dedit, quod didicerit τῷ καιρῷ δουλεύειν tempori inſervire; Rom. 12. 11. לעות tempeſtivè, ſuo tempore, locorum & perſonarum habito ſelectu, loqui, *Proverb. 25. 11.* omnibus fieri omnis, ut aliquos Chriſto lucri faceret, 1. Cor. 9. 19. Ita enim ipſe de vera & falſ. relig. T.II.p.202. *Scripſimus ante*

 annos

annos duos inter articulos 67.decimo octavo, de Eucharistia, ubi tempori multa potiùs scripsimus, quam rei: Nequit enim & Christus satis laudare fidelem verbi sui dispensatorem, qui tempestivè cibum adponat famulitio Domini, sic per admirationem inquiens, Matth. 24. Quis, id est, quantus iste fidelis dispensator & prudens, cui dominus familiam suam credidit, quo cibum ei tempestivè præbeat? *Statuimus ergo perpetuo tenore sic dispensare verbum, ut fructum plurimum Domino nostro reportemus. Quis enim non abjiciat servum, qui saviente bruma tellurem aratro proscindere, eique semina credere pergat? Vere ista sunt agenda. Sic nos multa dedimus ea tempestate horum teneritudini quibus scripsimus; sed omnia, ut adificaremus. Christi exemplo vel depromsimus, vel recondimus. Qui posteaquam Eucharistiam instituisset, dixit se adhuc multa habere, quæ discipulis dicta oporteat, sed tum eos ipsa capere non posse: Servanda ergo censet usque ad Spiritus Sancti adventum. Quum ergo hic, bone Lector, quædam offendas, quæ in superioribus scriptis nostris non vidisti, aut*

aut quædam clarius hic dici, quàm alibi, quando verò aliter, noli admiratione capi, noluimus cibum dare, quum intempeſtivum eſſet, neque margaritas porcis proponere: Sed neque ſi citra omne periculum etiam potuiſſemus tunc proponere voluimus, cùm nemo caperet. Retractamus igitur hic, quæ illic diximus tali lege, ut quæ hic damus, anno ætatis noſtræ quadrageſimo ſecundo, propendeant eis, quæ quadrageſimo dederamus: *conſtantiæ* verò documenta dedit luculentiſsima, quando nullis vel Pontificum promiſsis, vel Pontificiorum minis aut inſidijs à propoſito terreri potuit. *Promiſsiones Pontificis liberaliſsimas fuiſſe*, vel ſpem ſaltem non obſcuram lautioris conditionis factam, probat Adriani VI. Breve, quod vocant an. Chr. 1523. d. 23. Januarij ad Zuinglium ſcriptum. Archetypon in Bibliotheca adhuc publica aſſervatur, Ectypum ita ſonat: *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: Remittimus venerabilem fratrem, Ennium, Epiſcopum Verulanum, Prælatum, domeſticum noſtrum & Apoſtolicæ Sedis nuncium, hominem prudentia & fide præſtantem, ad iſtam invictam, nobiſque*

& huic sanctæ sedi conjunctissimam nationem, ut de maximis rebus nos eandem sedem, totámque Christianam Rempublicam concernentem, cum illo agat. Licèt autem ei dederimus in mandatis, ut ea communiter cum omnibus & publicè tractet; tamen cùm de tua egregia virtute specialiter nobis sit cognitum, nósque devotionem tuam arctiùs amemus, ac diligamus, ac peculiarem quandam in te fidem habeamus, *mandavimus eidem Episcopo, Nuncio nostro, ut tibi separatim nostras literas redderet*, nostrámque erga te optimam voluntatem declararet. *Hortamur itaque devotionem tuam in Domino, ut & illi omnem fidem habeatis, & quo nos animo ad honores tuos & commoda tendimus, eodem tu* in nostris, & dictæ sedis Apostolicæ rebus procedas, de quo gratiam apud nos invenies non mediocrem. *Datum Romæ*, &c. Eadem Epistola inserta est προσωπογραφίᾳ Zuinglianæ, à *Myconio* editæ, & Epist. Zuing. & Oecolamp. præfixæ; cui Editor subjungit: *Has literas propterea nolui nescires, ut constaret, si gratiam hominum, quàm gratiam Dei*

Dei maluisset Zuinglius, quantusnam esse potuisset. Non enim ad hunc solùm Papa scripserat, verùm etiam ad eximium D. Franciscum Zinggium, ut sibi & sedi Apostolicæ virum lucrifaceret. Dúmque rogitarem à Francisco, quid pro illo pollicitus esset Papa, seriò respondit: Omnia certè, præter sedem Papalem. Ipse etiam Zuinglius, an. Chr. 1523. Præceptori suo, Thomæ Witenbachio; postquam dolorem suum expectorâsset, quòd præteritis ætatibus tempus suum non melioribus impendissent studijs, paulóque fusiùs suam de Cœna Domini mentem aperuisset; indicavit, *Pontificem conatum esse se à proposito avocare, magnis oblatis pollicitationibus; se interea constanter docuisse, Papam esse Antichristum.* De minis & insidijs legi poterit vita ejus à Myconio edita, pag. 4. cui Zuinglius ante erat an. Chr. 1521. fassus; adversitates & mala ita jam tum crevisse, ut de abdicando munere cogitârit, mox tamen, animo resumto, Dei fiducia fretum, omnia contemsisse pericula, quæ in dies gravius ingruerent, usque adeò, ut nuspiam fermè tutus fuerit. Unde observamus; quod meritò hoc loco addimus; Zuinglium ab amicis extraneis &

ἀνω-

ἀνωνύμοις quidem, monitum fuisse, ut ne obvio cuivis sui faceret copiam, sed secum habitans securitatem quæreret. Habeo αὐτόγραφον Epistolæ an. Chr. 1522. ad Zuinglium, ab egregio viro, Pastore postea Ravenspurgico scriptam, quam diutiùs invidere publico nolui. *Salutem in Christo Jesu, Domino & Servatore nostro. Nunc, nunc oblata est occasio, qua sinceram inter nos auspicemur amicitiam. Cujus contrahendæ desiderio annos jam aliquot teneor. Obstitit autem hactenus nescio quis pudor meus, urbanus ne, an rusticus, ne in tuam me amicitiam insinuarem. Verebar ne tanto viro, despecta esset humilis ista amicitia nostra. Eáque caussa te meis compellare literis, non audebam. At cognita nuper admodum, ex quibusdam tuis, singulari virtute tua, & humanitate, quòd in amicis sinceritatem pluris facis, quàm elegantiam, animum sumpsi & factus sum nonnihil audacior, atque adeò, ut jam longè propulso pudore, confidenter tecum agere, quæque velim, audeam. Cumprimis autem benevolentem tibi animum meum ostendere, tuæ rei, dignitati, atque adeò saluti obstri-*

ctissimi-

ctiſsimum. Quod te, optimorum virorum relatu, verè pium & Chriſtianum, id eſt, Evangelicæ veritatis fortiſsimum propugnatorem, cognoſcam, utpote qui relictis Scholicis pugnis, & Phariſaicis traditiunculis, verè divinas literas toto pectuſculo, amplexeris. Spiritus libertate, adverſus Scribas iſtos, Saducæos & bicornes Cajaphas, ψυχοτυράννους, adeò ſtrenuè tuteris; ut te non poſsim non ſuſpicere, non venerari, non toto corde diligere, & ſubinde ſalutis tuæ rationem non habere; quæ ut propria æquè mihi chara eſt. Quod ut certò credas, Deum Opt. Max. teſtor. Sed ut ipſum id vel hinc φανερῶς cognoſcas, quòd in præſentiarum te & amiciter & Chriſtianiter admoneo & adhortor, ut ipſe tibi ſis curæ. Si unquam aliâs, nunc maximè, ſalutis & vitæ rationem habeas: Nam undique proh hominum fidem! Septus es inſidijs, circumdatus occultis dolis, ἕτοιμα φάρμακα λυγρὰ, quibus è medio tollaris. Quando impijs nebulonibus non licet palàm in te graſſari, clam te aggredi volunt medicato boleto; qualem Princeps Claudius edit, hunc ſicubi clanculo

culo possint tibi ἐν βρώσεσιν *adponent devorandum. Caveto igitur. Si quando esuris, domi tuæ manduces panem quem propria decoxerit focaria.* ἐκτὸς γὰρ τῆς σῆς οἰκίας μηδαμοῦ τὸ ἀμέριμνον. *Tecum habitant intra Tigurina mœnia, qui nihil non conantur* εἰς πανολεθρίαν σου. *Quas ob res mi charissime* καὶ θεῷ φίλε *Hulderiche, cave diligentissimè, cave, cave inquam veneficos illos spadones* καὶ πᾶσιν ἀλλοδαποῖς καὶ ὀθνείοις βρώμασι, τὸ δηλητήριον νόμιζε μεμιγμένον. οὐδὲ γὰρ σοὶ ἀσφαλὲς πάντα δὲ ἐπισφαλῆ. *Sed unde hoc tibi imminere periculum, sciam, & quo* χρησμῷ *sim edoctus,* οὐ χρείαν ἔχεις σοὶ γράφεσθαι. καὶ ἀληθεστέρου τοῦ Δελφικοῦ Ἀπόλλωνος. *Sed quod propalàm vulgare, aut literis demandare, piaculum sit* τῷ ἱερεῖ. *Intelligentiâ præstas, facilè jam ipse conjectabis, unde profectum id sit, quod pro mea in te benevolentia* καὶ φιλαδελφία *tibi nolui oculere. Satis sit apertè indicasse, quod præcavendum sit discrimen,* Μὴ πλείονα τόγε νῦν. *Tu vir optime, quantum per te tibi licet, serva te tibi, serva te tuis, serva te Christo, cujus saluti*

ferum

ferum verbum, ut feliciter cœpiſti, ita diu pergas velim Evangelizare. Vale feliciter in χριστῷ Ἰησοῦ, *qui te ſervet à noxijs pharmacis.* Μελ᾽ ὤκα ἐκ τῆς Συηβίας *intra Kalendas Majas, An. MD.XXII. Quisquis ſim,* σὸς εἰμί, agnoſces me poſtea. *Modeſtiæ denique cum gravitate conjunctæ*, laudem, præter cætera alia, aſſerunt verba, quæ extant ad explanationem articulorum LXVII, ſub nomine Apologiæ & proteſtationis T. I. pag. 109. b. *Non ignoro, acrem iſtum & increpatorium ſermonem multis improbatum iri, ſed illis duntaxat, qui correctionis & caſtigationis impatientes, ne pilum quidem emendant. Qui verbo Dei tantùm moventur, quantum Phariſæi verbo Christi. Quorum contumax ac pertinax ignorantia ac faſtus inſolens, ſcribentes quosque rapit, poſteaquam eximiam & ſalutarem Chriſti doctrinam ab illis tam impudenter abjici & contemni intelligunt, ut vehementiore & indignatione in impios & ingratos homines ferantur. Hoc idem ſi mihi contigit, quid mirum? Ego verò hoſtes illos Chriſti & adverſarios veritatis, qui nec flecti, nec cir-*

circumcidi volunt, quin potius sine cessatione Deum blasphemare pergunt; nunquam adhuc satis pro dignitate tractatos esse arbitror. Quòd si quis se passum, aut injuria adfectum istis meis scriptis existimaverit, indicet, convictus palinodiam canam. Nam ut nolim scripturis sacris & Christi doctrinæ vim fieri, ita (Deo auspice) nemini Scripturis Sacris vim inferam. Porrò, quòd ad dogmata aut paradoxa, quæ hîc continentur, attinet, obtestor coram Deo & Domino nostro Jesu Christo, me hujusmodi (quemadmodum cernere licet) sic scripsisse, quod mihi Scripturæ Sacræ sic sentire & loqui viderentur. Nec passus sum, ut ullius hominis, quantumvis magni & excellentis, vel commentum vel sententia me à veritate Scripturæ vel tantillum abduceret, mox ut viderem, aliud Deum & velle & loqui. Quòd si cui alicubi in sensu divinæ Scripturæ errâsse videor, ídque Scripturæ locis unis aut alteris, quibus probare nitimur, deprehenderetur, patior, imò offero me à quovis ut docear, modò id fiat non hominum doctrinis aut traditioni-

ditionibus, ſed ea, quæ θεόπνευςος dicta eſt, &c. Et in Archetel. T.I.pag. 133. *Fieri potuit, ut nonnihil nobis tribuerimus in ſacris literis, & ſi id unquam factum eſt, parcius tamen factum ſcio. Verùm, cùm omnia diligenter memoria volvo, recordor aliquando vitio verſum eſſe, quod dixeram, Deum per me loqui, cùm ejus verbum promulgarem, & id feci, ne mihi quicquam tribueret vulgus; nec mihi acceptum ferret, quod Chriſti eſſet. Modeſtè* gratiæ Dei omnia fert accepta. *Modeſtè* omnia ſua cenſuræ ſubjecit, & ad lydium Scripturæ lapidem examinanda proponit. *Graviter* tamen contumaciam Adverſariorum reprehendit, duro nodo, durum cuneum adhibet.

IV. *Porrò*, ſingulari Zuinglij prudentiæ tribuitur, *quòd à ſuperſtitionibus Eccleſiam ſimul & ſemel feliciſſimè purgârit* (daß er mit dem rauchen beſem gekehrt / quod de Anteceſſore ſuo, judicium erat acutum & accuratum, *D. Burckhardi Leemanni*, Antiſtitis Tigurini,) *perfectiùsq; adeò & abſolutius Reformationis dederit opus.* Hac laude inclaruit apud exteros etiam Theologos, Palatinos, Belgas, Gallos, Scotos &c. quod operoſius deducere alius erit inſtituti. Vel unius hîc nobis ſuf-

ficiet suffragium Theologi *Heidelbergensis*, & Groningani meritissimi, Præceptoris nostri honoratissimi, D. *Alungij*, cujus verba ex Historia Palatina ita habent: *Caterùm, quod nascenti Evangelio Hierosolyma, id renascenti duæ insignes fuerunt Metropoles, VVittenberga Saxonum, & Tigurum Helvetiæ caput. Et Ecclesiæ quidem Palatinæ utramque matrem, & grato corde agnoscunt, & grato ore celebrant. VVitembergam quidem quoad primam originem primaque incrementa, Tigurum verò, quoad puritatem, claritatem & perfectionem.* Et Theolog. Hist Loc. 1. Period. II. Artic. 3. N.T. *Inprimis duo hæc in repurgatione à Zuinglio facta laudari solent, 1. quòd imagines, statuas, omnèque fermentum superstitionis Romanæ ejecit ex Ecclesia, prima statim reformatione, adeóque verum Dei cultum secundùm normam verbi Dei instituit. 2. Quòd opinionem corporalis præsentiæ Christi in pane Cænæ, quæ fundamentum est Transsubstantiationis & Sacrificij Missæ, evertit, totámque doctrinam de Sacramentis, Cimmerijs tenebris obrutam, pleniùs declaravit. Nempe, ut ipse loquitur*

Serm.

Serm. de casta, & intemerata Virgine Maria T. I. p. 341. b. unicum *hunc laborum & studiorum suorum habuit scopum, unicum finem, ad quem tendebat, ut omnes homines, quantum gratiæ & omnis boni thesaurum Dei Filius, qui ex Maria Virgine natus, & homo factus est, nobis obtulerit, intelligant: Ut ad unum Deum Patrem per mortem & passionem Christi, filij ejus omnes confugiant, ut illius doctrina solida & sincera producatur in medium, & humanis traditionibus ablatis, pura sit, inconfusa, & integra.*

II. *Zuinglium, in ipso adhuc Papatu, eo apud eruditos fuisse loco, ut præclara sibi quisque de ipsius in vinea Domini pollicitus fuerit opera.* Quàm fuerit fervidus Papistarum hyperaspistes *Iohannes Faber*, Constantiensis Suffraganeus, postea Episcopus Viennensis, superioris seculi probat Historia. Idem tamen ad Zuinglium 16. Kalend. Janu. 1519. in hunc sensum scripsit: *Adeò propensè in vinea Domini desudas, ut etiam te periclitante, non mediocrem Christianæ Reipublicæ jacturam imminere videam.* Et annò 1520. Constant. *Quanquam & prodesse cupiam; si tu ac tui similes*

similes quibus est eruditio rerum istarum maxima, non æquo animo susceperitis, jam de Fabro actum erit. At satis, superque lucratus fuero, si ad rectam concionandi provinciam, doctioribus ansam præbuero, inter eos, ut tu primas partes suscipias, æquissimum erit: Glareanus, vir apprimè doctus, sed Pontificiæ Religioni adeò postea addictus, ut ne alloquium facilè (exemplum in Stuckio nostro ostendit Gryn. Epist.l.1.p.176.) Reformatis concesserit, ita an. Chr. 1519. Zuinglium commendat: *Probo nunc item, quòd Tigurum concesseris futurum enim auguror, ut fides Christi augmentum illic sit acceptura. Te duce, haud mediocre.*

V. *Constat, Zuinglium solida, & pro ratione illius ætatis, rarißima fuisse instructum eruditione:* unde & scripta ejus solicitè quæsita, magnificis & splendidis encomijs ornata, impensè desiderata, aliisque prælata fuerunt: Ipse etiam Zuinglius, veluti communis præceptor, à doctissimis, & planè remotis, compellatus & habitus fuit. Id quod tum ex communi fama & existimatione patet, tum ex eruditorum aliorum judicijs. Et de *reformatis* quidem Theologis, qui longè post ipsum vixerunt, nolumus esse multum soliciti, unius suffra-

ſuffragium ſufficiet. *Quotquot* (ita Iac. Grynæ. Epiſt. lib. 1. pag. 86.) *cum judicio & candore Chriſtiano legunt & expendunt ſcripta exegetica & polemica D. Huldrichi Zuinglij, Tigurinæ Eccleſiæ Epiſcopi celeberrimi, facilè animadvertunt, fervente ſpiritu loquutum eſſe, & docuiſſe diligenter ea quæ ſunt Domini, ac revera fuiſſe* δυνατὸν ἐν ταῖς γραφαῖς, *ſolitum quin etiam* παῤῥησιάζεσθαι, *ſi quando* ἀτόνως *errantes convincendi eſſent. Eundem, quòd in ſcriptis exotericorum, Philoſophorum, dico, Oratorum, Hiſtoricorum, Poëtarum feliciter eſſet verſatus, Orationi ſuæ rerum tum copiam, tum nitorem & elegantiam majorem, quàm alij quidam Theologi fecerint, addidiſſe, & Latinè, Græcè & Hebraicè perquàm doctum fuiſſe nemo ignorat, niſi qui illius ingenij monumenta non vidit.* Ex illis verò, qui penitiùs ſuperſtitem noverunt Zuinglium, unum & alterum audire placet, non Helvetios modò, ſed & Saxones, Polonos, Suevos, Italos, Belgas, Anglos, ut quem locum apud remotiſsimos meruerit vir magnus, ab alijs diſcatur, quod patriæ fortè amore nos tribuere videri poſſemus. Digna hæc

est de Zuinglio observatio, quæ paulò fusiùs proponatur & distinctius. Id ut fiat, tribus illam sistemus Classibus, quarum *prima* Epitheta ordine enarrabit, quæ à maximis superioris seculi, cujuscunque ordinis, viris, ei sunt tributa. *Secunda* prolixiora quædam eruditorum de Zuinglio, ejus dotibus & laboribus suppeditabit testimonia. *Tertia* ostendet, celebritatem nominis Zuingliani ne Papistas latere potuisse. Habet ergo *prima* Classis *Epithetorum Zuinglio, magno merito, tributorum uberrimam segetem*; non emendicatam, sed sponte natam, imò invito (ut modestissimus fuit) obtrusam, à cujusvis ordinis & ætatis viris celeberrimis, totóque orbe Christiano, notissimis, usque adeò, ut quotquot comercium cum eo, multis etiam ante Reformationem annis coluerunt Epistolicum, Epithetorum ἐμφάσει, καὶ συναθροισμῷ certârint. Sed exemplis, non conjecturis, agatur. *Glareanus*, in tergo literarum, vocare Zuinglium solebat, an. Chr. 1510. virum *omni eruditione clarum*, sibi mellitissimum an. Chr. 1511. Glareanæ Ecclesiæ *Pastorem*, *virum Philosophum*, sibi apprimè colendum; *Artium Magistrum*, *Sacræ religionis Presbyterum*, Glareanæ Classis *Nauclerum vigilantissimum*, & *antesignanum*. A. Chr. 1519. Virum Philosophum, & *verè Theologum* amicum

amicum eximium. An. Chr. 1521. Virum *integerrimum, & Theologum verè christianum* an. Chr. 1522. Chriſtianum Theologum, Tigurinæ urbis *Epiſcopum*: Theologum verè Chriſtianum, virum integerrimum, *Græcè Latinéque doctißimum*, amicum tanquam fratrem an. Chr. 1523. Theologum verè Chriſtianum, Eccleſiæ Tigurinæ Epiſcopum. *Petrus Falck* Friburgo Helvet. 1515. venerabilem & *magnæ legalitatis* virum, liberalium artium Magiſtrum, expertiſsimum Plebanum Glareanum &c. Venerabilem Dominum, Curatum Glaronæ, artium liberalium Magiſtrum *expertißimum*, Dominum ac Præceptorem ſuum colendum. *Petrus Scudus*, Glaronenſis, vir doctiſsimus, an. Chr. 1516. virum Philoſophum & Theologum: utriuſque Linguæ doctiſsimū, virum integerrimum, item primarium literarum cultorem. *Valentinus Scudus*, itidem Glaronenſis, Literarum *acerrimum vindicem*, Præceptorem chariſsimum; virum *eruditißimum*, amicum incomparabilem; virum tum doctum, tum *probum*; virum doctiſsimum, ſumum ſuum patronum. *Sigismundus Rotleip, Brigantinus*, Vicarius Lindovienſis 1517. Præſtantem virum, M. Ulrichum Zuinglin, Dominici Glareani Gregis paſtorem *ſolicitum*, patronum ſuum præ

 cæteris

cæteris obſervandum. *Grebelij*, Johannes Leopoldus & Cunhardus, virum ingenuarum Artium Magiſtrum, *animarúmque* in Helvetiorum eremo, *curatorem* vigilantiſsimum, 1517. Viennæ. *Oſvvaldus Myconius*, Lucernenſis 1518. Doctiſsimum & *præclariſsimum* virum, Plebejanum apud Divam virginem Eremiticam; vigilantiſsimum. An. Chr. 1520. *Evangeliſtam* Tigurinum: Eruditiſsimum Parochum Tigurinum; Paſtorem Tigurinum: Epiſcopum Theologum Chriſtianiſsimum, Tigurinorum Theologum Chriſtianum, *Evangeliſtam* Tigurinum: Evangeliſtam Tigurinum Chriſtianiſsimum. *Bombaſius*, Neſeni judicio, omnium Italorum in literis Princeps, an. Chr. 1518. Virum doctiſsimum. *Jacobus Salandronius*, Curienſis Ludim. aliâs Aleander, Doctiſsimum & *obſervantiſsimum* ſuum *præceptorem*, virum Philoſophum & Theologum non vulgarem 1517. Patrem ſuum fidelem 1525. *Evangelicæ veritatis ſtrenuum* apud Tiguros Helvetiorum *recuperatorem*, 1522. *Eraſmus Fabricius*, Lithopolitanus Presbyter 1518. *acutiſsimi judicij* virum: *Literatiſsimum*, omnigenarum diſciplinarum Profeſſorem. *Beatus Rhenanus*, an. Chr. 1519. Eximium

mium virum Parochum Tigurinum, amicum incomparabilem. *Huldaricus Zaſius* J. C. Friburgenſis 1519. Eximium & ſpectatiſsimum virum, *Theologiæ & meliorum literarum ſectatorem probatiſsimum*, Paſtorem Thuricenſem an. 1520. Eximium & ſpectatiſsimum virum, Udalrichum Zinlium, ſacræ Theologiæ & meliorum literarum *primarium profeſſorem*, amicum obſervandum. *Bilibaldus Pirckheimer* Norimberg. 1519. *Summæ præſtantiæ* virum, Turegorum concionatorem, amicum amandum. *Caſparus Hedio, Baſileâ* 1519. *Evangelicum Sacerdotem*, Tigurenſium Paſtorem, obſervandiſsimum ſuum. Egregiæ doctrina, *egregijs, moribus* virum, Thurricenſium Paſtorem *Apoſtolicum*, an. D. 1520. *Evangelicum hominem* ſuum: Virum Apoſtolicum, amicum incomparabilem. *Moguntiâ*, 1523. *Epiſcopum* vere *Apoſtolicum*, apud Tigurinos *Magnanimum crucis Chriſti profeſſorem*. Speculatorem Tigurinum. *VVolfgangus Capito*: Epiſcopum Tigurinum, *Majorem* ſuum 1526. Huldrichum Zuinglium, vigilantiſsimum Epiſcopum Tigurinorum, fratrem ac majorem ſuum: Evangeliſtam Tigurinorum, majorem ſuum. Ulricum Zuinglium, Theologum integerrimum, curatum Turegij apud Helvetios, 1521. Epiſcopum (quod fre-

quentissimum illi est) Tigurinorum: Virum Dei, ac majorem suum 1527. Literarum ac pietatis virum peritissimum: Virum *undecunque doctissimum.* ***Sigismundus Brymm,*** August. Medicus; Evangelicæ veritatis *assertorem dexterrimum.* ***Conradus Gessnerus,*** Sacræ Theologiæ Professorem *non minore morum probitate,* quàm doctrina præditum. ***Hermannus Buschius,*** doctissimum & *humanissimum* virum, Thuregiorum Evangelistam, inprimis *orthodoxum, catholicúmque.* ***Johannes Luithart,*** Basil. Christianissimum, atque doctissimum Ecclesiæ Tigurinæ præfectum in Verbo. ***Bucerus,*** *Fortissimum christi Apostolum,* Huldrichum Zuinglium, colendum præceptorem: Tigurinorum Pastorem *cordatissimum,* Præceptorem observandum. Episcopum Tigurinorum vigilantissimum, majorem suum observandum 1526 *Fortissimumque christi præconem,* amicum & Præceptorem: Ecclesiasten Tigurinorum, *eruditione & pietate* suspiciendum. Clarissimum, *fortissimúmque* Christi præconem, Tigurinorum Pastorem cordatissimum, Præceptorem colendum. Imò, a Chr. 1523. magna *pietate* atque *eruditione* virum, Ecclesiastem Thuregi fortissimum, patronum unicè colendum. *Pientissimum & prudentissimum*

tiſsimum virum; *Dilectum Dei*: Tigurinorum Epiſcopum ſanctiſsimum; *Verè pium* ac eruditum virum, *Helvetiorum Apoſtolum*: Præceptorem obſervandiſsimum: Eximium Chriſti Miniſtrum; *Totius Helveticæ Gentis verum Apoſtolum*, Magnum præconem Chriſti, Huldricum Zuinglium. *Hieronymus Artolbius* Rhætus, Huldrichum Zuinglium Theologum 1519. *Johannes Faber*, Vicarius Conſtantienſis 1519. Venerabilem virum, Udalricum Zingelium, Philoſophum & Theologum, à Sacris Concionibus Turregi: Clariſsimum ac humaniſsimum virum, bonarum artium Magiſtrum, *ac divinæ concionis declamatorem* Tigurinum, amicum ex corde dilectum, 1520. Utriuſque Linguæ doctiſsimum; Tugurici Gregis Paſtorem vigilantiſſimum. *Sebaſtianus Hofmeiſterus*, Schafhuſanus, ſed quondam Lector Tiguri apud Minores 1520. Virum eruditum apud Tiguros Paſtorem. Erudiriſsimum virum 1523. *Johannes Glötherus*, Baſil. 1520. Helvetiæ *totius ornamentum*, eruditiſsimum Eccleſiæ Tigurinæ Concionatorem. *Valentinus Curio* Baſil. 1520. Doctiſsimum, utriuſque Linguæ peritum, Concionatorem apud Turegum facilè primarium. *Hieronymus Frobenius* 1520. Utriuſque Linguæ doctiſsimum,

Do-

Dominum suum omnium mortalium charissimum. *Urbanus Rhegius* 1520. Clarissimum virum, Theologum, Tigurinæ Ecclesiæ Episcopum. Humanissimum virum Udalricum Zuingelium, honestarum artium Magistrum, Theologum, divini verbi declamatorem. *Nicolaus Baling*, virum & pietate & eruditione sum̃a conspicuum, virum *ingenio & industria* præstantissimum. *Alexander Sytz*, Argentin. 1525. Venerabilem virum, & *Ecclesiasten optimum*. *Petrus VVickgram*, Argent. 1521. Christianæ Theologiæ doctum, humanissimum virum. *Balthassar Trachzelus*, Artensis Curatus 1521. Tigurinorum Evangelistam, hominem doctissimum. *Franciscus Cervus*, Glaron. 1521. virum insigni utriusque Literaturæ peritia præditum, eximium Tigurinum Pastorem. Joh. Alexander *Brassicanus*, Eques auratus, Poeta & Orator à Cæsare laureatus, doctissimè doctum, Duregi Parochum, opt. meritum. Constant. 1531. Græcæ & Latinæ literaturæ examussim doctum. *Franciscus Zinggius* 1521. Theologum, amicum charissimum. *Sebastianus Meiger*, Bernens. 1522. Doctissimum virum, Tigurinæ Ecclesiæ Ecclesiasten *constantissimum*. *Johannes Xylotectus*

ctus, Lucern. 1522. Doctiſsimum & amiciſsimum Tigurinorum Evangeliſtam. Chriſtianiſsimum Tigurinorum Evangeliſtam *Joh.VVanner* Conſtant. *veræ & candidæ Theologiæ* doctiſsimum, Tigurenſium Epiſcopum, 1522. *Adam VVeiß*, Parochus in Creilsheime, eximium virum, Chriſtianæ Theologiæ apud Thuricenſes præconem conſtantiſsimum. Eccleſiæ Thuricenſis Concionatorem *Evangeliciſsimum* 1523. M. *Humelbergius*, Ravenſpurg. 1522. Tigurinorum Evangeliſtam. *Joh.Kilchmejerus* Lucer. 1522. Tigurinorum Evangeliſtam. Fortiſsimum Tigurinorum Paſtorem; *Eraſmus Roterodamus Integerrimum*, eruditiſsimum Paſtorem Turicenſem 1522. *Johannes Zuick* Rudling. 1522. Doctum & *candidum* Theologum *Berchtoldus Hallerus* 1522. Bern. Eccleſiæ Tigurinæ ſpeculatorem (Græc. ἐπίσκοπος) Tigurinorum ἐπίσκοπον, virum verè Chriſtianum, ac Theologum. Eruditione ac pietate inſignem virum; apud Tigurinos Evangeliſtam, 1523. Tigurinorum Epiſcopum doctiſsimum 1525. Fidelíſsimum *myſteriorum fidei diſpenſatorem*: Eccleſiaſten Tigurinorum fidelíſsimum & doctiſsimum, majorem ſuum perpetim obſervandum. Probitatis ac *candoris*

doris circumspectum virum; Ecclesiasten doctissimum ac pijssimum. *Melchior Marinus Salodor.* Virum doctrina ac pietate nulli secundum, Christi praeconem apud Tigurum. Virum undecunque doctissimum, apud Tigurinos Evangelistam, amicum incomparabilem 1522. Virum sincerè Christianum 1523. *Johannes Sapidus,* incomparabilem virum, *sanctum* Tigurinorum *Episcopum* 1523. Christianissimum concionatorem. *Jodocus Heschius,* ex Carthus. Ithing. 1524. Virum juxta doctissimum atque humanissimum, Tigurino populo à Sacris concionibus. *Christophorus Sertorius Meminga,* 1525. Clarissimum *christi militem*, Tigurinorum Episcopum. *Joh. Comander* Cur. 1515. *pijssimum* juxta ac doctissimum, virum: pijssimum, ornatissimum, Tigurinorum Antistitem 1529. *Franciscus Kolb,* Bern. 1525. Ecclesiastæ Thuric. Helvetiorum præcipuum: *strenuum militem* Christi 1526. *Guilelmus Farellus:* Argent. 1525. Vigilantissimum verbi Dei Ministrum, Tigurinorum Episcopum. *Sapientem & fidum* dispensatorem verbi 1528. Dispensatorem non minus fidum, quàm prudentem mysteriorum Dei 1531. *Georgius Pontanus* ex Carthus. Basil. *Eruditissimum Scribam*

bam Legis Dei, Tigurinis Eccleſiæ concionatorem famoſiſsimum nec minus integerrimum; 1525. *Urbanus Rhegius* 1525. Turregianæ Eccleſiæ Epiſcopum. *Egidius à Porta*, Comenſis; Egregium Chriſti militem 1525. Eccleſiæ verè Epiſcopum. P. *Gynorianus*, Auguſt. Vind. 1526. Tigurinæ Eccleſiæ Epiſcopum vigilantiſsimum. *Johannes Hanerus*, Francof. 1526. *Venerabilem* in Chriſto fratrem: Celebrem ac perhumanum virum. *Petrus Conzenus* ex Erlenbachio 1525. Chriſtianiſsimum Tigurinorum Epiſcopum *Benedictus Tiſchmacher*, Zofing. 1527. Civitatis Tigurinæ ampliſsimum ac piiſsimum Evangeliſtam, Epiſcopum. *Eraſmus Ritter* Schafhuſ. 1527. *sinceriſsimum* verbi Dei Miniſtrum, Evangeliſtam, Patrem ſuum. *Johannes Frumentarius*, Marpurg. 1527. Epiſcopum Tigurinorum. *Paul. Fagius* Iſenac. 1528. Eximium virum, Epiſcopum Tigurinum. *Johannes Cornarius*, *Zuiccav.* 1528. Et doctrina & pietate inſigniter ſplendidum virum. Et literarum, & Linguarum *omnium doctiſsimum Theologum*. *Alexander Grot*, olim Doctor Philoſoph. Heidelbergenſ. cis Necharum, Hagano. 1528. Turricenſium vigilan.

gilantissimum Episcopum. *Paulus Rhodocomus* Ecclesiast. Rütti. 1528. Tigurinorum Antistitem, Præceptorem suum; Tigurinorum Episcopum. *VVolfg. VVissenburg.* Basil. 1529. Doctissimum, juxtáque pijssimum virum. *Lambertus Meigret*, Orator: nî fallor; Regis Galliarum Helvet. 1530. Eruditissimum dominum. *Marcus Bersius*, Basil. *Fidelißimum* Ecclesiæ Tigurinæ speculatorem, præceptorem suum. *Petrus Dasypodius*, Frouenfeld. Pietate pariter ac eruditione insignem virum, Christum Tiguri prædicantem. *Bovillus*, Vesenii. Episcopum Tigurinorum primarium. J.K. Meils, apud Sarunetes; doctissimum virum, Tiguri apud Præposituram Evangelistam, præceptorem suum. *Erhardus Pfluge*, Moderat. juvenum Lithopoli, Sacræ scientiæ *summum Interpretem*, *Eberhartus Rumlingius*, Bernens. 1530. Integerrimum, semper observandum & amantissimum. *Johannes Cousardus*, Prior vel Abbas (τῶν ἀδελφῶν περὶ τοῦ κοινοῦ ἐπίτροπος) Gandavi, 1530. *divinarum literarum peritißimum*, juxtáque *clementißimum*, Tigurinæ Ecclesiæ γνήσιον ἐπίσκοπον. *Johannes Pherus*, Constant. 1530. *Evangelicæ honestatis vindicem. Henricus Artostomus*, Hizkilch. 1530. Virum pietate

tate & eruditione *incomparabilem. Bartholomæus Millius*, Eccleſ. Biberac. Celeberrimum virum. *Nicolaus Zunckhinden* Bernen.1531. Virum integerrimum, Chriſtique Evangelij præconem doctiſsimum. *Jacobus Amanus*, Tigur. Mediolano, Virum integerrimum pariter ac doctiſsimum. *Otto Brunfelſius*, 1521. integerrimum, atque longè doctiſsimum. *Rudolphus Clivanus*, Lucernenſ. eadem retinet Epithera. *Johannes Dingnover* 1514. Facundiſsimum Apollineæ lyræ moderatorem, *noſtraq; tempeſtatis ciceronem indubitatum*. *Nicolaus Hagerus*, Salodor. 1520. doctiſsimum ac præſtantiſsimum Dominum, Eccleſiæ Tigurinæ Evangeliſtam. *Jodocus Myller* Plebejanus in Cham; Virum literatura ac *morum dignitate longè præſtantiſsimum*, Præceptorem integerrimum. *Felix Myconius*, Tigurinorum Evangeliſtam vigilantiſsimum. *Guilelmus Neſenus* Francof. Clariſsimum virum, Udalricum Zuinglium, Tiguri apud Helvetios Concionatorem verè Chriſtianum. M. *Sanderus* U.I.D. Decanus Wratis lavienſis, virum doctiſsimum. *F. Valentinus de Saxonia*, Profeſſus dom. S. Laurent. in Ittingen: Reverendum ac Sinceriſ-

R ſimum

simum Dominum, Plebanum, conspicuum. *Johannes Oecolampadius*, Basil. Reformat. Udalricum Zuinglium, populi Thuregensis fidelissimum pastorem: Tigurinæ Ecclesiæ, pientissimum, *oculatissimúmque* pastorem: *clarissimum* Ministrum Christi; 1525. *omni virtutum genere clarum, maximéque Christiana literatura præstantem*: Tigurinæ Ecclesiæ Doctorem; 1526. Tigurinorum Episcopum 1527. Ecclesiæ Tigurinæ fidelissimum Doctorem. Huldricum Zuinglium, Tiguri *christum pie ac sinceriter prædicantem*: cùm *pietate*, *tum erud tione primarium Helvetiorum Doctorem*: Ecclesiæ Tigurinæ Christianissimum Doctorem: Zuinglium, Tiguri docentem Christum: Ecclesiæ Tigurinæ *christianissimum moderatorem*: Tigurinæ Ecclesiæ Episcopum, *Præceptorem suum*: Huldricum Zuinglium *pientissimum in verbo & opere Ministrum* Christi; Tigurinorum Antistitem: Tigurinorum μυσταγωγὸν: Tigurinæ Ecclesiæ fidelissimum curatorem: Christum Tiguri *purissimè docentem*: Presbyterum Tigurinum in Evangelij Ministerio *omnium diligentissimum*: Evangelium Christi *feliciter* Tiguri docentem: Christum Tiguri *sincerissimè* docentem. ***Huldricus ab Huten***, Tigurinum Presbyterum, *Evangelistam christianissimum*. ***Dionysius Melander***, TigurinæEcclesiæ

ſiæ Epiſcopum. *Fridolinus Fontejus*. Evangeliſtam. *Johannes Lyechtenburger*, antiqua virtute, & doctrina virum, Latinæ Linguæ doctiſsimum, Græcæ non indoctum. *Antonius Papilio*, Lugd. Amiciſsimum in Chriſto virum, Tigurinum Epiſcopum. *Michaël Vieſtius*, Bremogart. ornatiſsimum virum, Græcæ Latinæque Linguæ peritiſsimum, *Theologorum omnibus modis ſummum*. *Ludodovicus Bovillus*, Schafh. Humaniſsimum virum, patrem ac patronum in Chriſto. *Johannes Jacobus*, Fabarienſis (pfäffers) Abbas 1522. Paſtorem Evangelicum & Fratrem. *Theobaldus Geroltzeggius*, Adminiſtrator Eremitanus, Præconem verbi Dei, fratrem in Jeſu Chriſto: Virum Chriſtianum Hæc de *prima* claſſe; *ſecunda*, teſtimonia quædam luculentiora de Zuinglio, ejus dotibus, ſtudijs, conatibus, exhibet, omnia, quantum mihi conſtat, hactenus ἀνέκδοτα, & ex varijs monumentis Mſſ. eruta. Ex *Helvetijs* confæderatis ut ab ijs initium faciamus; jam an. Chr. 1522. *Sebaſtianus Meiger*, Eccleſiaſtes Bernenſis hunc in modum ſcripſit: *Contrivi miſellus ego dies juventutis meæ infelicibus Scoti argutijs, ubi didici ineptè ac barbarè loqui, more*

Academicorum de omnibus dubitare : Nihilotamen minùs, dubia fortiſsimè clamando, defendere, & cùm loqui ignorem, tacere tamen neſciam. Terret itaque me multiplex tua eruditio, linguarum peritia, ſermo terſus & nitidus, ac diſciplinarum plurimarum potitia. Nec ut te palpem, hæc ſcribo, ſed ut tacita tua & juſta quidem de mea tarditate querimoniæ utcunque ſatisfaciam. Baſileà, Marcus Berſius, Theodorinus, ita ad Zuingl. an. Chr. 1511. *Quis tam divinum pectus maxima benevolentia non amplecteretur, miram & conditam morum facilitatem non exoſcularetur, vitæ integritatem non ſuſpiceret? Ut interim inſignis eruditionis tuæ commendationem eruditis concedam: Et ut uno verbo dicam, in te uno, natura, quid efficere poſsit, videtur experta; & quod ego magis demiror, tantis animi, corporibusque dotibus ornatus; talem te exhibes, ut à philautia totus ſis alienus.* Iohannes Oecolampadius, ex Cheruſcis Winſpergenſis, Baſileenſis poſteà Reformator, amicitiam, ſequenti ambivit Zuinglij Epiſtola; *Ne mireris, quòd antea per Epiſtolam.*

stolam; quàm coràm tecum loqui, & familiarium jure, nondum à facie notus, uti præsumam. Acceptum hoc ferto tuarum virtutum, tuique nominis benevolentiæ, imò Christo ipsi, à quo nimirũ in te destillârunt unguenta hæc. Unde est, ut qui illum vel tepidè amant, siquidem tepidè amari potest, te non solùm ament, sed & amicitia tua diu multúmque frui velle cogantur. Congruit enim in te, tuique similes id, quod de Pantheris ferunt, quòd suo odore omnigenas feras post se trahant. Sumus, ut ajt, alijs in odorem vitæ, alijs in odorem mortis. At tu mihi non in odorem mortis; sed vitæ. Nam dum de te tot prædicantur bona, quæ absque singulari voluptate audire non possum, agnosco meam ignaviam. Et velim nolim animo trahor. me tibi commendem & insinuem, ut tua fragrantia refociller uberius. Quod privatum scribendi argumentum si deesset, esset abundè sat magnum, si gratuler, quod multò maximè facio. Et hoc potissimùm nomine, quòd talem te præstas, qui amari ab omnibus debeas. Aut? quis non amaret eum, qui Chri-

sti negotium tanta diligentia agit ? qui oves suas tanta fide pascit ? Qui lupis tam metuendus est, qui se murum opponit pro domo Israël, qui nobis priscos illos cultores verbo & moribus exprimit. Nam hæc atque multa alia narrantur de te, quibus fidem libenter habeo, & proinde tibi gratulor, gaudeo autem, aliquam è loci vicinitate opportunitatem contigisse, ut cùm nondum vacet coràm loqui, non denegatum tamen est, mei erga te animi propensionem vel qualibuscunque literis declarare. Tu, pro tua humanitate, id officij boni consulas, vel ejus præsertim nomine, qui charitatis est author, & charitas ipsa. Precor Deum, ut spiritum tuum ita locupletet, roboret, accendat, facundum faciat, quo mihi id genus læta nuncia sæpe de te afferantur, imò de Evangelij, Christíque, per te, gloria. Unde ego, licet in eorum numero sim, qui ad sarcinas sedent, sæpe accendar, ut & tibi gratuler, & literis, ut pergas, adhorter. Nam hoc mihi permitto, ut te tantùm applausu inhortari non verear: Perge igitur & vince, non tibi, inquam, nam hoc fortè audire

audire nolles, quia ſcias, non tam noſtra, quàm quæ aliorum quærenda: Vince ergò nobis, vince Chriſto: Fac mi Zuingli, ut Epiſtolio hoc Chriſtianæ cujuſdam familiaritatis jacta ſint fundamenta. Succedit *Caſparus Hedio*, Vicarius tum Theodorinus apud Baſil. qui 1519. ita ad Zuinglium: *Non ſum veritus, ornatiſſime vir, tametſi ἀνθρωπίσκος ἐκτρεόδε meas ad te dare literas, quando tuus ille candor, tua humanitas, omnia ſolet boni conſulere, quæ ab amico pectore, & ſincero proficiſcuntur. Jam diu mihi hoc eſt in votis, ut inter amicos tuos, vel poſtremo loco numerer. Tu ergo voto meo honeſto quidem non graveris annuere. Quòd ſi amicum eſſe me non pateris, patere ut ſim ἡ σκιὰ φίλε. Ita me ineſcavit ſermo quidam tuus, elegans ille, doctus, gravis, copioſus, penetrans & Evangelicus, &* planè talis, qui veterum Theologorum referebat ἐνέργειαν, *quem habebas in locum de paralytico, apud Lucam C. V. in templo Divæ Virginis apud Heremitas ante ſeſquiannum* (luculentum iterum teſtimonium pro ordinis ſive temporis prærogativa)

gativa) *in ferijs Pentecostes. Is inquam sermo ita me inflammavit, ut inciperem Zuinglium arctißime complecti, suspicere & admirari.* Et paulò post 1520. ex eodem loco Ioh. Glotberus: *Ego tui, mi Zuingli, nunquam potero oblivisci. Facit hoc humanitas tua, qua me, dum esses Basileæ, immerentem, indoctum, obscurum, infimæ fortunæ, hoc est, Ludi magisterculum, invisisti: Facit hoc morum tuorum elegantia, suavitásque incredibilis, quæ omnes tibi devincis, etiam lapides, ut sic dixerim: Facit hoc singularis, utriusque Minervæ peritia, quæ sic eminet, ut quæ excellat, dubium sit. Dignare, te mihi esse præceptorem; præbebo ego discipulum, si non idoneum, benevolum saltem.* Illud cumprimis, quod Gandavo scripsit 17. Mart. 1530. *Iohannes Cousardus*, τῶν ἀδελφῶν περὶ τοῦ κοινοῦ βίου ἐπίτροπος, ut subscriptio habet, dignum est quod hoc loco inseratur monumentum: Gratia Domini nostri Jesu Christi tecum, eruditissime ac juxta humanissime Doctor: Temeritatis quidem non imeritò accusabor, quòd, quum homo sim obscurus, & minus quàm nihil sciens; sed tamen discendi cupidissimus, audeam

audeam ad tantum ac tam multis dotibus inſignem virum ſcribere, tibíque meis ineptijs impedimento eſſe; ne gravioribus interim, dum noſtra leges, ac Chriſtianæ Reipublicæ utilioribus ſtudijs, ita ut par eſt, totus poſsis contendere. Verùm, tuam humanitatem quàm obnixiſsimè precor, ut hujus mihi veniam dones. Quicquid enim hujus fit, præ ſincero ergà te amore fit, ſumáque reverentia. Nam poſteaquam tuos, quos hactenus in Dominico ſtadio currens labores exantlâſti; ſimúlque tua ſcripta cæpi penitiùs expendere, uſque adeò tu mihi, imò Dei in te dona placuerunt, ut nullis poſsim omnino verbis conſequi. Et quantumvis Eraſmus, Lutherus, aliíque paſsim tua vellicantes, te mundo exoſum reddere, authoritatémque tuam elevare contendant; tamen adeò nihil omnibus machinis, omnibúsque injurijs, efficere potuerunt, ut etiam multis hîc viris pijs haud dubium, quin & per totum orbem plurimis, longè commendatiorem, chariorémque reddiderint: Ita nimirum Deo illorum maledictiones vertente in benedictiones, ut quod in verbi Miniſterio felicibus cæpiſti auſpicijs, feliciore fine conſummes: quandoquidem non tam hominum, quàm Dei, omnium hominum Conditoris, res agitur. Proinde, Domine

ne observandissime, etiamsi nullo opus habeas monitore, ut qui huc ultrò totis nervis incumbas, divini spiritus ductu & Magisterio doctus, non possum tamen mihi temperare , quin te per omnia divina & humana obsecrem & obtester, quo id, quod in propugnando Eucharistiæ negotio, & Esaja complanando, Deo authore, aggressus es, constanter in alijs quoq; divinę paginę libris pergas absolvere, reclamantibus quantumcunque adversarijs. Æstimari non potest, nedum dici, quantum à Deo bonorum omnium largitore gratiam initurus sis , si illa quinque talenta ab eo accepta tanquam fidelis Domini servus, ad usuram, hoc est, proximorum & fratrum utilitatem erogare studueris. Quis, precor, eloquatur, quantum lucis tua nobis scripta ad sacrarum literarum intelligentiam contulerint , inter quæ dolemus admodùm multa esse tantùm Germanica, eáque præcipua, quibus nobis ægerrimè carendum sit. Profectò, si nosses, quàm gratam omnibus Christi fidelibus & vestræ linguæ ignaris rem facturus esses, quæ per te, Johannem Oecolampadium, virum optimum, aliósque Symmystas Germanicè sunt edita, per Gasparem Megandrum, aut Leonem Judæ (qui farragines annotationum tuarum in Genesin, Exodum, & utramque ad

ad Corinthios Epiſtolam Latinitate donârunt) aut alios Latina fieri non gravatè curares: Nam tibi hanc vertendi provinciam minimè obtulero, ut quem non ignorem longè majoribus eſſe occupatiſsimum. Scripſiſti ante annos aliquot (ut ipſe in Exegeſi ad M. Lutherum teſtaris) dilucidam expoſitionem verborum; Hoc eſt corpus meum, ad eundem. Item ad illius Confeſsionem reſpondiſti Germanicè, cui reſponſioni Oecolampadij quoque reſponſio conjuncta eſt. Eſt præterea ordinatio quædam ceremoniarum per vos in Eccleſia Tigurina facta, de baptizandis infantibus, contrahendo matrimonio, ſumenda Euchariſtia, habendis concionibus, & defunctorum memoria. Ad hæc & ejuſdem Oecolampadij Epiſtola ad M. Lutherum de Suevorum Syngramate, cui etiam Germanica reſponſio adjecta eſt ad Syngramma, hæc, inquam, omnia & fortè plura, quæ nondum aut videre, aut audire de ijs licuit, ſi dignareris curare, ut nobis quoque recognita & expoſita fierent, rem faceres omnium longè gratiſsimam. Equidem multa è tuis, quæ hactenus magno cum timore ob perſecutiones nanciſci licuit, cum magna nihilominus voluptate, ſed neque minori fructu legi: atque non ita dudum oblatus eſt mihi libellus ſanè quàm

quàm disertissimus de Providentia Dei ad Illustrissimum Cattorum Principem. In quo legendo ac identidem relegendo tantum voluptatis & solidæ eruditionis cæpi, ut nihil supra. Tam dextrè enim ac nervosè cuncta, quæ sub Sole sunt, divina Providentia fieri gerique colligis, ut nullo mihi videatur pacto posse contrarium adseri &c. *Hæc Præsul ille.* Dubiorum postea quorundam solutionem petit, responsionémq; urget, ita tamen, ut nullibi nominis sui fieri velit mētionem, *propterea* (verba viri docti sunt) *quòd hîc usq; in hodiernum diem, non dicendis modis adificiantur, qui vobiscum aliquid notitiæ aut commercij habere deprehenduntur. Quare sat fuerit mihi, magníque beneficij loco ducam, si tuis modò obsignatis literis visitari merear. Denique, ne multis tibi molestus sim, sed his meis ineptijs, colophonem addam, iterum te atque iterum, optime Domine, per Christum, qui omnibus ex æquo prodesse studuit, obtestor, ne hanc meam audaciam gravatè feras, aut etiam preces meas contemnas, qui alioquin de quibusvis simplice ac sincero animo discere cupientibus, bene mereri solitus sis. Testis est*

est mihi Deus, certissimus καρδιογνώστης, hæc me animo minimè malo, sed tui, omniúmque Symmystarum amantissimo, scribere. Equidem adversarij odio te prosequuntur internecino, ego autem te cum alijs non paucis sic exosculor, sic suspicio, sic veneror, quasi si mihi Pater sis; sic, quæ scribis, amplector, ut authoritas tua mihi sacro sancta sit: Et quantumvis illi te, de se bene merentem, calumnientur, sic tamen nullum habent apud me pondus, ut te reddant longè chariorem. Nam invidiam & φιλαυτίαν, pessimos consiliarios, illis in consilium adhiberi, tam est manifestum, ut nullo id pacto inficiari possint, hoc nimirum scriptis illorum nihil obscurè testantibus. Quod reliquum est, Doctor eruditissime, Johannem Oecolampadium, Sanctissimum Dei hominem, in Christo salutes, qui te cum ipsis in multos annos, ad Dei gloriam ac fratrum ædificationem servet incolumem. Ianus Cornarius, Zuiccaviensis Medicus; sedem Tiguri an. Chr. 1528. quæsiturus, ita ad Zuinglium: *Ea sunt, insignis illa, jam multis annis, apud multas etiam nationes prædicata in literis omnibus ac linguis eruditio, deinde studium*

pietatis

pietatis, in quo planè triumphas. Nam etsi sunt hodie non pauci, qui & in literis & Linguis adsequendis egregiam navârunt operam, videas tamen ferè nescio quò earum usum à plerisque referri, nimirum ad ostentationem, ac vulgaris auræ aucupium. Rectissimè, tu, optime mi Zuingli, facis, quòd eo omnes nervos intendis, ut quamplurimos in sincero Christianismo integrè imbuas, ac Domino lucri facias. Luculentum cumprimis est *Stephani Micani*, Poloni judicium, Bononiâ 1543. perscriptum: *Zuinglij opera, quanti venderentur, scire cupio. Iste enim author præ omnibus (non paucos tamen legi) lucem sublimem ingenij, & eruditionis, nec non pietatis ostendit. O divinum Virum! O excellentiam ingenij & eruditionis! Laudem meretur ultrà, quàm dici potest. Ab omnibus ferè, ab omnibus Italis fratribus probantur ipsius scripta. Et libenter omnes ipsi assentiuntur. In Eucharistia multi sunt Lutherani; multò autem plures, imò ferè omnes cum Zuinglio, & vobiscum sentiunt.* *Ambrosius Blaurerus* an. Chr. 1529. *Frater meus gratias mecum agit pro*

pro Chriſtianiſsimo ſimul, & eruditiſsimo munere, Iſaja tuo: Tuo, inquam, quippe qui tuo beneficio Latinis nunc planè Latinè & eleganter, ſimul autem & dilucidiſsimè loquitur. Balthaſaris Fontanæ, Carmelitæ Locarnenſis verba ex Epiſtola ad univerſam Chriſti in Germania Eccleſiam ſunt: *Lachrymoſis ſuſpiriis degentes in tenebris, obſecramus humiliter, ut præcipuè omnia opera di*vinisſimi Zuinglij, *famoſiſsimi Lutheri, reſolutiſsimi Melanchtonis, accuratiſsimi Oecolampadij, ſolertiſsimi Pomerani, illuminati Lamberti, ingenioſiſsimi Veleni, elegantiſsimi Brentij, acutiſsimi Buceri, ſtudioſiſsimi Leonis, vigilantiſsimi Uteni ad nos pecuniis noſtris* mediantibus *tranſmittere dignemini.* Famigeratiſsimus Angliæ Epiſcopus, & Martyr conſtantiſsimus, *Johannes Hoperus* ſuam quoque converſionem, organicè, lectioni comentariorum Zuinglij & Bullingeri acceptam tulit Pſalterium etiam illius adverſarijs ita placuit, ut, ſuppreſſo nomine, Lucernæ & Lugduni fuerit impreſſum. *Hoperi* verba, ad Bullingerum *Sanctæ Eccleſiæ Tigurinæ Antiſtitem optimè meritum*, ita habent: Non multos ante annos,

nos, cùm in Aula Regis nostri, aulicus aulicè plus satis vixerim, ornatissime Domine, & frater in Christo dilectissime, tùm fausto & felici omine mihi obtulerunt sese quædam opera D.Huldrici Zuinglij, eximij viri, piæ memoriæ, & comentaria in Paulinas Epistolas, quæ tua humanitas, felicissimè universo orbi dextrè innotuisti, in perpetuum tui nominis monimentum duraturum: Ista egregia Dei dona universo Mundo per vos exhibita, negligere nolui, cùm in ipsis præsertim de animæ meæ salute, felicitateque perpetua seriò agi videbam. Omni itaque studio & velut diligentia quadam superstitiosa, noctes atque dies operam vestris scriptis navare, operæ pretium fore, duxi. Nec labor iste mihi unquam molestus in ea re fuit. Nam postquàm excessi ex Ephebis, & patris clementiâ liberius vivendi fuit potestas, cultu impio & quovis genere Idololatriæ (Majorum æmulatus impietatem) Deum prius cæperàm blasphemare, quàm quid Deus esset, rectè cognoveram. Inde tamen Dei benignitate liberatus, quod Deo & vobis unicè acceptum fero; jam nihil restat, quod ad reliquum vitæ meæ & ultima fata spectat, quàm ut Deum pura mente colam. *Hæc ex Hoperi archetypo.*

Super-

Supereſt, ut *tertiò* monſtremus, *tot elogiorum cumulum, pleno horreo Zuinglio adſcriptorum, ne quidem Adverſarios latere potuiſſe.* Neque enim diffitentur, propterea maximè factum, ut tanta apud Helvetios polluerit authoritate. Extat tum de alijs rebus, tum de clade Capellana Epiſtola *Benedicti* Accoltij ad Sadolet. in Epiſt. Sadol. l. 6. 7. Id. Decem. 1531. Roma ſcripta; pag. 298. *Zuinglius primus ad Helvetios attulit peſtifera Lutheranorum dogmata: eiſque ob ſingularem, quâ maximè inter Helvetios florebat, opinionem virtutis, doctrinæ & ſapientiæ, aſſiduè imperitorum animos imbuebat.* De hac Zuinglij apud Helvetios exiſtimatione diſertè locutus eſt F. *Jodocus Heſchius,* Ittingenſis Carthuſianus, avitorum inſtitutorum & Sacrorum ſatis tenax. *Vis planè dicam Huldrice, frater in Chriſto chariſſime, quid & de Te, & tua doctrina ſentiam. Dicam liberè, ſunt in te, mi Zuingli, dotes, à quibus nihil non expectare debebat Helveticus ager; ingenium ardens, vividum, ſolidum, maſculum: memoria ampla, præſens, promta: Animus dexter, & ad omnia verſatilis: Lingua vocalis & expedi-*

3. claſſis.

pedita, quibus nimirum virtutibus, si sana doctrina accesserit, ab Orthodoxorum Patrum sententijs, & Ecclesiæ consuetudine nihil diversa, futurum esset, ut te non tam Tigurini, quàm totiùs Helvetici agri unicum & perpetuum decus salutaremus &c. Accedit testimonium sacrificuli illius, qui cùm disputationi Bernensi interfuisset, inter alia ad Moguntinum quendam scripsit: Zuinglium, eruditione sua, spem superâsse: *Doctior hæc bellua est, inquit, quàm putabam.* Ita de Zuinglio impudens sophista. Sed & Eccio hinc inde plura excidisse videntur apud exteros, quàm in Helvetia ipsa, Zuinglio cessisset. *Petrus Conzenus* ad Zuingl. 1524. *Tu qui sis, ampliùs ignorare non debeo, postquam Eccium ipsum de te verba sua resonantem audivi.* Quid, quòd fama & nomen Zuinglij, adhuc Glaronensis Plebani adeò non fuerit obscurum, ut etiam eo nomine in numerum *Accolitorum Cappellanorum Sedis Romanæ* fuerit receptus. Instrumentum receptionis ex originali ita habet: Anthonius Puccius Subdecanus Ecclesiæ *Florentinæ*, Cameræ Apostolicæ Clericus, ad *Helvetios magna liga veteris*, superioris Alemanniæ, cum potestate Legati de latere

latere Nuncius Dilecto nobis in Chriſto *Vldarico zuinglio* Rectori Parochialis Eccleſiæ Villæ *Glaronenſis* Conſtantienſis Diœceſis, Sanctiſsimi Domini Noſtri *Papæ*, & Apoſtolicæ Sedis *Accolito Capellano*, ſalutem in Domino ſempiternam. *Virtutibus clarens* & ***meritis, ſicut experientia,*** & famæ laudabilis ***teſtimonio*** cōmendaris, illam in Domini Noſtri Papæ, & Apoſtolicæ ſedis conſpectu gratiam meruiſti, ut perſonam Tuam *literarum ſcientia* præditam, paterna benevolentia proſequentes, illam juxta facultates nobis à prę fato Domino noſtro Papa conceſſas, ſpecialis honoris titulo favorabiliter attollamus. Ut igitur in effectu percipias, quid ſuggerit noſtræ menti affectus, Te qui in *artibus magiſter* exiſtis, pręmiſsorum ***meritorum tuorum intuitu extollere,*** ac ſpecialis *honoris titulo*, ac pręrogativa decorare volentes, Téque ***à quibusvis excommunicationis***, ſuſpenſionis, & Interdicti, alijsque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa ſatis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes tuis in hac parte *ſuppli-*

cationibus inclinati, Te, in Domini Nostri Papæ, & Apostolicæ *sedis Accolitum Cappellanum* authoritate Apostolica, nobis per *sanctissimum in Christo Patrem*, & Dominum Nostrum, Dominum Leonem, divina providentiâ, Papam Decimum concessa, & qua fungimur, tenore præsentium recipimus, & aliorum Domini Nostri Papæ & *sedis hujusmodi Accolitorum Capellanorum numero*, & consortio favorabiliter aggregamus. Tibi nihilominus concedentes, ut omnibus & singuli, *privilegijs, prærogativis*, honoribus exemptionibus, gratijs, libertatibus, imunitatibus, & indulgentiis, quibus alij Domini Nostri Papæ, & Sedis *hujusmodi Accoliti Capellani*, utuntur, potiuntur, & gaudent, & uti, ac potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeas. Non obstantibus *Constitutionibus, & ordinationibus* Apostolicis, cæterisque, *contrarijs quibuscunque*. Sic igitur de *bono in melius studijs* virtutum intendas, ut in præfati Domini Nostri Papæ, & nostro conspectu ad majora te semper constituas *meritorum studijs digniorem*. Ipséque Dominus Noster Papa, & nos ad faciendum Tibi uberiorem gratiam & honorem

rem meritò arctius invitetur. In quorum fidem has præſentes *fieri , noſtrique ſigilli conceſſimus*, & fecimus appenſione comuniri. Datum *Turegi*, Conſtantienſis Diœceſis, Anno Incarnationis Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Decimo octavo, Kalen. Septembris, Pontificatus Domini Noſtri Papæ Anno ſexto. Atque hæc de Elogijs, Zuinglio ὅλῳ θυλάκῳ concesſis, ubi & notandum. 1. Hæc vota non domi tantùm, ſed in remotisſimis regionibus pleraque nata. Nec 2. emendicata, aut flagitata, ſed honorificè oblata. Valde denique Emphatica, ut nihil vel ad exprimendam eruditionem abſolutisſimam, vel morum probitatem integerrimam, vel regiminis Eccleſiaſtici prudentiam exquiſitisſimam deſiderari posſit, quod Zuinglio optimorum, imò ſæpe hoſtium conſenſu, non fuerit tributum: Ut vel hinc haud obſcurè appareat, Zuinglium vocationis legitimę characteres habuiſſe, qua de re pleniùs capite ſequenti de *Reformatorum vocatione*.

V. Tot elogijs Reformator Zuinglius toto propemodum orbe Europæo clarus, ſummam ubique obtinuit authoritatem. In literatura politiori,

Ei veluti [a] Reformatori, dictaturam multi & Arbitrium deferebant; unde tamen prima [b] imperiticleri odij, in ipsum semina. In Theologia & meliora ab ipso, quàm seculi ferebat vitium, expectabant, & oblata, grata manu [c] accipiebant: In ipsius eximijs dotibus multum [d] præsidij optimi quique collocabant: quamlibet adversitatem, undecunque ei illatam, Reipublicæ Christianæ perniciosam [e] existimantes. Unde & amicitiam ejus doctissimi & remotissimi quique solicitè [f] quærebant, inventam religiosè [g] colebant, dissensum ab eo [h] molestè ferebant. In rebus dubijs, & arduis, non Ecclesiasticis tantùm, sed & alijs, veluti *oraculum* [i] *consulebatur.* Hujus verò authoritatis luculentissima non per Helvetiam [k] modò; sed & [l] Germaniam [m] Galliam [n] Italiam, [o] Belgium extant documenta quæ evidentissimè probant, Zuinglium coram Deo & homine invenisse gratiam, quod ipsum in magnis

Dei

Dei ſervis Scriptura ſacra commendat.

Tradit hic Canon A, *zuinglium literaturæ politioris fuiſſe Reformatorem.* Id quod probant A. *Tot diſerta teſtimonia*, quæ noſtræ fidem facere poſſunt aſſertioni. Opportuna ſatis eſt Eraſmi Fabricij, Lithopolitani Presbyteri, Archidiaconi poſtea Eccleſiæ Tigurinæ, ad Zuinglium an. Chr. 1518. ſcripta, Epiſtola: L. Sylla, cognomento Felix, *(ita ille)* cùm ſemel à civibus ſuis rogaretur, quòd ſuæ felicitatis maximum monumentum judicaret; Is; cùm Athenarum urbem (perindè ut omnium doctrinarum parentem) abs ſe incendio ſervatam, tum Metelli Pij, integerrimi civis amicitiam eſſe reſpondit. Præclara profectò, aureóque lapillo notanda ſententia, in homine alioquin peſsimo, truculento, ſanguinisque ſitientiſsimo: Qui non parùm tamen, quibus amicis quis utatur intereſſe eſt arbitratus. Nam, quàm rem locupletior gratiæ uberiores ve fructus comitentur, nec ipſe video. Quid enim, mi Ulderice, in vita eſt cõmodius, quid jucundius, quid denique magis neceſſarium, ut Dij me bene ament, haud comperio. Eo igitur Empedoclem noſtrum nequaquam abs re litem & amicitiam Naturæ columnas aſſeruiſſe

A. zuinglius Literaturæ reſtaurator.

ruisse contenderim: Quandoquidem hominum discordia nihil turpius, nihil pestilentius: Atque eorundem ὁμοφωνία nihil pulchrius, nihilve mage frugiferum. Unde si ita est, nobis quoque operæ pretium visum fuit, ulnis eam, manibúsque ambabus, amplecti; ne vel Græcorum instar (qui egregiè de virtute disputantes, digitulo verò neutiquam attingunt) censeamur. Adde, num vel eo quis videbitur insanior, qui, cùm quòd in alio damnat, ipse pronus irruit. Sed ne lenti unguentnm addere videar, neve diutiùs næniis nostris, subsellulariisqne verbulis delicatissimas aures tuas demorer, quid affectem intellige. Mensibus jam aliquot elapsis, cùm; ut sæpe fit; Lithopoli otiosus aream circumeo, ad Bibliopolam fortè, quid novorum operum venum poneret, scrutaturus appello. Is mox, ut secum verba fecissem, Glareani nostri εἰσαγωγὴν in condenda carmina obtulit. Ego sanè multa onustus lætitia aliquandiu libellulum (ut soleo ejus lucubrationes nonnisi magna patriæ nostræ congratulatione, amore quoque & studio sui nominis amplecti ac exosculari) sæpius manibus identidem retracto: Spémque illam jam dudum conceptam dum longius moror, ardentiorem reddo: Apertis deni-

denique folijs, Elegias quaſdam appendices offendens, magis corculum ſubſultat meum: Inde fit, cùm eaſdem Zinlij cujuſdam (nomen profectò mihi tunc prorſus ignotum) ſplendore patrociníoque emanâſſe pellegerem, Antigerio quàm ſolicitus, Johannem Taurenum, optimum congerronem meum, num virum noſceret, adeo. At iſte, morbone vel gaudio correptus, diu conſtrictis faucibus titubans (validiſimo ſui in Te amoris indicio) tandem, Is, dicit, is eſt, de quo toties comentor. Is eſt (NB.) quem ſolum extra omnem Helvetiorum aleam ſepoſuimus: Is eſt, ajt, denique, qui primus apud ſuos bonas literas plantâvit; quique ſingulari ſit & doctrinæ, & morum venuſtate inſignis. Studia Tua ſic laudo, ut nec poſſim, nec minus velim. Enitendum itaque erit, ut exploſa tandem barbarie Helvetica pubes Latinè diſcat loqui: Quanquam & Græcari non minùs neceſſum foret. Qua quidem in re Glareanus noſter una tecum (ne dicam quanta cum laude: At certè magno fructu) plurimum laboris videbitur, ſi vel ab incepto (uti vix crediderim) non deſtiteritis; vel continuis vigilijs veſtris ad æmulationem provocare non horreſcatis. Ago igitur juventutis hujuſce titulo grates Deo Opt. Max. Deinde vobis: Poſtremò ſeculo

nostro, quo nasci contigerit, cujus ingenijs non modò veteres æquare, sed & superare possimus. O utinam umbræ vestræ accederem, Vale, terræ nostræ fulgur, atque decus splendidissimum &c.

2. *Eidem absolutissimæ eruditionis tribuerunt encomium.* Id quod & suprà allata, & sequentia probant documenta. *Alexander Brassican.* I. C. 1523. Constant. Cùm nuper Constantiam venissem, Eruditissime Zuingli, reperi Epistolam quandam tuam, ut amicam, ita & amicis omnibus exhibendam. Quam cùm integram perlegissem (nimirum ita tibi deditus, ut summa cum attentione, quicquid ex officina Tua prodierit evolvam.) Admiratus tum ingenij tui dexteritatem, & judicij non vulgaris integritatem inæstimabilem. Et *jam antea,* 1521. Comittendum minimè duxi, quin ad Te scriberem, virum adeò doctum, doctísque omnibus tam egregiè faventem. Quòd si cuiquam Zuinglius assiduè versatur in ore, certè is est Brassicanus, Zuinglij Encomiastes perpetuus atque adamantinus. Patruus meus D. Ludovicus Brassicanus te mirum in modum laudat atque veneratur. Non minore canali Te Faber noster, Doctorum omnium asylum commendat. *Valentin. Scudus,* Glaronens.

Qui

Qui ſit acrioris in enodandis authoribus ju dicij, vidi neminem. Adeò enim cæteros omnes ſuperas, ut nec Apollini (ſi ita dicere liceat) cedas. Nec illo ſolum palmam præripis: Integritate quoque vitæ omnibus præſtas, ut ne Momo quidem relictus ſit locus. *Vrbanus Regius* 1519. Conſtant. Ego à Mæcenate meo Johanne Fabro dudum acceperam, virũ quendam, impendio doctum, verbi divini declamatorem eſſe Turegi. *Iohannes Lyechtenburger*, Baſil. Quotiescunque mihi in mentem venit & liberrima eminentia Tua, Humaniſsime vir, qua & literis præſtas, & moribus, toties me ipſum ſatis mirari non poſſum. Nempe in quo Veneres omnes, omnes charites ex ſolido ſitæ ſunt vivúntque ipſiſsimæ: Cujus cum rara doctrina humanitas contendit juxta ac integritas.

3. *Cùm eſſet admotus ad occupatiorem curam animarum, eo nomine, quòd verebantur, ne cum humanioribus literis faceret divortium, non ſatis æquo animo nonnulli ferebant.* *Ioh. Iacobus à Lilio*, Lucernenſ. Lutetiâ. Certior factus nuper à Glareano Poeta noſtro, quem & ſuſpicio & amo, Sacerdotium Te apud Tigurinos, ſucceſſorémque ex animi tui ſententia conſecutum. Præ gaudio vix me ipſum cepi. Gratulor itaque Tibi,

bi, gratulor populo Tigurino, invideóque pariter. Quòd tu tacita quadam spe lapsus, cùm Te majoribus negotijs distractum, amiculis tanto tui studio flagrantibus minus vacare posse verear. Vale humanitatis ac doctrinarum specimen. 4. *Eidem, veluti Medico, morbos libenter detexerunt.* Memorabilis planè est *Epistola Valentini Scudi,* Lutet. 1518. ad Zuinglium scripta: Indies video, quibus in umbris juventus Gallica deliteat, quibusve magis, quàm frigidis, quàmque scurrilibus juvenum animos imbuant, imò inficiant. Non enim venenum æquè præsentaneum, quàm hæc sophistica (loquutulam hanc ac cavillatoriam inquam) bestifera est, pestiferam dicere volui. Quin bestifera. Feras enim, bestias, atque ijs etiam immaniores ejusdem Mystas cerneres. Judicium ipsis ademtum: Sensus obstipati, atque, quod ajunt, mucco obsiti. Ingenij acumen obtusum, nec quicquam in eis de homine. Perinde ut in Echo, nihil remansit præter sonum inanem, quem ipsi tamen tam prodigè, tàmque effusè depromere, ut nec decem mulierculæ, quæ naturâ ipsâ impendio loquaciores uni Sophistæ adæquari queant. Longè hîc alij sunt, quàm Tu aut Viennæ, aut Basileæ unquam videris, qui si huc venirent, cum pue-

ris

ris denuo diſcere cogerentur. Non vel tantillum elabitur temporis, quo paulisper remiſsis alijs negotijs intenti ſint. Totum matutinum his nugis addictum. Cùm prandendum, cùm cœnandum, cùm animi refocillandi gratia deambulandum, ſum̃um id Gymnaſium eſt, ſum̃a cura. Quid multa? Integram dieculam in his conſumunt. Credo etiam, cùm orandum, eos cum Deo ſophiſticè agere, ac eum argumentis convincere conari. Quos haud absque magna argutia Præceptorem noſtrum olim Gymnoſophiſtas appellitare memini, quòd omnem exuerint ſapientiam, atque ab ea nudi agant. Quàm quidem ingenioſi in veris vocabulorum Etymis perquirendis? Eſt hic in ſuburbanis Divi Germani Templum, in quo olim eos Iſidem coluiſſe, fama obtinuit. Sunt quidem certa adhuc Antiquitatis veſtigia. Huc cùm aliquando recreandi animi gratiâ perveniſſemus, aderat forte ibi Gallus quidam: Hic, cùm caſu quodam de Parrhiſijs mentio incidiſſet, ita ejus Etymũ explicabat. Pariſius (ut ipſe nominabat) inde dictus, quod eſt παρὰ καὶ ἴσιος, hoc eſt, juxta Iſidem. Interpretationẽ hancin Collegio credo quodam ab anxijs illis Philoſophaſtris añotaverat. Utinam videres Theologos, qui, columna fidei, ſcilicet! tam pueriliter ſuis quæſtionibus delirantes.

Demo-

Democritus certè in his, quàm Momus esse malles: Magis enim ridendi, quàm reprehendendi, cùm nullis rationibus persuaderi queant. Vah, quàm miseris modis bonum Sortem agunt! Hic eum cruci delegat, ille ad Minoem; alius ad Gemonias scalas: Nunc judex statuitur, nunc causidicus; Paulò post Dux exercitûs, atque etiam Rex. Porrò eum ex Rege deinde lictori, ut vapulet, tradunt. Ita varia ejus fortuna. Nec Pluto vel tantillum ea prosperiore utitur, ijsdem supplicijs addictus, talibúsque honoribus decoratus. At ipsi nunc dictis ita procacibus mutuo se impetunt, ut conflicturis interdum similes appareat. Elata nunc voce etiam ad ravim úsque digladiantur, ut quandoque in assistentium strepitu explodantur, voces suas, media in arena amissuri videantur. Copiosiùs rideres, si quæstiones ipsas adeò subtiles, adeò denique magistrales cerneres: Profectò (ut Proverbio dicam) τὶ ταῦτα πρὸς ἔρχην, aut quid hæc ad Christum? At, quod stupidius, Hieronymum, Augustinum, Ecclesiæque Doctores vigilantissimos, ne hili quidem faciunt; ac contemnunt. Acceptissimi, magníque nominis apud eos sunt Joh. Majoris, Altisiodorensis, Durandus, & quidam his etiam indoctiores: Quos instar oraculi

culi colunt: Quorum quid aliud nomina, quam barbariem, opus inconditum indoctum, ac argumentoſum, prima, quod ajunt, fronte promitterent. At nunc me recipio. Hæc de ſtudio Parrhiſiano. 5. *Studioſi, Helvetij cumprimis, & illi maximè placere ſtuduerunt, favori ejus ſe inſinuârunt; ſe ſuáque ſtudia commendata voluerunt; hunc Arbitrum, Mæcenatem, Intercesſorem apud parentes, ſuperiores conſtituerunt.* Ex *Tigurinis* lectisſimus 14. annorum occurrit juvenis *Burchartus VVirzius*, qui ſemel atque iterum eas ad Zuinglium dedit literas, quæ & ſupra ætatem erant, & ſeculi barbariem. Fortè, ut quid olim etiam juventus noſtra tentârit, conſtet poſteritati, non erit abs re, ſi unum atque alterum diligentiæ ſpecimen eruamus. *Ecce ut nugigerulus hic iterum te nugis obtuſum veniat! Quin tu huic ſemel jubes, ut una cum iſtis nugis abeat, quò dignus ſit. Atqui, ſat ſcio, te non in nugigerulum hunc, ſed potiùs in me puerum tam temerarium, tam audaculum collaturum; ut qui auſim, imò, quem non pudeat Te virum occupatisſimum interpellare, nugáſque obtrudere nugacisſimas. Sed quid facias puero de te bene mereri ſtudenti? Si-*

lentium

lentium impones? Sic nec bene de Te, nec malè mereri potest. Aut non respondebis? Ne sic quidem fortasse valde bene de Te merebitur, cùm nesciat, an gratum faceat tibi, viro tanto, munere (quo fungeris honestiss.) Evangelico occupato. Age, mi Zuingli, per pueriles nugas meas, studium tuum pertinax nequaquam impediri debet; quin potiùs, si scirem, tuo studio vel minimam horæ partem per me, & meas hasce detrahi nugas, tacerem perpetuò. Etenim, apud me non minimi commissi loco habetur, studia alicujus, præcipuè sacra impedire ac morari. Exemplum cepi à Jacobo, Præceptore meo, mihi charissimo, qui citiùs, quàm à studijs impediri pateretur, pugnis bene cædi præoptavit: Adeò sacra res illi studium, adeò rursum ab illo retrahi detinerique peccatum esse videtur. Sed jam mihi videre videor ut satis obtuderim te, mihi benignissimè auscultantem: Idcirco Epistolium meum puerile hoc claudam. Vale Basileæ 1521. ætatis verò meæ 14. Dubitasse videtur ipse aliquandiu Zuinglius de masculo juvenis stylo, prolixâ igitur Epistolâ hoc

agit

agit, ut perſuadeat Reformatori, proprio Marte adornatum; quod hactenus ad ipſum exarâſſet. *Eloquens omnino mihi videor, & planè aliquis, ſi Te vi quadam perſuaria adegero; Ulriche, ut credas, meas fuiſſe, meóque excogitatas ingenio literas, quas per aliquot jam menſes meo nomine ſcriptas accepiſti. Miror itaque, quid Jacobum Praceptorem meum per literas quæſieris, quiſnam nomine meo adeò ſæpe ad Te ſcribat: Quaſi verò egò, interim, dum Baſileæ vel ſola ſtudij causâ ſum, non tantum in literis profecerim, ut vel Epiſtolium, quantumvis leve, quantumvis exiguum, quantumvis deniq; humile ſcribere queam. Mihi crederes velim, Ulriche, me mihi meiſque parentibus inutilem filium futurum; ſi hactenus non profeciſſem tantundem, ut etiam ſine cortice, quod ajunt, nare queam; ſi ſic vel caſu contingat, vel neceſſitas omittat.* Cætera, brevitatis ſtudio, non citamus. Erant & duo fratres *Conradus & Leopoldus Grebelij*, qui multum præſidij in Zuinglij collocabant amicitia. Eam auſpicaturi ita ſcribebant Viennâ 1517. *Literas tuas ut minus expectavimus, à viro ſcilicet & tanta*

authoritatis, & tam monstrabilis doctrina inter Helvetios; sic desiderio immenso accepimus. Atque non secus gaudemus; ac si copia cornu lacque Gallinarum misisses: Accipiant alii ab amicis divitum dona regum, dummodò chartaceas illas tuas opes: quas (ut omnia faventibus Musis tractas) Tuo Conrado Zuinglius mittere non desinas. Ex quibus, præter Zuinglium, exquisitæque nitorem elegantiæ, fidúmque amicitiæ testimonium; ad mansuetiorum literarum studia alacriùs, acriúsque calcar habebimus. Vale inclytum Helvetiæ decus.

Redux postea *Cunradus* in patriam 1518. ità Zuinglium ex Eremo Tigurum invitavit: *Semel auspicatus es inter nos amicitiam certè non dissolubilem; sed cùm longè à Te dissitus inter Pannones cum Vadiano Præceptore meo, viro; paucis dico; clarissimo; agerem. Eam ego denuò commodiori argumento restauravero, jam apud Tigurinos, hoc est, meos degens. Veni enim cum præfato illo viro, totius Helvetiæ lumine ab Austriacis ad Gallenses usque profectus, Ejusque jussu (cur enim rogatu Præceptoris tanti, tam docti, tam bene*

de

de me meriti dicerem) Pomponium Melam commentarijs ſuis, ut ipſe judicabis, optimis illuſtratum, ad Te, unà cum Epiſtolio mitti curavi. Curavi præſertim, quod non tenuis gloriola mihi inde ſuboriri videretur, ſi tanti viri exemplar, ad tantum virum, mea ſcil. induſtria, mitteretur. Hæc nimirum unica anſa literulæ meæ qualescunque (ut me doctos, tui inquam ſimiles viros, amicitiaque idoneos cultores unicè obſervare animadverteres) dari debebant. Vadianus ille meus, non Præceptor, non vir undecunque doctiſsimus, ſed juratiſsimus amicus, venturum ſe ad nos, pollicitus eſt: Vellem itaque ut Tu quoque venires. Sic enim trium virorum, Myconij, Zuinglij, Vadianique conſpectu aliquandiu poſſem refici. Glaronenſes cumprimis, qui magno tum temporis numero humaniores literas coluerunt, Henricus Loritus Glareanus, Petrus & Valentinus Scudij, Anienus, Herus, Cervinus &c. authoritati ejus & commendationi multum tribuerunt. *Henric. Lorit. Glarean.* 1510. Colon. Hæc res ita me movet, ut Baſilicam urbem, ubi clariſsimi fontes, cibuſque melior, quotidie ſomniem: Ea

 lege,

lege, ut lectio mihi Philosophica in via seu secta Scoti daretur; cujus doctrina luculentior & verior Neoteritorum de termino figmentis atque nugaculis. E nostra verò regione, qui me plus juvare & velit, & possit te patrono scio neminem. Nolim enim mihi pater succenseat, si patriam modò non repetam. Etenim ut sacris initier, ætatem nondum habeo. Nec Sacerdotia in nostro &c. expetam, ubi annuatim tanquam caprarum custos eligerer. *Si autem perpetuum habere queam, tu meam causam, quandoquidem potes, age, quam maximè rogo. De Pico autem Mirandulano jam nihil scribere ausim, &c.* Judicium, procul dubio, vel Glareani, vel per Glareanum aliorum de iis Mirandulani scriptis petiit, quæ hoc jam anno Zuinglio suspinionem novitatis conciliâsse, *suprà* p. 215. monuimus. *Petrus Scudus* Basil. 1516. Literis tuis nec dum diligenter revisis, divinus quidam erga Te ἔρως, nescio quo instigante numine, incesserit. Unicus enim tu jam es, qui pro nobis agas patrocinium, & id quidem ita strenuè, ut præsens quoddam te mihi numen præstes &c. Etsi nulla tua erga nos essent merita, vel hoc unum perpetuò te mihi devinciret, quòd Tu, qui apud omnes

mnes es notiſsimus, ac ſimul in omni genere peritiſsimus, &c. Video omnes, & parentem & fratres, huc tendere, ut Magiſterij coroner inſignibus, téque id Valentino conſulere, ex literis intellexi: Quod revera quàm germanè mihi conſultum ſit, ignoro. Noviſti, quàm tenellæ ſim ætatis, imaturæ videlicet hiſce honoribus, qui ſi, à puerilibus, neſcio quas Sophiſticas nugas imbibero, quis ſciet, imò, quis neſciet, quis tandem ſim *evaſurus? Tuum igitur velim aperias cenſilium, quid agendum mihi potiſsimùm cenſeas.* Sed & *Amanus* etiam noſter, cùm de vitæ genere fluctuaret, portum tandem, ex conſilio & authoritate Zuinglij, ſibi fuit pollicitus. Qua de re Baſileâ ad Zuinglium ſcripſit &c. 6. *Tigurum multi ſalutare conſtituerunt, ut vel Zuinglium compellare, vel cum eodem ibidem vivere poſſent. Glarean.* 1519. ad Zuingl. Porrò, cur tam anxius pro Collegio veſtro ſim, Tibi aliquando coràm aperui: Nam non absque inveſtigatione aliquot Canonicorum, civiùmque complurium, Canonicatum illic ſpero: Quanquam ex hac fortuna non pendeo, mirum tamen, quàm nunc Tiguri eſſe deſidero, quod Te illic conſtituit tua induſtria. *Philipp. Engentinus*, Friburg. Briſg. 1520.

scribo itaque ex animo tibi benevolo, cujus comitatem, urbanitatem, sales, cum egregia eruditione in Te ita admiror, ut ob unum Zuinglium Turregum mihi nonnihil allubescat. *Mycon. Lucern.* 1522. Concionator Bernensis Zuinglium videre sic optat, ut secum constituerit aliquando venire ad Te. 8. *Methodum etiam studiorum. Linguarum præsertim, quarum felicissimus fuit, & ferè αὐτοδίδακτος, cultor, ab eo expectabant. Osvvald. Mycon.* 1518. Peto abs Te, rationem edoceas, qua tu usus es in Græcis literis perdiscendis absque duce. Excusationem nullam accipio præter occupationes. Unde & Methodum studiorum privigno suo, *Gerold. Mejero*, scripsit, quæ Tom. 1. extat: Quo pacto ingenui adolescentes formandi sint, præceptiones pauculæ. 9. *Si quid librorum ea protulit ætas, vel censuræ ejus subjectum illud fuit, vel encomium ab eo, vel augmentum per eum eruditi flagitabant. Illius* exemplum ipse præbet Glarean. a. Ch. 1519. Scripsi item his diebus consilio Fabri Stapulensis, & codicibus aliquot adjutus, Divorum Felicis & Regulæ historiam, humili stylo, ut à mediocriter doctis intelligi quiret. Cæterum cavi, ut maximè conformia Christo adjicerem, resecarem, quæ vel inepta, vel suspecta,

specta, mirum verò ingenium ejus Historiæ scriptoribus, quòd, præter barbariem, quâ negotium maximè obscurârunt, etiam supra modum ineptierunt. *Sed non prodibit in lucem, nisi tibi placuisse intelligam.* Non puto prodijsse: Habeo tamen Msc. *Istius* verò curam Zuinglio comisit 1519. *Simon Stumphius*, Bedicenus, qui per Zuinglium libellos Lutheri de Oratione Dominica ubique locorum, tum apud indoctum vulgus, tum etiam sacrificos, maximè ruri insinuari voluit. *Hujus* denique specimen occurrit, in Mela Vadiani, de quo *Rhenan.* 1519. ad Zuinglium. *Est mihi*, inquit, *magna cura de ijs rebus nonnũquam cogitare, quæ Helvetijs queant esse vel ornamento vel usui. Itaque quando regionis hujus non ultimum decus, Joachimus Vadianus, elegantissimos in Melam commentarios elucubravit. in quibus patriam communem pulchrè celebrat, ut habet amænissimo ingenio parem stylum, & id librorum hoc Adamus Bibliopola nuper attulit, non potui te rem hanc celare, nimirum, quo juberes Melam opera Fontei nostri cum novo Calendario Mathematici illius Tubingensis Stoflerini, ni fallor, aptè concinna-*

cinnari, & alios istic hortareris, puta D. Myconium, Secretarium oppidi vestri, Frygium, & quicunque Cosmographiæ studijs capiuntur, imò Helvetiorum laudibus favent, ut hujusmodi sibi comentarijs à Pannonijs usque advectos amant. Nam dolet mihi hic, eos ab asinis negligi. 10. *Laudes ab alijs Zuinglio tributas optimi quiq. sibi quoque gratissimas fuisse, haud obscurè sunt testati.* *Henric. Glarean.* Colon. ex Gymnasio Aquinatis 1511. Quod ad me dedisti carmen, Uldarice jucundissime, acutè perspexi. Et dum singula discuterem, dubius eram, an elegantia & Latinitas sapida, sententias graves, an doctrina & Philosophicum pondus eloquentiam vinceret. Viderunt docti viri literas tuas, & simul laudantes comprobârunt. In eo tamen plus ingenij, & subtilem Inventionis industriam ostendisti, quàm verborum concinnitatem; quod & planè considero, & tu ipse confiteris. *Idem* a. Chr. 1521. Cæterùm Sacerdos iste, honestus profectò vir, multas de Te laudes prædicat: Neque verò id frustra apud me, quippe qui eas avidissimè audio, tametsi non erat opus. Novi te, vino vendibili non est opus hedera. *Franciscus Cervus, Glaronens.* 1521. Plurimum gaudeo, Tuam jam famam passim, atque per

totum

totum orbem indies magis magiſque divulgari, & excreſcere. Nam te à compluribus undique audio comendari; præcipuè à Beato Rhenano, à quo nuper accepi literas, quæ te in cælum uſque attollunt.

B. *Literaturæ Reformationem fuiſſe feſtucam in oculis cleri imperiti.* Id quod diſsimulare non poterat Glarean. *Proſpicio mecum* (ita ad Zuing. 1519.) *quantum invidiæ tibi inter iſtos eruditio tua conflabit. Sed ſis, ut hactenus, erecti animi, tanquam Hercules Ἀλεξίκακος cum monſtris pugnaturus, vinces facile tum patientia, tum animi moderatione.* Vix Plebanatum Glaronenſem ceſſerat, ſucceſſorem nactus erat, qui in literas & literatos acerbiſsimè invehebatur, qua de re *Franciſcus cervinus* Zuinglium per literas monuit 1521. Etenim, cùm ego homunculus nullius ſcientię, vel parùm ſim doctus; doctos tamen vituperari, non poſſum audire. Nęc non, ubicunq; eorũ laudes extollere valeo, eóſque à quibuſdam calumniatoribus ſive rabulis defendere poſſum, ſumam operam impendere ſoleo. *Nôſti, ni fallor, tui apud nos ſucceſſorem Sacerdotij (olim apud Eremitas tum erat ſuffraganeus) hominem, inquam, omnium, quos terra ſuſtinet, ſceleratiſsimum.*

mum. Is ut est sua temeritate audacissi-
mus, palàm in bonas literas apud nos, præ-
cipuè in Græcas, & in viros omnium disci-
plinarum peritissimos debacchatur. Ita a-
pud stultam plebeculam sibi cupit aucupa-
ri famam, cujus certè, avidissimus. Et quam-
vis temeritatis suæ, in præsentia multorum
sacrificulorum, Henrico Glareano dederit
pænas, ad ἐχεμυθίαν redactus, *decrevit ta-*
men idem semper & perpetuò in hoc homi-
num genus, ut fatetur, sævire. Græcas li-
teras mirum in modum odit, & Te inpri-
mis, quòd tantopere ipsis invigilas. Ut
autem Homericis utar verbis, damnat quod
quisque ignorat: Solum suum pulchrum,
hoc est, clypeum Thomistarum colit, suspi-
cit ac veneratur, veluti quasdam reli-
quias: In quo ajt, se singula, quæ vel cu-
piat, vel velit invenire. Et ex eodem ab
omnibus argumentis se defendi posse: Ni-
hil tam rarum esse affirmat, quod non in eo
reperiatur. At quoties te coram quibus-
dam Theonino suo dente radit! Proh pu-
dor, quanta convitia in pijssimum Eras-
mum Roterodamum conjecit. Vocat ipse
eum

um Gloſſatorem (putat hac dictione gloriæ ſuæ magnam attuliſſe ignominiam) propterea quod Gloſſantes Thomas & Scotos aliquo loco dixerit. Melchior Macrinus Solodor. 522. ejuſdem γλωσσαλγίας ad Zuinglium ſcripſit ſpecimen: *Evenit nuper, ut in quodam convivio ſacrificibus non paucis in* **Frawenbrunn** / *Monaſterio inquam Veſtalium, ſeſqui milliario à Salodoro ſito, conjungerer: Hi cùm, incaleſcente Baccho, diſputationes, imò veriùs jurgia, contra novas doctrinas, ut vocant, proferrent, quam quidem cantilenam mihi occini illico ſubodorabar: Quapropter mihi ſilentium indixi. Inter hos autem Decanus quidam magnus ex Burdolf, Tibi, ut arbitror, non ignotus, ſimul accumbebat, qui me propter utriusque Linguæ ſtudium, quod admodum tenue in me eſt, prius non ſemel abſentem, ac etiam nunc præſentem acerbè mordebat.* Cúmque Tiguri poſteá in concionibus ſubinde ad fontes provocaret, ægrè illud æmuli ipſius tulerunt. Unde M. Conradus Hofmannus, ejus in Plebanatu, anteceſſor, prolixo ſcripto, quorum Zuinglius monendus eſſet, fuit complexus. Inter alia; *ne verbis aut phraſibus*

sibus uteretur, ex quibus colligerent cordatiores, Zuinglium se cæteris concionatoribus anteferre, eóque haberi loco velle à plebe; aliorum conciones præ suis contemnere, propterea quòd ex *fontibus ille sua proponeret, cæteri ex paludibus.* Neque verò miraturum, veteres colonos Scholasticos migraturos, novos hospites, politioris literaturæ alumnos, adeò tulisse ægrè. Ex hoc enim bello Gramaticali, quod vocant, magnam Papatum accepisse cladem, *Bzovius* ipse diffiteri non poterat. Ita enim a. Ch. 1518. Miserta Lutheri Poëtarum inprimis Rhetorúmque cohors, & in adversarios ejus, imò & in Pontificem odio accensa, impigrè pro eo, & lingua & calamo, decertabat, causámque laicis comendabilem reddebat, ac varijs cavillis & invectivis Prælatos Ecclesiæ Theologosque perstringebat, incusans eos avaritiæ, superbiæ, invidiæ, barbariei & ignorantiæ; qui innocentem, ajebant, Lutherum, non ob aliud persequerentur, quàm ob doctrinam, quod videretur & esset doctior ijs, & liberior ad dicendam veritatem, contra imposturas & præstigias hypocritarum. Cúmque valerent non solùm ingenio & acrimonia, verùm etiam eloquentia sermonis, sive scribendum esset, facilè traxerunt plurimorum

rum laicorum animos in favorem comiſerationémque Lutheri, tanquam is propter veritatem & juſtitiam vexaretur ab Eccleſiaſticis invidis, avaris, & indoctis, qui in otio, luxúque viventes, ſuperſtitionum adinventionibus à ſimplici plebe pecuniam emulgerent. Hæ ad fraudem illecebræ fuerunt, ex quibus permulti ſibi ad famam & libidinem materiam corripuerunt. *In his Uldalricus Zuinglius fuit. Is integrum biennium quidem in Heremo S. Mariæ apud Helvetios Benedictinos, ad quam, pulſus Glaronâ, conceſſerat* (id verò falſiſsimum eſſe, ſupra jam monuimus, nec enim tantum magna cùm gratia; ſed ingenti relicto deſiderio, Glarona abijt: Unde tot de ignavo & ſuperciliòſo ſucceſſore, bonorum querelæ, quod òptimo Paſtori rapaciſsimus lupus ſucceſsiſſet) ubi *aſſumtis alijs Capellanis, Leone & Luca, Artium Magiſtris & Curatore Theobaldo, ad omnem libidinem & licentiam incenſo & præcipiti, primum ſuæ veſaniæ ſpecimen publicis concionibus anno 1518, inter Angelicæ conſecrationis feſtivitatem ea in Heremo edidit, tectè ipſe & fraudulenter, adeò ut ægrè etiam prudentiores fraudem agnoſcerent, metu Suitiorum.*

rum, sive faciliorem, eo pacto viam institutis parabat. Quæ de Leone postea & Luca subjicit, qui superstitiones Papisticas jam in Eremo publicè & masculè non sine successu, convellebant, commodius alibi; ubi de subjecto Reformationis agendum erit; loqui poterimus. Convitia etiam, quæ *Bzovius* adspergit, suo loco diluemus. Illud jam observâsse satis sit, ab ipsis etiam adversarijs notatum esse, Zuinglium & humanioris literaturæ, quæ Patres etiam olim reddidit Venerabiles, supellectili fuisse instructum, & jam 1518. antequam Samson Mediolanensis merces suas extrusisset, purioris doctrinæ semina publicè sparsisse. Quod cautior fuerit, vitio ei non erat vertendum. Nihil enim quicquam comunicari prius voluit, quàm comodè & cum spe successus illud fieri posset. Memorabile est, quod in vita sua Msc. refert Bullingerus ad an. Chr. 1524. *Die 12. Septembris*, inquit, *primò aperuit mihi mentem suam Zuinglius, quid sentiret de Sacramento corporis & sanguinis Domini. Nam bona fide illi exponebam sententiam meam, quàm hauseram ex scripto quodam Fratrum VValdensium & Augustini libris. Interim prohibebat, ne cui*

id

id myſterij explicarem. Nondum enim ſatis tempeſtivum eſſe, ut proferatur. Velle ſe juſto tempore proferre.

C. *In Theologicis & meliora ab illo expectata, & oblata per eundem ab alijs manu grata accepta fuiſſe.* Hanc laudem *Beatus Rhenanus* Zuinglio an. Chr. 1518. tribuit. Rectè feciſti, vir optime, qui ſtatim nos literis Tuis certiores reddideris; quidnam in re illa, quam Te diligentiſsimè curaturum receperas, egiſſes. Nam ſcis, quàm nobis curę ſit ea res, & ut fit, cùm animi pendetur, negotium infelicius ſucceſsiſſe putâſſemus, niſi nobis eum ſcrupulum ademiſſes. Ὁ μὲν καρδινάλιος οὐ μοι πάνυ πιστὸς εἶναι δοκεῖ κἀυτὸς γὰρ ἐκείνης τῆς κωμῳδίας εἷς ἐστι, ἂν μὴ ἡ ἀτυχία αὐτοῦ τὸν νοῦν μετέβαλεν. De Lutherio nihil dum compertì habemus. Riſimus abundè veniarum inſtitorem, quem in literis Tuis graphicè depinxiſti. Dant belli Ducibus literas pro perituris in bello. Quàm ſunt hæc frivola, & Pontificijs Legatis indigna. Quid non tandem excogitabitur, ut nummis noſtris potiatur Italia? Nec verò riſu hæc digna puto; ſed lachrymis potiùs. Nam nihil eſt, quod magis mihi doleat, quàm quod video Chriſtianum populum paſsim ceremonijs, nihil ad rem pertinentibus, onerari imò me-

ris

ris nænijs. Et causam non aliam reperio, quàm quòd Sacerdotes per Sumularios istos & Sophistas Theologos decepti, Ethnicam aut Judaicam doctrinam docent. De vulgo Sacerdotum loquor. Neq; enim me latet, Tè Tuique similes purissimam Christi Philosophiam ex ipsis fontibus populo proponere, non Scoticis aut Gabrielicis interpretationibus depravatam; sed ab Augustino, Ambrosio, Cypriano, Hieronymo, germanè & sincerè expositam. Deblaterant illi nugas in eo loco stantes, ubi quicquid dicitur, populus verissimum esse putat, de Pontificia potestate, de condonationibus, de Purgatorio, de fictis Divorum miraculis, de restitutione, de contractibus, de votis, de pœnis inferorum, de Antichristo. At vos pro concione dicentes universam Christi doctrinam breviter velut in tabella quadam depictam ostenditis, propterea missum in terram à Deo Christum, ut doceret nos voluntatem Patris sui, ut ostenderet mundum hunc, hoc est, divitias, honores, imperium, voluptates & hoc genus alia planè contemni debere, cælestem verò patriam toto pectore quærendam: Ut doceret nos pacem & concordiam ac pulchram rerum omnium comunionem (nam nihil aliud est Christianismus)

niſmus) qualem olim Plato magnis annumerandus Prophetis, utcunque in ſua Republica ſomniâſſe viſus eſt. Ut adimeret nobis ſtultos terrenarum rerum affectus in patriam, in parentes, in cognatos, in ſanitatem, & in cætera bona. Nam ejus vita doctrina eſt, omnem humanam excellens. Utinam tui ſimiles multos haberet Helvetia. Sic tandem facilè fieri poſſet, ut meliores mores noſtrates induerent. Eſt certè populus utcunque corrigibilis, ſi modò talibus non deſtituatur qui Chriſtum docere & poſsint & velint. *Frater Valentinus de Saxonia, profeſſus Domus S. Laurentij, in Ittingen* 1523. Toties ego tecum fabulor, & tu mecum, Huldrice, decus meum & ſpes mea, necdum mutuò nos cognoſcimus, nonne monſtri hoc ſimilimum? Imò non monſtrum; ſed planè quotidianum opus. Quis enim eſt, cujus penetralia non penitus occupet Huldarichus, quem non doceat, in quo non regnet Huldarichus? De ijs loquor, qui veritatem rectè amant. Nam ſatis gaudeo, quòd inter cætera dona Chriſti, etiam hoc numeratur, quod multis diſplices, quo ego argumento ſoleo diſcernere dona clementis Dei, à donis irati. Itaque Tibi gratulor; quòd, dum ſummè omnibus bonis places, non minus diſplices ijs, qui ſoli omnium ſummi eſſe, & ſummè placere vo-

sunt. *Nicolaus Hagaus*, *Solodorensis*, Lucernâ, anno, nisi calculus fallat, 1520, ita Zuinglium Epistolicè affatus est: Ea præditus es, Zinli doctissime, humanitate, ut prorsus etiam ab ineruditis literas summa animi alacritate suscipias. Qui enim tuam dignationem ineptijs meis interpellare ausim, cùm nec tantillum vel ad infimum Musis initiatum sim conferendus? Attamen singularis tua bonitas, & incredibilis humanitas, publica jam totius voce orbe prædicata, ac mihi (dum Tiguri agerem) domestico congressu degustata, tantum addidit fiduciæ, ut nec ipse, abjectissimæ penè sortis homulus, dubitârim, bonitatem Tuam meis compellare nugis. Video enim passim, eos, qui veræ pietatis ac bonarum literarum studio ducuntur, de tali homine sibi gratulari, quod quidem cùm omnes meritissimè faciant, nullos tamen id facere æquè par est, atque Helvetios, quod habeant, qui eos cælum doceat, & à bellis vanissimis absterreat: cùm hactenus nihil nisi arma noverint, qui sibi ipsis persuasum habuerint, rectà se ad superos volaturos, quo multos obulos charonti persolvi curent, Deósque sibi multum propitios habituros, si Plutonis ærarium augeant, si multos homines interimãt, & laudis tamen hinc aliquid

aliquid ſibi adſcribi volunt. Atque utinam vertat aliquando Deus Primatum Helvetiæ animos, ut ſua conſilia, ad comunem pacem conferant! In hoc cognoſcent, dixit Chriſtus, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi diligatis invicem. Quid enim eſt eſſe Chriſtianum, quàm diſcipulum Chriſti? *Nutrivit hactenus Helvetia Scipiones, nutrivit Julios, Brutos. Vix unum aut alterum edidit, qui verè ſapiat Chriſtum, qui doceat Evangelium, qui imbuat tenellos puerorum animos, non ſpinoſis iſtis ac rixoſis; ſed veris ac ſanis literis. donec Numinum providentia, Zinlius, Helvetia Orator datus eſt, & Myconius rudis pueritia formator. Nunc probitas, honeſtas, juſtitia, imò Evangelium, quod diu ſub tenebris latuit, reflore-ſcit, renaſcuntur bona litera.* Quid jucundius, quid dulcius, quid ſalutarius Evangelio? Quid denique ſanctius? Nihil niſi Chriſtum ſpirat, in quo piæ mentes ipſum Chriſtum, veluti loquentem, venerantur, hominesque multò alienos ab his Mundi dotibus efficit, alióſquereddit, quàm antea fuerint. *Quòd autem nos minus Chriſtianè vixerimus, nihil mirum. Neminem habuimus, qui virum Chriſtianiſſimum,*

 doceret

doceret Paulum, imò qui vel tantillum religionis Chriſtianæ redoleret. Ideò fit, ut nulli rei plus ſtudeamus, quàm bellis, pecuniæ omnem fraternam charitatem diſsipanti, ambitioni, ob quam mille ſe objiciunt incom̃odis. Putant enim Rempublicam optimè adminiſtrari, ſi quiſque ſuis bene conſulit rebus. O Helvetiam longè feliciorem, ſi tandem liceat te à bellis conquieſcere. O diu jam inclytam Helvetiam armis, ſi tandem illuſtriorem te probitate ac virtutibus redderes, illáſque nugas, quibus inter ſe certant Ethnici, ſeponeres! *O Helvetiam, multis partibus fortunatiorem, quæ tantos aliis homines, Zinlium videlicet, Glareanum, Myconium &c.*

D. *Eximiæ Zuinglij dotes, & palàm agnoſcebantur, & in ijs multum præſidij collocabatur.* De ſingularibus Reformatoris donis plenæ ſunt literatorum chartæ. *Mich. Humelb.* Ravenſp. Non nova eſt iſthæc erga te benevolentia mea, optime Huldriche. Olim jam mihi carus eras. Etſi de facie ignotus, ex animi tamen imagine & candore mihi es notiſsimus. Tam ſingulares animi tui dotes ſunt, *καὶ θεῖα τοῦ πνεύματος χαρίσματα*, ut ab optimis quibuſque paſsim ebuccinentur, atq; id agitante

te ipſo illo Spiritu, qui neminem diutius latere patitur, quàm pietati expediat. Feliciter ad nos igitur, etiam ultra Acronium lacum diſsitos, tui nominis ac ſinceritatis fama penetravit. Non alia cauſa, opinor, quàm ut tui exemplo ἐν ὀρθῇ πίστει, καὶ πνευματικῇ ἀληθείᾳ atque adeò in Evangelio Jeſu Chriſti conſtanter perduremus. *Petrus VVickgram*, Concionator Argentinenſis 1521. Te verum Iſraelitam, verum Chriſtiani Doctoris exemplar, veram divini verbi buccinam, cenſendum duxi, *utroque nempe, tum Prophetiæ, tum doctrinæ dono clarus, verbo & opere doces.* Tales jampridem in his ſeculi finibus omnì non vitiorum labe inquinatis, Paſtores & Evangelij præcones audire deſideravi, è quibus verum verbi divini panem non anilium fabularum furfures, oves Chriſti præſtolarentur. Non his Tibi aſſentari velim; verùm calcar adjicere, ne inceptis deſiſtas, minas Tibi creditas olim Deo multo cum fœnore redditurus. Nec Te ſanguinariorum tyrannorum, quibus jus & fas, imò Deus ipſe venales ſunt, terreant, quominus veritatem Domini annuncies. *VVolfg. Capito* 1528. Sunt qui inter nos diſsidium anxiè præſtolantur, quos ſperato gaudio facilè fraudabimus. Novimus integri-

tatem, fidem, curam, longanimitatem *& veri in te Episcopi* dotes. Erasmus Ritter, Schafhus. 1527. Spirabant literæ tuæ, Zuingli, in exhortando modestiam, in Evangelico negotio promovendo sedulitatem, & sincerum Christianissimi pectoris candorem. Et iterum VVolfgangus Capito 1529. Quotus enim quisque cum pietate, comparatam lectione multa, multisque experimentis eruditionem conjunxit? *Unum duntaxat Zuinglium Tigurum habet. Atque utinam singulis urbibus, imò singulis propè dixerim nationibus sui haberentur istius modi Phinees!* Quid ergo miremur, Melchiorem Macrinum Salodoro 1522. scripsisse: *Simul* atque legi Archetelem tuum, dici non potest, quàm gavisus sim, tum propter commune Reipublicæ Christianæ in te situm præsidium, &c. Et Marcum Peregrinum, Fruting. Ministrum omnium oculos in Zuinglium intentos. Unde & ipse Oecolampad. 1526. Nos seditiosi, nos bonarum artium pestes, nos vitiorum Iernæ, nos licentiæ magistra illis sumus. *Sed Deo gratia. Vel Te solo incolumi, vindicabimur.* Wolfg. Capito 1529. Ego hactenus semper repugnavi, ne te, itinere ad N. obeundo, in discrimen adduceres, quòd expende-

penderem, *quantum in te uno ſitum ſit momenti*, & quo Te odio perditum ſtudeant vehementiſsimi adverſarij. Eidem a. Ch. 1531. cauſam Evangelij contra Romaniſtas ita comendat: Hic nobis explica totum Zuinglium, debiles confirma, fortes hortare, hoſtes in metum conjice, &c.

E. *Fama de Zuinglij obitu, vel quacunque adverſitate ei illata, ſolicitos ſemper optimos quoſque habuit, facile animadvertentes, quantum intereſſet, hominem feliciter vivere, diuque ſupereſſe.* Beat. Rhenan. 1519. Heu, quantum luctus, fatis conceſsiſſe, importunus rumor ſuo vehementi impetu divulgavit. At tantò plus rurſus gaudiorum, quò vita nobis tua morte charior, quæ hercle & chariſsima eſt, & perpetua manebit, te è diris mortis faucibus feliciter ereptum, negotiator quidam Tigurinus, etſi absque literis, gratus tamen ac fælix tanti gaudij nuncius, nobis attulit. Et ipſe *Oecolampad.* Si vales, bene: Nos valemus, & ſolitis favoribus excipimur. Nonnihil ſanè tuo nomine ſoliciti ſumus, ut valeas, fama enim fert, te languere, adeò, ut & à Concionibus abſtinere cogaris. Quòd ſi ita eſt, conſolationem & Tibi, & nobis à Domino precamur. Fac igitur, ut quam primùm nos hac ſolicitudine liberes, ſi bene habes.

F. *Zuinglij amicitia ſtudiosè erat quæſita, inventa*

 verò,

verò, religiosè culta. Guilelm. *Nesenus* ad Zuingl. cùm adhuc in Eremo degeret. Scribis meas literas hoc uno vel maximè gratas Tibi fuisse, quòd certis quibusdam notis ex his hariolari potuisses, me tui minimè oblitum; an hæc, eruditissime Vir, ex animo, & verè scribebas, cum Nesenum tuum ex hoc hominum numero putares, qui, cùm nullis literarum ornamentis ipsi comendentur, etiam disciplinę purgatioris Candidatos, imò principes proscindere, aut saltem horum non cum maxima etiam animi voluptate meminisse velint? Tu hisce monumentis pectoris es insculptus, meo, ut hinc nisi morte ipsa decuti possis, & tanta est tua eruditio, candórque ut inter extremæ sortis homines sint meritò connumerandi, *qui Te non, ut eximium mirentur Musarum simul & Christi Sacerdotem.* *Iohannes Faber*, Vicar. Constantiens. 1519. Jam pridem nostræ amicitiæ candor effecerat, ut liberè quæ velles ad me perscriberes, & tu diffidenter nimirum & subtimidè amici officio fungeris. Quid isthac purgatione opus apud amicum? Fingebant prisci illi amicum aperto tum corde, tum capite, ne uspiam conderetur, quod simplicitati ingenuæ obstreperet. *Philippus Engentinus* 1520. Præterita æstate cùm in thermis

mis Pfefers caſu Te inveniſſem, non potui non animo gaudere: Nam in magna felicitatis parte ducebam, me ad tantum appuliſſe virum, qui ob manſuetiores Muſas rectè ſe omnibus amicum præberet. Illic tum comitatem tuam omnem è ſinu uberrimo profluentem, non injucundè ſum expertus: nempe, quæcunque pleno apparatu ſtruebas, ex gratiarum penu depromi videbantur. *Eraſmus Fabricius* Lithopolit. ad Vadian. 1521. Zuinglius Tigurinæ Eccleſiæ Paſtor unicus verbi divini apud Helvetios buccinator, tibi amiciſsimus eſt; atque is mihi ex animo mutuò favet. Inter eos, quos jam dudum amicos agnovi planè feci Zuinglium principem; neque patior unquam, quin & te proximo ab illo loco adjungam, velut eum, qui & illi non modò vitæ honeſtate, ſed & doctrinæ varietate ſis conferendus. *Valerius Anſelmus* Rotvilanus, Medic. Bernenſ. 1523. ad Vadian. Poſtremò, Chriſti noſtri invicto Evangeliſtæ, Zuinglio noſtro, me obnixè commendes, rogo. Accedit & ſuffragium. *Braßicani*, Conſtant. 1521. Dedi nuper ad Te literas, amicitiæ Tuæ inaugurari cupiens. Verùm adhuc planè nihil reſponſi accepi. Timeo, me veluti fucum de ignavo pecore à ſeptis eruditionis tuæ abigi. Per

Musas rogo, responderet tribus verbis Brassicano tui nominis amantissimo. Certè, nisi fallor, per nebulam, Brassicanus Zuinglij buccinator omnium maximus est. *Petrus Conzenus* 1524. Tandem & ego ausus sum Zuinglio aures suas molestare, quem aliâs in mille occupationes sat scio distractum. Quæ fiducia ejusmodi facinoris me ceperit, ne mireris quidem. *Paulus Fagius* 1528. Non parvo afficior gaudio, sicubi mihi occasio qualiscunque datur, te meis chartulis utcunque politis, invisendi. Nullatenus enim ægrè ferimus, etsi intereas, quæ in scrinijs tuis reservantur, vel omnium maximè sordescant. *Eberardus Rumlingus*, 1530. Ut nihil magis in votis, Huldriche integerrime, quàm restricta & arcta consuetudine, si fieri posset, quod tamen per locorum intercapedinem non licet, Tibi devinctissimus, & penitissimus esse; ita non aliud, quod ardentius exoptarem, quandoquidem illud non liberum sit, quàm crebra vicissitudine literarum ultrò citróque inter nos discurrentium te solicitare, qua meritò quidem, quicquid consuetudini derogatum fuerit, compensaretur: Nî me verecundia aut civilitas quædam humanitásque detinuisset, quin pridem amicitiam tuam, méque in albo tuorum collocari ambijssem: atque è diverso sedu-

ſedulam meam operam, ſtudiumque, & quicquid ejuſmodi generis eſt officiosè tibi detuliſſem. *Ioh. Iacob. à Lilijs*, Lucernens. Vix dici poteſt, quanto me gaudio literæ Tuæ affecerint, cùm pluribus de cauſis, tum præcipuè, quòd me tam benignè, humaniterque (quæ tua eſt facilitas) in fidem, amicitiámque receperis. Tantò verò, hic amoris & Chriſtianæ amicitiæ fructus pretioſiſsimus uberior indies fuit, quantò radix ejus altior & ſolidior. *Auguſtinus, Saturnius* 1529. Sondrio, Volturrhena ex valle: Principio maximas Tibi gratias ago, habebóque ſemper majores, quòd me ſuaviſsimo amore Tuo dignatus es, quòdque in penitiſsimas cordis tui fibras me admiſeris: adytum, quo nullum nec gratius Deo, nec jucundius adornari poteſt. Simúlque *ſupercæleſte Chriſti munus in te agnoſco, adoróque*, cui acceptum ferre par eſt, quicquid optimum eſt. *Neque enim tu ſponte tua, ſed ſponte Chriſti id feciſti, cujus afflatu, inſtinctúque quenque non ſecus atque te diligis*, quem illius membrum, tibi fratrem eſſe pernôſti. Supereſt igitur cogitantibus nobis, ut quos tam arcta, támque inſolulibi inter ſe conjunxit charitate, eos exuberantiore fidei lumine,

ne, profusioréque amoris incendio in se confirmet, constabiliátque.

H. *Sed & ea Zuinglij apud eruditos fuit authoritas, ut ægrè ab eo dissenserint. Martinus Cellarius*, aliâs Borrhaus. Occasio, quę ampla ad Te scribendi aliquoties se præbuit, Zuingli charissime, & dudum Domini consilio, quo omnia in laudem ipsius eveniunt, arrepta non fuit, ea nunc tandem pleniùs recurrit, uberiúsque argumentum & materiam scribendi suppeditat. Unus namque ex libellis nostris de operibus Electionis & Reprobationis Dei nuper publicum exijt, in quem duplicem de Te rumorem circumferunt. Quidam enim, displicerę illum Tibi in aliquot locis, & stylo Tuo acerrimè confodi affirmant. Alij verò ęundem à Te probari constanter asserunt, quibus ego per charitatem, quæ non est suspicax, hortatorem propensius credo, quàm prioribus, quos mihi invidia & calumniandi morbus suspectos facit, præsertim, cùm mihi tua in judicando dexteritas perspecta, qui non facilè, neque temerè in quenquam pronuncies, nisi plenissimè, quæ reprehendas cognoveris, eadémque adversus gloriam Dei, & Ecclesiæ profectum pugnare, perspexeris. Talia autem nostra esse adhuc ex pijs, cum quorum multis super toto libelli

belli noſtri argumento ſæpe multum contuli, comperire non potui. Quæ res fecit, ut nunquam mihi perſuaſerint, fore, ut tu, qui primus ; quod ſciam ; in hac revelationis Christi hora ; Prædeſtinationis horam non leviter attigiſti ; iſta gratiæ Electionis tractatione offendereris: Quum ſcriptum noſtrum contra ſignorum errores, & totum fermè καταβαπτιστῶν dogma ex profeſſo tractat. Inter quos ſi me numerant, eos, ut non dubito, ſuſpicione, iſta, libellus editus facilimè liberabit. Qui nimirum liberum arbitrium tollit, Magiſtratui æquus eſt ; Electionis vim ſuper omnia glorificat, Electionis & Reprobationis apertum diſcrimen aſſerit ; Elementorum Mundi liberum uſum ex charitatis regula, & fidei analogia admittit, ad gloriam demum Dei, & Eccleſiæ ſalutem omnia refert. *Bucerus*: Obſervande Zuingli: Legi binas literas tuas, alteras Argentorati, alteras hîc : Illas ludentes ; has admodùm iratas. Sed oro Te per Chriſtum, des hactenus Tuo in me amori, quem ſcio non vulgarem eſſe, locum, ne tam graves in me ſuſpiciones admittas. Dejero ego, nihil aliud me, quàm Evangelij profectus ſpectare. Si non magni mihi eſſet amicitia Tua, ferrem hoc levius

vius &c. Ut ad *cellarium* revertar, adeò ille de offenſo Zuinglio placando fuit ſolicitus, ut etiam per Oecolampadium quæſiverit reconciliationem. Ita enim ille: Fama eſt, Huldrychum Zuinglium libello noſtro nonnihil offendi, maximè in ea parte, ubi in ſanctum baptiſmum ex charitate liberum aſſero, cujus animum in me exacerbatum ſi per literas mitigaveris, gratam rem, ut ſperò, & Chriſto, & pijs feceris. *Ego enim tantum in Eccleſia virum nollem à quoquam irritatum.* Et Tu ea vales apud ipſum authoritate, ut facilè poſsis ſiniſtram de me, quam fortè concepit, opinionem abſtergere. Teſtis eſt mihi Dominus, in libello edito, Chriſti gloriam in hac parte, & Fratrum Concordiam potiſsimùm ſpectari. Tuum igitur erit, Oecolampadi chariſsime, ſi putes referre, & ad gloriam verbi ſpectare, ut non meo, ſed Chriſti, non privato, ſed publico Eccleſiæ & charitatis nomine Zuinglio, *indubitato Dei Viro,* me excuſes & purges.

I. *Zuinglium de varijs & arduis quæſtionibus libenter & frequenter fuiſſe conſultum*, tum ex ipſius Epiſtolis, tum reliquis ejus operibus editis patet: Unum adhuc & alterum addere placet ex ἀνεκδότοις. *Myconius* liberè Zuinglij

glij pulsavit fores ; ubi occurrit, quod turbare posset, aut intricare. Iam anno 1520. Nequeo satis exprimere, scripsit; mî charissi me Zingli, quàm horæ, ne dicam dies, mihi sint molestæ, dum Hieronymum expecto: tanto desiderio in eum adficior. Intelligo namque in dies magis magísque, quantopere eo mihi sit opus. Interim enim, dum sacris legendis incumbo, mirum est, quàm penè ubique impingam, tum nemo est, qui emplastro mihi medeatur. Non est ad manum, quem, ut Te sæpe solitus sum, consulam. Tu unus totus mihi es mundus, ut breviter dicam. Absit, ut diem illum videam, quo dissentiam à Te; crede mihi, facilius morerer. Quamvis dicas, verba Tuane pro oraculis habeam? Imò nihil aliud mihi sunt aut erunt, cùm certò sciam, nihil Te dicere, cujus fundamentum oracula illa divina non sint. Pergit postea, & sæpius sibi onus respondendi à Parocho Artensi impositum enarrat. Rogat, *inquit*, me & diligentissimè & frequentissimè. Respondeo quod possum; quod non possum, taceo, vel suspendo, donec ad libros veniam, vel ad te possim scribere. Postremum fuit, quid sentirem de eo, quod dicunt; si post confessionem facinus aliquod in mentem

tem venerit non confessum, redeundum esse ad Sacerdotem, & id quotiescunque ita eveniat. Dixi, nihil me posse certò definire, videri tamen nihil opus esse, quod prius confessa & oblita per absolutionem peccata forent deleta, & si in memoriam venisset crimen oblitum; dixissem, præsertim cùm forte graviora essem Confessus. Attamen, si quis rediret ad Sacerdotem; forsitan non peccare. Ita dubium & me, & ipsum dimisi. Ipse autem dubito pene, hoc est, quia Canonibus id adeò expressum non est, de interrogationibus in Confessione. Videtur enim mihi, hanc non esse veram confessionem, cùm peccata sic extorquenda sunt. Si dabitur per otium, unum verbum de his reddas. Et paulò ante, eodem anno, aliud de Zacharia & Angelorum creatione movit dubium. Nihil, *inquit*, me tam oblectat, quàm longissimæ Tuæ literæ. In ijs namque semper invenio, non tam quod sit ad voluptatem, quàm quod ad usum, & maximum quidem. Dubium est de Zacharia (ex Juvenco id est, quem nunc meis prælego) quo pacto justitia ab Luca ei tribuatur, cùm tam citò mutus fuerit effectus; tum an ratio aliqua detur ab authoribus tam repentinæ vindictæ quam Deus huic inflixit. Insuper de Angelis vellem scire, quo videlicet pacto essent creati

creati. Deinde, poſtquam Luciferi ſuperbia multos ſecum in æterna barathra detraxerit, multos in aëra uſque &c. An illi, qui hodie adhuc Deo Opt. Max. ſervientes conjuncti ſunt, cum illis fuerint creati? Quòd ſi ita habet, qua gratia firmati ſunt, ut amplius peccare non poſsint. Excuſat poſtea ſe, quòd has quæſtiones ipſe non proponeret, niſi aliunde ſolicitaretur. Mihi, *inquit*, talia in mentem nunquàm veniunt. Simpliciſsima fide contentus ſum, & ſecundum hanc ambulare potero confidenter. Continuè ante oculos verſatur dictum Socraticum: Quæ ſupra nos, nihil ad nos. Quæ enim Deus voluit me ſcire, cur ego inani curioſitate perſcrutarer? Anno verò ſequenti 1521. de materia graviſsima, libero arbitrio & Prædeſtinatione quædam propoſuit, quæ, controverſias illas tum temporis ſatis fervidè agitatas, indicant. *Scio* (ita Myconius) *quòd multis hac tempeſtate vexaris caſibus, non tamen potui ad Te non ſcribere etiam quæ me premunt, atque conſilium, imò inſtructionem petere, quemadmodum in iis foret agendum. De libero arbitrio noviſti, quæ hactenus ſunt ſervata, & quæ hodie de ipſo diſputentur. Quæ illi dicant*, (de Pontificiorum recepta ſententia loquitur)

X pla-

planè non *accipimus, quæ alij,* ita tenemus, ut tamen semper aliquid me perturbet. Hoc autem inprimis, quod vulgarium illud videtur confirmari; quo dicitur: Nihil refert, qualiter vivam. Nam si sum electus ad vitam, malè agere non possum, imò vitæ æternæ sum certissimus; sin minus, frustrà laborem, etiam si manibus pedibúsque adnitar; ut agam quàm optimè. Quòd si verum est (ut à quibusdam bene sentientibus etiam conceditur) posset Deus condemnari injustitiæ. Me capis: Si autem minus verum, videntur hodierni illi aliquo pacto aberrare. Jam non opus habeo, neque tibi laborandum est, ut vel Pauli cap. 9. ad Romanos mihi proponatur; vel Augustinus, vel Hieronymus contra Pelag. vel Ambrosius de vocatione Gentium, quæ omnino cum Paulo convenit; nam illos novi, sed ut illam vulgarem sententiam tua sententia confutes; vel adprobes, si vera sit. Quid ab hoc suo Præceptore in doctrina de Prædestinatione hauserit *Myconius,* ex Epistola ejus, ad Bibliandrum, suo loco, aperiemus. Addere possemus responsum ejusdem Zuinglij ad *Nob. à Landeberg,* equitem Hierosolymitanum, de Ordinis illius statutis vel retinendis, vel deserendis: Consilium,

ſilium, quod *Comander*, Curienſis Paſtor in adminiſtratione S. Cænæ domeſtica, pro ægrotis, ab eodem petijt, pluráque id genus alia, quæ tamen afferri omnia hoc loco non poſſunt.

K. *Zuinglium in Helvetia tam ante, quàm circa & poſt Reformationem magna floruiſſe authoritate.* Certè, neque publicorum ordinum, neque familiarum, neque perſonarum deſunt teſtimonia, quæ eandem evidentiſsimè ſtabiliunt. Quid & univerſa Helvetia, & TIGURINI cumprimis Zuinglio debuerint, alij etiam viderunt. Caſparus *Hedio*, 1520. Tu beatus planè, quod non tuis ſolum, ſed toti patriæ Helvetiorum prodes. *Et in initio Epiſtolæ:* Gaviſus ſum plurimum, quòd forti animo, Tu, & Cives Tigurini reſiſtunt quæſtui Monachorum, ſive avaritiæ, ut ut viſum fuerit appellare. Non peſsimè de illis Quadus dixit, qui iniquè tractant virgines ſuæ curæ comiſſas. Fuerunt jam multis annis impudentes, & erunt, quamdiu inutiliter preſſerint terram. *Beat. Rhenan.* 1518. Neque enim credere poſſum, Te illos (*Tigurinos*) aut non monuiſſe, aut rem non ſucceſsiſſe apud eos, qui tibi in judicando primas tribuunt. *Melch. Macrinus*, Salodor. 1522. Reformatorum Chriſtianorum

Authoritas Zuinglij I. Tiguri

norum apud vos longè plures, tuo benefi-
cio, quàm uſpiam alibi in Helvetia eſſe
ſcio.

2. Berna.

BERNENSibus tum Politarchis, tum
Theologis Zuinglium gratum fuiſſe & ac-
ceptum plurimis, quid dubitemus? Teſtes
ſunt tot eorum Epiſtolæ, quæ vel præſen-
tiam Zuinglij urgebant ad Diſputationem
publicam, vel conſilium rogabant, vel ſub-
ſidia contra Anabaptiſtas, Papiſtas, vel re-
rum ſuarum ſtatum enarrabant. Ne diſpu-
tationi intereſſet Zuinglius, nullum pla-
nè reliquiſſe videbantur excuſationi locum.
Initium facimus à fortiſsimò & magnani-
mo Eccleſiæ Bernenſis Reformatore, *Berch-
toldo Hallero*, qui, quoties opus erat, Zuin-
glij fidem & dexteritatem in promovenda
cauſa Dei ſolicitare libenter voluit. Cùm
initia Reformationis difficilia eſſent, quan-
tas Zuinglio egit gratias, quòd animum ad
didiſſet dejecto, & tot ferè injuriarum impa-
tienti? Ipſum audiamus Berchtoldum. *Epiſto-
lam tuam literatiſſimam, integerrime Præ-
ceptor, cùm obvijs, ut ajunt, manibus, acce-
piſſem, non ſine favore magno legi, relegiq.
Admodum ea delectatus, ex ea Chriſtiani-
ſmo imbutus, ut nihil ſuprà. Animus enim
meus*

meus nonnihil hac rerum & hominum varietate dejectus, & ad sufferendas injurias impatiens, hac Tua Epistola sic obduruit ad omnia ærumnarum genera, ut æquiorem jam illis me præbeam, qui nulla penitus injuria lacessiti; (nisi verbum Domini, ut solent, injuriam interpretentur) se mihi infestissimos præstiterunt. Nisi enim me tuis excitâsses calcaribus, torpentémque expergefecisses hunc Spiritum meum, profectò mox officio concionandi cessissem, (non credis, quas bullas Magnatum quidam cructaverint) méque una cum D. Thoma VVyttenbachio Basileam, literis illic politioribus, & Græcis & Hebræis invigilatum, contulissem. At Epistola tua suavi erectus, vires omnes intrepidus resumsi, idque mihi Christianissima tua exhortatione certò persuasi, satius esse pro temporis hujus calamitate, ut Evangelizem, quàm in angulis quibusvis, studijs inserviam; donec Domino verbum suum multa virtute muniente, Christum, cucullatis nugis longè à nobis exulem, imò in exilium propè relegatum, pro virili restituerim.

Cæterum sermonem de fide & Sanctorum cultu ex Tui ingenij felicitate depromtum, indies expecto. Cùm 1523. conclusiones Zuinglij prodirent, quàm avide eos expectavit? Opus, *scribit*; Tuarum conclusionum, indubiè laboriosum, quod incudi traditum scripseras, expectamus omnes: Quòd si excusum fuerit & absolutum, ne nos diutiùs frustrari patere. *Et iterum.* Opus conclusionum expectamus omnes, neque, quo Bernatibus magis ac magis gratificari poteris, quàm ut excuso, non diutiùs æquo privemur. Quibus argumentis, precibus, & obtestationibus idem usus est, ut ne Zuinglius à Disputatione Bernensi abesset? Prolixa adhuc inter cætera ejus Msc. asservatur Epistola, quæ & ferventissimum Berchtoldi, pro Evangelio, Zelum, & intensissimum in Zuinglium amorem exprimit. Sum̃a Epistolæ est: Decrevisse Præpott. D. D. Bernatum Ordines unanimi consensu, nemine contradicente, Disputationem publicam, hoc ordine habendam. Primò, quatuor Episcopos cum Theologis suis, sub pœna amissionis omnium privilegiorum, quæ jure Episcopali in ditione D. D. Bernatum prætendebant, vocatos: Omnes præterea Helvetiæ Cantones & Socios Mulhusium, Rotvvilam,

vvilani, Sangallum, Curiam, ut & ipſi cum Theologis ſuis compareant, invitatos: Cuique parti ſalvum conductum miſſum iri. Parochos inſuper omnes, Monachos, Prælatos, Sacerdotes totius diſtrictus ſub pœna rejectionis, ad diſputationem vocatos. Solam ſacramScripturam abſque veterum gloſſematis, omnibus reſectis ambagibus, exceptionibus, convitijs, audiendam. Monitos Epiſcopos, & Confœderatos, actum, iri de Eccleſia, ejus capite, poteſtate, traditionibus humanis, ſive præceptis Eccleſiæ, de Sacramento Miſſæ, imaginibus, ſanctorum invocatione, Purgatorio, Cælibatu ſacerdotum, &c. Articulos, ut comodiùs comunicari illi poſſent, impreſſum iri. Rogare igitur, ut Zuinglius curam illoram ſuſcipiat, ad editionem eoſdem promoveat: Quòd ſi quid vel addendum vel detrahendum ille exiſtimaret, id liberè ageret. Hierinn hab ich gebetten/ daß ſöliches zu Züirch beſchech/ auff daß du / vnſer allerliebſter Brůder vnd Held im handel Chriſti/ was vnſeren Articlen gebräſt/ mögeſt darzu darvon thun / nach dem dich bedunckt dem handel gemäß. Omnes pios (ita porrò Bertholdus) hic firmiſsima tenet ſpes, te non emanſurum. Nôſti, quantum in hac Republica ſitum ſit. Si impares eſſemus oneri, quanto illud cum probro noſtro,

Evangelijque damno conjunctum foret. Non ignoro, réque ipsa sum expertus, Tibi honorem Dei, verbi ejus, salutem Reipubl. Bernensis, imò totius Helvetiæ, adeò curæ cordíque esse, ut non tantùm nihil eorum, quæ causæ huic usui esse possunt, sis omissurus, sed ipse ad promovendum honorem Dei, & totius rei Christianæ emolumentum, hostium verò scandalum, præsentiam Tuam non denegaturus. Spem jam fecisse adventûs Consulem Roëstium. Ne insidias metueret: Habituram ejus rei rationem Potentissimam Rempubl. ne itinera minus tuta terrerent: Adventum ejus avidè à multis expectari: Es schreyen schon viel leuth nach dir. Age adsis, hæremus inter sacrum & saxum, & lupum auribus tenemus. At eum tractare nescinus. Nescimus Oligarchiam. Minati sunt, paucissimi tamen, Dominos hac disputatione nihil expedituros, & posteriora propterea futura deteriora. Quid plura, amantissime Huldriche, nôsti, me tanto oneri imparem: Tu ergo rationem & modum ostende, arduæ illius administrandæ provinciæ: imò ipsam Tu suscipe. Utinam, charissime Frater, nostrum omnium exactissimè, pro felici hujus negotij καταστροφῇ, nôsses zelum! Totum negotium Oecolampadio comunicavi;

cavi; qui tamen utrum adfuturus ſit, neſcio. Scripſit interea optare ſe, Zuinglium nobis adeſſe. Sumâ, Er hat gebadet/du ſolt den Bärentantz führen. Ajunt, & Murnarum adfuturum, ut de Calendario ſuo (pictura eſt ignominioſiſsima, & adhuc in manibus noſtris virulentiſsimi animi indicina) rationem reddat. Quicquid ſit, quisquis veniat, de Tua modò præſentia certi ſimus; non modò ad reprimendos contradicentes, ſed & cæteros confirmandos; os præſertim ſacrificulorum importunorum, quorum magnus apud nos numerus, obthurandum. Etiam Farellus ſe ſiſtet. Vattenvvilliorum, Nolliorum, Trempiorum, Bertoldorum ædes Tibi patebunt. Eliges quascunque volueris. Omnia Tibi erunt parata, modò tu paratus ſis, ut confidimus omnes. Matura reſponſum, nullisque parce ſumtibus, ut conſtet, quid de Te polliceri nobis poſſimus. In hoc enim rei cardo vertitur, ut ne nobis deſis. Rem ſatis intelligis. Age, mi frater, quod tota noſtra urbs abs Te expectat. Mitto concluſiones noſtras, ut pro arbitrio eas augeas; ijs adimas, apponas. Operæ etiam erit pretium, ut publicè, coram Magiſtratu & Clero Bernenſi, cauſas, quæ Tibi Badenſi colloquio intereſſe non permiſerunt, exponas. Tandem indicat Zuinglio,

Magistratum etiam Bernensem, Tigurino
negotium, & conclusionum Editionem
commendare. Rogat igitur denuo, ut cu-
ram negotij in se suscipiat, easdémque
conclusiones in usum Ecclesiarum Vauden-
sium Latinitate donet. *Tibi* (ita claudit)
enim provinciam hanc commisimus, &
quam non committeremus? Cúmque po-
stea suam Zuinglius præsentiam condixis-
set, quibus onustus lætitijs Bertoldus inces-
sit? Ne Zuinglium quidem illud latere vo-
luit. *Nunc video clarissime Huldrice, quàm*
insperato Dominus apud nos per Te & Oeco-
lampadium gloriam suam promoveri ve-
lit, cùm uterque se, nisi vita adimatur,
adfuturum omnino polliceatur. Hæ sunt
auxiliares copiæ, quibus Dominus me
hoc negotio longè imparem, armare digna-
tur: Et utinam omnia adversariorum
argumenta in unum effunderentur; præstò
essent, qui cum magna Dei gloria, singula
diluerent! Te aut Sebastianum dies sex
aut octo ante præfixum terminum expecta-
mus, qui omnia dedolet. Trempij domus
tota Te, cum Consulibus, si quos adduxeris,
expectat. Oecolampadium in domum meam,
Va-

Vadianum Tilmanus : Nollius quoque domum ſuam aperuit. Oligarchæ in angulis obmurmurant : Conatus eorum non deerunt, quo inſtitutum vel impediant, vel eum impedire non poßint, confundant: Aut omnino præſentes non ſint. Sed inſtabimus omnibus viribus, ne Satan in illis erumpat. Niſi dextras junxeritis omnes, actum erit. Neque quicquam, poſt feliciter habitam Bernæ diſputationem, Zuinglij authoritati apud Reformatorem Bertoldum deceſsit. *Scribunt noſtri Bernates* (ita ſequenti à diſputatione anno, 1528.) *clarißime Huldrice, pro Megandro, Sebaſtiano Oeconomo, & Ludimagiſtro Curienſi, quem cumprimis Megander commendaverat, quod tum ad conciones, tum & ad lectiones aptus ſatis eſſet. De Sebaſtiano ſic ſcribunt Domini; quòd ſi Senatus veſter eo carere nolit, alium ſubordinet, qui & docendi Linguas, & prædicandi provinciam aptus ſit ſuſcipere.* Tu enim pro Tua in omnes Eccleſias age ſolicitudine, ut initijs noſtris bene conſulatur. *Vocavit me Senatus noſter, ut indicarem viros doctos: Hos itaque indicavi, ea fiducia, quòd nos*

nos deserturus sis. Age igitur, quem semper egisti, charissime Huldrice: Nam non minus, imò multò magis Tua egemus opera. ut quæ Deus per Te, etiam apud nos, cœpit, eadem & perficiat. Eodem anno ultimo Maij: Quicquid minus consultè actum à nobis videtur, increpa fortius. Nam, post Magistrum nostrum Christum, non parum à Te pendemus. Et ut, non niveum minùs & apertum, quàm generosum fuit pectus, Bertoldus, ne moneri quidem à Zuinglio ægrè tulit, imò ut illud fieret, seriò rogavit; adeò nihil designatum voluit, quo vel infirmiores offenderentur, vel rigidiores in proposito confirmarentur. *Obsecro Te, charissime Huldrice, ut, dum per otium licuerit, communem parænesin ad nos scribas, qua horteris ad pacem & charitatem mutuam, ad convictum verbi Ministris dignum &c.*

3. Lucernæ.

LUCERNÆ etiam erant viri pij & docti, qui, tum ante, tum post Reformationem, Zuinglium nostrum & impensè amârunt, & non vulgariter coluerunt. Primas hic deferimus *Osvvaldo Myconio*, eruditorum etiam encomijs commendatissimo. Ita enim *Glareanus*, Zuingl. 1519. Unum oro, ut hominem

minem (*Myconium*) noſcere cæpiſti, ita amore proſequere, imò ita defende, dignus enim eſt te patrono, amas ſiquidem ingenia minimè fucata & ſimplicitatem illam Chriſtianam, tum animum minimè adulationibus obnoxium, quæ in eo copioſiſsimè vides. *Idem* an. Chr. 1520. Audio, Myconio noſtro cum neſcio quo clamatore, eſſe negotium: Tu, mi Huldrice, hominem conſilijs adjuva, potes namque, & eo vides adactam rem, ut ſtatim hæreſeos nomine etiam iñocentiſsimos, ipſi ignariſsimi, inſimulent: niſi huic rabiei occurratur, huc tandem res devenient, ſit Chriſtianus, qui omnia adverſus Chriſtum agat, qui Chriſti decreta obſervet, ſit hæreticus. Et adhuc 1523. De Myconio quæ ſcribis doleo, ſi quid adverſi illi contingit. Vir eſt optimus. Ipſe *Johannes Faber*, Conſtantienſis Vicarius 1519. Zuinglium rogat, ut Myconio, Viro eleganti, amicitiam ſuam inſinuare non gravetur. *Capito* 15?6. Dedit ad me Epiſtolam elegantiſsimam noſter Myconius, ut in hac rerum turba reſpondeam, vix integrum eſt. Amplector tamen hominem ut quam maximè, propter raras literas & pectus maſculum Chriſto dignum. Hæc de Myconio inſignia elogia, cùm Lucernæ adhuc

eſſet.

esset. Et tamen dictu difficile, quàm magno semper Zuinglium, etiam Lucernæ, habuerit loco. Quicquid vel in causa communi, vel privata contingit, non modò fortunæ suæ conscium, sed & rerum agendarum consiliarium esse voluit. Anno 1520. Zuinglium reddidit certiorem de judicio suorum, in convivijs ubique Lucernæ obvio. *Miror*, scribit, *dum apud nos in plerisque convivijs intersis, maximè conventus nostros celebrantibus, ut nunquam ad me venias, tùm te intimum habeam, & de Te idem sperem. Sed hac fortè causa, quòd, quamvis intersis, absque tamen ore interes, absque pedibus, ut neque inter hæc loqui possis, neque ad me venire. Quare mirari desino. Sed non desino indignari his, cum quibus sic versaris. Evomunt contra Zuinglium, non quidem vera malè interpretantes, sed omnino pervertentes. Hæc qualia sint, audies fortè à Glareano, is namque in convivio erat, ubi talia evomebantur.* Dicebaris olim vocem habere, quæ tam esset obscura, ut quæ diceres, vix ad tres audirentur passus. At video mendacium id esse, cùm audiaris per totam Helvetiam. *Vinum fortaßis Tigurinum ita gut-*

turis

juris ob acrorem aperuit organum, ut ſtentorem nunc voce referas: Sed quid nugor in re apud me tam ſeria. Verè dicō, nihil eſſe fermè omnium, quæ mihi poſſunt accidere; quod vehementius moveat, quàm dum Zinglium audio dilacerari; imò non Zinglium, ſed Evangelium. Nam quid ille dicit, quòd non ſit Evangelicum? *Ajunt, res Helveticas (ſcis, quæ illæ ſint) nihil ad Te pertinere, ſed Evangelium interpretari, proponere populo, hortari hunc & dehortari; ſed brevibus; non ſingulis concionibus idem repetere, tanquam data opera nihil ſtatuas Tibi agendum, quàm Te toti Helvetiæ reddere invíſum. Quid hæc dicendo, dicunt aliud, quàm, non pertinet ad Zuinglium eſſe Paſtorem, eſſe Sacerdotem, eſſe vicarium Chriſti?* Eodem anno conqueritur Zuinglio, obtinuiſſe Sycophantam quendam Romanum Badæ in Helvetiorum conventu decretum, de Lutheranis comburendis libris, idque ſub excommunicationis pœna. Petit igitur Zuinglij judicium, an eſſet obſequendum: ſuâ ſententiâ excomunicationis hoc fulmen eſſe brutum, proinde non metuendum; tum alijs de cauſis, tum verò *quòd res ſit ini-*

quior, quàm ut ullus obsecundet. Ubi enim (Myconij verba recito) *auditum, condemnatum aliquem, qui non priùs responderit; cur sic vel sic sentiat, quicquid tamen semper efflagitaverit? Clamatur hîc per totam civitatem, Lutherum comburendum, & Ludi Magistrum* (Myconium.) *cùm nihil quicquam de illo dicam, nisi apud meos; idque rarissimè, neque ex eo vel unicam sententiam depromam: Quamvis sciam, quare Luthero me semper adjungant. Dico in Scholis, quæ sunt Evangelica. Dico item, ubicunque res efflagitat, præterea nihil. Sed quia hæc cum ijs consonant, quæ ille habet, in plerisque locis, putant, ex Luthero esse, quæ sunt ex Evangelio.* Cùm Bremogarti esset anno 1520. Indulgentiarum patronus, qui pessimam causam adeò defenderet speciosè, ut etiam rectè sentientibus Lucernæ silentium imponeret, & unum sibi Zuinglium restare expugnandum jactaret, monuit Myconius Zuinglium, ut pergeret, quo cæpit, pede, amplámque in cælo mercedem expectaret. Aliâ fatetur Epistolâ, neminem se, excepto Zuinglio, habere, ad quem in molestijs suis con-

confugeret , neminem item eſſe, qui ſuccurreret. Hoc refugio ſe multum gaudere etiam ob futuras calamitates. Narrat, novum ante octiduum Luteriâ acceſsiſſe Minoritarum Lectorem, qui in ſecunda ad populum declamatione dixiſſet, *Ariſtotelem ſe moleſtiùs illis, qui infeſtiores ei eſſent, inculcaturum.* Eo ipſo adhuc anno vigeſimo ſcribit, literas ſe accepiſſe ab Hedione, quibus referret, adeò nervoſis rationibus ad prædicandum Evangelium excitatum ſe à Zuinglio, ut ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, tandem obtemperârit. Attuliſſe ſenecionem quendam, Magiſtrum Pariſienſem, *Zuinglium in feſto inventæ crucis dixiſſe: Auguſtinum ambire aliquoties; ſacrificos rerum ignaros ita indignatos, ut peccatum in Sp. S. commiſſum exiſtimarent.* Sequenti anno 1521. ſortem ſuam, & iminens periculum Zuinglio exponit, ejuſque conſilium & auxilium implorat. Habent ſemper illius ætatis Epiſtolæ aliquid, quod vel Hiſtoriæ, vel rei etiam Theologicæ inſervire poteſt, rem proinde non ingratam poſteritati (ſi præſenti ſeculo moleſta videatur prolixitas) præſtiturum me confido, ſi cordatos illos iterum viros in theatrum productos ſtitero lo-

quentes. Neque enim metuendum, nos vel sæpius dicta, vel alibi obvia repetere. Aut ἀνέκδοτα omnia sunt, aut ex ipsis originibus eruta; quæ ex Epistolico archivo communicamus. Myconium ergo, Lucernâ Zuinglium ita compellantem, audiamus. *Vix respondere ad literas Tuas possum, Zuingli charissime. Adeò totus sum in mærore ob quotidianas Adversariorum infestationes, quæ non aliter me impellunt, quàm procella marina navem aliquam: Et tamen, qui illi sint, nonnisi ex conjectura novi: Atque si nôssem, ne mutire quidem auderem, quia Primates nostræ civitatis sunt. Non ita longè ante hanc diem vocabar à Dominis meis, prohibebárque, ne Lutherum discipulis legerem; ne nominarem, imò ne in mentem eum admitterem: qui tamen neque in Scholis; neque in ore mihi unquam fuerat, nec etiam in animo eo pacto, ut aliquid vellem infundere. Quid enim illo opus, habenti Evangelium; Quid, habenti Paulum, aliáque Novi Testamenti, quæ sunt? Mox deinde talis fiebat concio, nominatim in hæreses Lutheri, ut nemo non moveretur mirificè. Plerique contra me*

me ſermonem inſtitutum putabant, quem tamen ne tantillum quidem adficiebat, utpote nihil ad me pertinens. Nihilominus, cùm mecum Xylotectus Senatorem quendam præteriret, ſtatim poſt invectionem ſic impetebamur: Vos diſcipuli Lutheriani, cur non defendiſtis Magiſtrum veſtrum? *Nos verò tacendo reſponderamus. Inſuper in proxima concione, de oranda Dominica oratione, hîc tametſi nihil erat mihi non maximè conſentaneum, tamen quia is, qui ſermocinabatur, invehendi rationem ſervabat, exiſtimabatur oratio contra aliquem comparata. Et, quem ſuſpicarentur, præter me nemo erat. Hinc novi inter populum contra me tumultus, qui in tantum denuo creverunt, ut in Senatum pervenerim. Ibi nihil non tractatum adverſus Myconium. Huic Lutherianus eram, novorum dogmatum Seminator; illi ſeductor puerorum, alij neſcio quid aliud. Huc res devenit, ut Senatus conſulto vocatus ſim iterum ad Dominos meos, ad audiendum ea, quæ de me fuerant acta per Senatores. Hæc ſcribere Epiſtolam longiorem*

exposceret, quare nunc supersedeo. Iam rem putâram in vado esse, & ecce novam inveniunt tragœdiam. Scripsit aliquis literas famosas, posuítque nescio quo, ut commodùm, dicto Concionatori in manus venirent, & hoc quoque mihi adscriptum, sive discipulis meis. Quæ res tamen tam à me est aliena, quàm à te, ita me Deus amet. Interim nemo non in me concitatur. Quid igitur faciam, tantis immersus turbationibus? Quo me vertam? Quid inceptem, ut ex hujusmodi vexationibus innocens liberer? Nulla diligentia, nullum officium me eripiet, tametsi jurare audeam, ad diligentiam, qua huc usque usus sum, nihil me posse addere. Sed audi, quæ hujus interpretatio: Ad ostentationem, inquiunt, me omnia facere. Consilio igitur, si poteris, adjuva, per Deum immortalem oro. Scio nunc, quid cogites, me tepidiorem esse in fide erga Christum, quàm putâris. Dico Tibi, si Christus non esset, jam olim defecissem, nihilominus consolationem Tuam desidero. Desperatæ & in novaculæ jam acie constitutæ Myconij felicissimi Ludi-Moderato-

ris

ris Lucernenſis res videbantur; Videbantur tamen tantùm; nondum erant. Nam & diutiùs ibi ſubſtitit, & Epiſtolicum comercium cum Zuinglio, religioſiſsimè continuavit. A. 1522. caſū proponit ſequentem: Aureola, dū adhuc eſſet Tiguri, apud maritum, morbo adfecta, neſcio quo, ſimulachrum fecit Divi Appollinaris, atq; hîc in templo Beguttarum erexit, ut morbus diſcederet. Nunc idem ſimulachrum ablatum è templo, ut liberaret conſcientiam, combuſsit ſuo ipſius conſilio, mota quòd tot pullaſtros attraxerat, per vulgi indocti vota, quos Beguttarum gula delicatiſsima devorârat. Qua re comperta, Senatus eam accerſit, exprobrat rei indignitatem, conqueritur, ſimilem rem apud Senatum hunc nunquam actam, eam eſſe contra fidem, contra Eccleſiam Catholicam, contra Evangelium Chriſti, contra ſacra prophanáque omnia: Quapropter mulctam impoſuerunt, 40. aureos, & ſimulachri reſtitutionem, & ejus facinoris, quòd peregit, confeſsionem, quam ut ſciant peractam, juſſerunt, ut literas ſignatas à Plebejano ad ipſos referat. Reddidit ea pecuniam lubens. Adibit etiam Plebejanum, non quidem ut confiteatur, ſed ut edoceatur per divinas literas, ſeſe peccâſſe; Si ſic fieri poteſt. Verum illud grave, ſi reſtituenda eſt imago.

exposceret, quare nunc supersedeo. Iam rem putâram in vado esse, & ecce novam inveniunt tragœdiam. Scripsit aliquis literas famosas, posuitque nescio quo, ut commodùm, dicto Concionatori in manus venirent, & hoc quoque mihi adscriptum, sive discipulis meis. Quæ res tamen tam à me est aliena, quàm à te, ita me Deus amet. Interim nemo non in me concitatur. Quid igitur faciam, tantis immersus turbationibus? Quo me vertam? Quid incepiem, ut ex hujusmodi vexationibus innocens liberer? Nulla diligentia, nullum officium me eripiet, tametsi jurare audeam, ad diligentiam, qua huc usque usus sum, nihil me posse addere. Sed audi, quæ hujus interpretatio: Ad ostentationem, inquiunt, me omnia facere. Consilio igitur, si poteris, adjuva, per Deum immortalem oro. Scio nunc, quid cogites, me tepidiorem esse in fide erga Christum, quàm putâris. Dico Tibi, si Christus non esset, jam olim defecissem, nihilominus consolationem Tuam desidero.
Desperatæ & in novaculæ jam acie constitutæ Myconij felicissimi Ludi-Moderato-

ris Lucernensis res videbantur: Videbantur tamen tantùm; nondum erant. Nam & diutiùs ibi substitit, & Epistolicum comercium cum Zuinglio, religiosissimè continuavit. A. 1522. casû proponit sequentem: Aureola, dû adhuc esset Tiguri, apud maritum, morbo adfecta, nescio quo, simulachrum fecit Divi Appollinaris, atq; hic in templo Beguttarum erexit, ut morbus discederet. Nunc idem simulachrum ablatum è templo, ut liberaret conscientiam, combussit suo ipsius consilio, mota quòd tot pullastros attraxerat, per vulgi indocti vota, quos Beguttarum gula delicatissima devorârat. Qua re comperta, Senatus eam accersit, exprobrat rei indignitatem, conqueritur, similem rem apud Senatum hunc nunquam actam, eam esse contra fidem, contra Ecclesiam Catholicam, contra Evangelium Christi, contra sacra prophanáque omnia: Quapropter mulctam imposuerunt, 40. aureos, & simulachri restitutionem, & ejus facinoris, quòd peregit, confessionem, quam ut sciant peractam, jusserunt, ut literas signatas à Plebejano ad ipsos referat. Reddidit ea pecuniam lubens. Adibit etiam Plebejanum, non quidem ut confiteatur, sed ut edoceatur per divinas literas, sese peccâsse; Si sic fieri potest. Verum illud grave, si restituenda est imago.

Videt enim duplo gravari conscientiam; aderit enim scrupulus antiquus, & novus additur, si obtemperabit hominibus contra Deum. Consideravimus rem, atque ponderavimus in omnes partes, neque possumus invenire, ut conscientiâ salvâ queat reponere Idolum: Idolum enim est, praeterea nihil. Te consulo ergo, quid hac in re nobis sequendum; quod animae conducat, putes. Ex te pendemus toti. Fac igitur, quod confidimus. Non clàm nobis est, quàm penitus imersus sis undis vehementissimis: Verùm, quòd haec res tam nos premit, nec parva est certè, etiam apud Deum, consilium Tuum remittas, per hunc, absq; omni mora. Sub finem iterum de discessu quaedam suo monet. Friburgum abiturum spes affulgere videbatur, quę tamen protinus evanuit. *Friburgenses*, refert ipse, *nihil adhuc rescripserunt; Quamobrem nescio, quid rei sit. Hoc audio, vix alios esse per Helvetiam, qui pejus velint sanae doctrinae: Id quod etiam Legatus, de quo nuperrimè scripseram, mihi narravit: Sed Lutherianam hic vocabat, non sanam & Evangelicam. Si quid boni ab illis mihi oblatum fuerit, hoc unum dolebit, quod abs Te, absque alijs amicis*

amicis bonis inter lupos poſitus, tam longè ſeparabar. De Te quæ hic dicantur, nec libet, nec poſſum ſcribere: unum tantùm ex Præpoſito noſtro, qui dixit: Nunquam ſe vidiſſe hominem pro ſuggeſtu concionantem, cujus geſtus aptiores, fuerint, atq; adeò nunquam audiviſſe hominem, qui omnia dicat audaciùs. *Vides, ut etiam Lucerna habeat homines judicio valentes.* Et certè, non paucos ibi fuiſſe, quibus & Eraſmi ſcripta, & Lutheri comentaria, & piorum pro libertate Chriſtiana placerent conſilia, eodem adhuc 1522. prolixè idem monuit Myconius. Libenter optimi & meritiſsimi, diu jam ſatis pulvere & ſitu obſitis utor verbis. *Crebrius ad Te ſcriberem, ni negotijs cohiberer, hoc præſertim tempore, quo nullum momentum mihi eſt ſine labore, & eo moleſtiſſimo. Tum cogito quoq;, offendis potiùs quàm gaudio adficias, quòd ſemper petere ſoleam aliquid, & ut minimum reſcriptionem. Quid igitur nunc, inquis, te ad ſcribendum impellit? Dicam: Proximæ tuæ literæ, quibus adeò rem gratam mihi feciſti, ut conſequi verbis planè nequeam, præſertim quod ſcripſiſti de Eraſmo, de quo ho-*

 mine,

mine, ut est doctissimus; ita lubentissimè dicere audio, modò relatio fiat tanto viro condigna. Putarâm ego, atque adhuc puto, illi nihil posse objici, potissimùm in re Christiana, quod vitio subjaceret: verùm audio, imò lego, quosdam, quos minimè suspicabar, iniquiores ipsi esse. Pressit Adamus Petrus Teren. cui præposuit epistolium, si non fallor, Hugbaldus ille, adeò protervum contra Erasmum (ita enim ego rem capio) ut vix aliud unquam protervius legerim. Non veretur illi nomen Theologicum adimere, quòd quicquid faciat in rem Christi, molliùs, tum atque delicatiùs vivat. Indoctior mihi videtur, quàm ut debeat tam insigni viro detrahere. Tu, velim, si quando per otium licuerit, detegas, quidnam tibi videatur. Rumor est alioqui, Erasmo non ita omnibus modis convenire cum Luthero, minùs cum Melanchtone, quòd ille adferat quædam contra scripta Erasmi; hic verò novas in Paulum moliatur paraphrases. Vix credo rem ita habere. In causa sunt multa, inprimis tamen, quòd fermè libris illorum adeò inter se convenit, ut Lutherus dicatur

tur anſam omnium, quæ hactenus fecit, ex Eraſmi ſcriptis cepiſſe. Melanchthon verò in Rhetoricis ſuis adeò paraphraſes Eraſmi laudat, ut ſine pudore alias moliri non poſſet. Si quid enim pararet, pararet nimirum melius. Tu dic quid ſentias: fuiſti enim apud Eraſmum, ex quo procul dubio hauſiſti præſens occultiſsima quæq. Adfuit præterea, ut ſcis, Conhardus noſter, ſermonem fecit. O bellum hominem, bellam concionem & Chriſtianam! Effecit, ut omnia, quæ priùs erant tumultuoſiſsima, nunc tranquilla videamus. Tametſi caput noſtrum continenter reclamat, minùs tamen valet, quàm antea, indies, uti ſpero minùs atq. minùs valiturum inaniſsimis ſuis fabulis. Si audiviſſes, amantiſsime Huldriche, clamantem, atque abjicientem caput illud corporeum, Ro: Pont: in re ſeria non potuiſſes riſum continere. Abſit à grege Chriſtiano, inquit, ut caput tam lutulentum, & peccatis plenum acceptans, Chriſtum abjiciat, qui toties à Paulo caput Eccleſiæ ipſius indicatur. Paſtorem agnoſcamus, non caput, dum tantum cibum miniſtret Evangelicum,

licum,

licum, quantum debet, quod si non faciet, nec pastorem quidem agnoscamus. Omnia hæc tanta dixit majestate, tanta authoritate, quanta potuisset, qui est Christi Spiritu plenissimus. Integras literas opus foret scribere, si adumbrare tantummodo vellem hominis os & linguam. Adfuit Administrator Eremitarum, qui me tractavit, ut decet bonum, non ut ego mereor, &c. Hoc talo steterunt res ineunte & progrediente anno 1522. Mox tamen, eo adulto, Myconius authoritate Senatus expellitur, sedémque mutare coactus, Zuinglio se comendat. *Nullibi enim*, (ita Zuinglium compellat) *malim esse, quàm apud Te.* Ita d. 19. Augusti; Et mox d. 21. *Tantum potest*, scribit, *invidia, ut homines fermè reddat insanos, ut loquuntur, nulla omnino ratione personarum habita. Effutiunt, exprobrandi quasi more, apud Legatos Tigurinos sic; Præfectus duræ cervicis, duri lapidis inquam; Ecce remittimus vobis Ludi-Magistrum vestrum (privavimus enim officio.) Videte ergo, quàm optimè habeat, certum est enim, ad vos rediturum. Ex Legato hæc scribimus: Hic autem respondit: Tantùm venit,*

niat,efficiemus enim, ne dormiendum ſit ei ſub dio. Cæterùm omnes conſulunt,ut adeam Senatum: non enim ſe dubitare, quin gratiam inveniam. Mihi verò nihil minus eſt cordi. Rogare non poſſum, multò minus petere, ut priorem noxam remittant (ſic enim ſuadent) quam neſcio. Nil feci, nil exprobrârunt, niſi quòd ſim Lutheranus: Quid facerem ergo, aut quam veniam peterem? Te conſulo, quid faciendum putes, ſi adnuis ſententiæ meæ, multa millia non illinc me abſtrahent. Sunt alia quædam, & ea profectò magna, quæ faciunt, ut alibi eſſem lubentius: quocirca fac, conſilio me adjuves: Hoc, quod nunc factum eſt, ſi manerem, propediem rediret. Non enim poſſum ceſſare ab Evangelicis moribus docendis, quod ſtatim ut fiet, clamabunt iterum, Lutheranum eſſe, *& erunt poſteriora prioribus longè pejora. Fac per hunc aliquid reſpondeas, ſi per otium licebit.* Noluit deeſſe officio ſuo Zuinglius, ſed ad patientiam Myconium primùm hortatur, poſtea etiam conſtantiam & prudentiam in negotio tam arduo. Unde Epiſtolam, quæ dignisſima eſt, quæ cum blattis & tineis rixari

rixari posthac desinat, adeò multa bonæ frugis, optimíque succi continet.) Myconio scripsit sequentem. *Quòd rariùs ad Te scribimus, charissime Myconi, satisfactione non putamus egere, cùm ipse jam omnibus Epistolis id agnoscas: Tametsi non putem, ad unguem Te omnia agnoscere.* Adeò crebri sunt pulsus, tam vehementes ictus, qui domum Dei dejicere tentant, ut non injustè quis aliquando crediderit, nec ventos esse, nec imbres, sed grandines & fulmina, ac nî apertè viderem, Dominum custodire civitatem, jam dudum clavum abjecissem: Verùm, quum eum videam rudentes firmare, antennam dirigere, velum tendere, & quid multa? Ventis imperare, iners, nec hominis nomine dignus fuero, si stationem deserens, nihilominus ignominiosè perirem. Totum itaque me illius benignitati permittam, regat, vehat, festinet, maneat, acceleret, moretur, mergat, nihil prorsus indignabimur. Ejus enim vasculum sumus, nobis uti potest, & ad honorem, & ad ignominiam: Quamvis crebrò ab illo petam, ut carnem nostram, quam semper sequi piget, quæque instar morosæ mulieris responsitat, & factorum omnium rationem postulat, in ordinem cogat, vetétque recla-

reclamando retinere. Quod item tum ad laudem faciet, cúm vel exercuerit nos ad satietatem, vel cùm viderit id nobis conducturum esse. Quamobrem Te, ò charissime Myconi, oro, ut ei te totum permittas, quod equidem non ignoro te jam dudum fecisse, sed etiamnum dico, ut si, quod paulò post consulam; non successerit, non te turbet. Illud autem hoc est, ut Senatum adeas, ac illic orationem habeas, Christo & Te dignam, id est, talem, quæ illos compungere posit, non concitare, quæque nullos perstringat, non solùm nomine, sed nec ulla suspicione: Lutheranum te esse neget; sed Christianum esse adserat, fidem docendi testetur, non tam quòd Helvetius sis & Lucernanus, sed quòd nunquam nusquam non docendo fidelissimus repertus sis, id quod amor in Te discipulorum tuorum testetur, qui etiamnum sponte sua adsint, Senatum oraturi, ne se jam initiatos deseri patiantur. Atque puerorum hic manum habebis, quantum fieri potest, maximam, è quibus intrepidè verbum faciat civis elegans; doctus, cordatus, breve tamen, quale tuum quoque erit: orationem inquam, habeat, quâ & quantum urbi aliquando profuturi sint, modò Te ducem habeant, testetur, & quantum desidiæ daturi sint, si te priventur.

Etsi,

Etsi, inquam, omnia ista nihil poterant, jam disces quantum patientia possis, nempe, quòd Te, ubiquè repulsum, non tamen abjicies, sed ad Zuinglium Tuum, veluti proprium larem, Tigurum migrabis, fautores habiturus optimos quosque. Nemo enim est, qui non indignè ferat, quicquid Tibi indignè fit; Nolo tamen ipse idem facias, puta quòd indignè feras, siquid immeritò, imò benè meritò irrogetur mali. Lucerna non est, nisi summo periculo cogente, deserenda. *Fer interim, ac si id nescis, disce ferendo. Scio tamen te scire, ac nisi me fallit opinio, ferendo docebis alios aliquando tuo etiam exemplo. Adde, quòd Xylolectus deserendus non est. Jodoco verò perierit dimidium solatij, qui tamen omnes simul Christi jugum suave esse docebunt, cùm dabitur occasio. Sed jam receptui cano.* Quòd *xylotecti*, Patritij Lucernensis Canonici viri & Lucernensis, & Beronensis, viri apud suos honoratissimi meminit, non est mirum. Erat enim & hic ex primis reformatæ religionis assеclis, quos octonario comprehendebant numero. *Spargunt* (verba sunt Myconij ad Zuinglium) *per Helvetiam esse octo, quibus placeat Lutherus, in quibus tu primas obtines,*

obtines, Xylotectus & Myconius adnumerantur, Glareanus quoque; neſcio, qui alij ſint. Idem ex primis erat, qui cælibatum clericorum in Helvetia oppugnârunt, quod ipſum, ut οἰκείᾳ χειρὶ teſtatur, in capitis periculum illum adduxit. Vidit & exemplis domeſticis docuit, quàm periculoſus, votum cælibatus promiſcuum, eſſet laqueus. *Sacrificus quidam noſtras, ſcorti ſui maritum confecit. Scortum ſacrificus aliquandiu, invito marito, aluit: Maritus eum de reſtituenda præda Lucernæ convenit. Hinc, cum ſcorto redeuntem in itinere deprehendit, adgreditur, læthiferóque vulnere cædit, & tandem moritur. Hæc ideò te ſcire volui, ut ſi commodè inſerere libello, quem parturis, poſſes, exemplum habere, recens, quanta noſter cælibatus non modò ſcandala, verùm etiam pericula pariat, quibus legitimo conjugio mederi poſſent noſtri* Helvetij. Ita ſcripſit Non. Jul. 1522. ad Zuinglium. Alter, cujus meminerat Zuinglius, *Iodocus*, Lucernanus itidem erat Præco, *Kilchmejerus* nomine, qui pro cauſa Evangelij, patrocinio præſertim conjugij clericorum, extremum ſubijt diſcrimen. Vel ſuccinctè

eum

eum audiamus loquentem cum Zuinglio *Quàm commoverit, mi pater, quorundam animos apud nos, vel insanire plerosq; faciens Evangelij negotium, quod modò Te authore agitur, dici facile nequit. Etenim tumultus vis, ac renitentium copia, longè superat, ne dicam me, vel facundia dicendi, felicissimum quenq;. Id quod hinc cognosces apertiùs, quòd hisce diebus quendam extra muros ex unctis divini negotij Administratorem in Sempacho, subornatis præconibus deprehendere, statuere primates nostri, ac sic in vincula conjicere: eo nomine, quòd cœnobij Eschenbach Vestalem uxorem duxisse, sibi ferebatur. Quid demum experturus, si inmanus insidiantium incidisset? Ardentissimum namque indagandi studium fuit, ingénsque sævientium rabies; satis severam animadversionem fore attestans. At per quosdam, id ipsum præsentientes, admonitus, propitio Deo evasit, vestali porrò detenta & incarcerata, quæ & ipsa post dies aliquot, nescio, quo opitulante, liberata evanuit.* Cęterum hæc illa tempestas & in me propediem novos & prio-

prioribus atrociores fluctus torqueri ſanè minatur; quòd paulò ante accerſitus licere hoc divino inſtituto, imò, quòd neceſſarium continentiæ verbum non capientibus, ſim publicè concionatus. Hinc me nefandæ rei, ut ipſi arguunt, audaciam pariter & anſam adminiſtrâſſe temeritatis. Iminet exinde judicium, quo, quæ in me potiſsimum ſtatuatur pœna, intrepidus maneo. *Tu verò audi. Hæc cùm ſcriberem, irruit præco, à Senatoribus miſſus, denuncians, haud tam propè in januis judicij diem opinanti, ſequentem diem indictum mihi & ordinatum, quo in me foret animadvertendum.* Sed ad *Myconium* redimus. Omnino Deus alibi, quàm in patria, ejus uti maluit opera, exeundum ergo fuit Lucernâ, & ne ſpes præſidij, in Zuinglij amicitia collocata, decollaret, & animo illum hic juſsit eſſe bono, & blandè ad ſe vocavit. Id quod ex literis die 26. Auguſti ejuſdem anni ſcriptis, luculenter colligimus. Ita illæ habent: *Clariſſime Myconi. Si Te omnis, etiam Lucerna deſerat, oro, ut ne te turbet. Quo enim pacto alio id diſceres, quod Chriſtus præcepit, adimplere, nempe, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Nun-*

 quam

quam enim non de Te mentionem habemus: contubernium noſtrum ſine ſummo dolore, rurſus non ſine certis pollicitationibus, quòd Te nullatenus velimus nec conſilio, nec fortunis deſcrere. Proinde inconcuſſus ſis: Dabit Deus his quoque finem. Proderis nobis Tiguri ad varios uſus. Proderis etiam Tibi. Nam Ceporinus poſt Galli feſta legere incipiet, tum Hebraicè, tum Græcè, quod hactenus per negotiorum ſtrepitum Tibi nunquam contingere potuit. Verſaberis inter Tuos Utingeros, Engelhardos, Rhegios feſtiviſſimos ſenes: Inter Eraſmos, Zuinglios, Megandros, Viros minimè pœnitendos: Inter Grebelios, Amanos, Binderos candidiſſimos, & doctiſſimos adoleſcentes. Aderit etiam tandem immenſis iſtis viribus ſuis rugiens, ac juſtitiam ſitiens Leo, Teucro minor, ſed Ajace fortior. Aderit crebrò dulciſſimus ille Eremi Adminiſtrator, omnium pater, qui Deum Patrem colunt, cum Franciſco noſtro, quo nihil vidi le[illegible]ius ac amicius. Hos recenſui, quo demigrationem Tuam ſoleris, interea tamen ubique intenti erimus, ut ſi quid vacet, tu inſtituaris. Forti onine ſolum

lum patria eſt. *Non enim habemus hic civitatem, in qua perpetuo manere detur, ſed futuram inquirimus.* Hæc dum Zuinglius exaravit, horâ antemeridianâ nonâ, poſt meridiem horâ primâ, nuncius affertur, Caſpari Frigij Secretarij Tigurini, viri in Geographicis exercitati, conſilio factum, ut per fratrem ejus, Proconſulem Badenſem, provincia Myconio Scholæ Thermopolitanæ demandaretur. Hortatur igitur eum Zuinglius, ne hujus Spartæ ipſum pœniteat, fore enim, ut civitati, aliâs humili, ſplendor per induſtriam ejus accedat. Non ſucceſsit tamen hæc vocatio: Tigurum, ubi jam ante Reformationem Scholæ Carolinæ præerat, redijt; ubi amiciſsimè exceptus, & publico muneri præfectus fuit. Idem fatum ſubijſſe xylotectum, Rodolphus *Clivanus*, vel *Collinus*, & ipſe Lucernenſis, (poſteà ex reſtione Profeſſor Græcus) in vita ſua Mſc. obſervat. Merentur verba, quæ hoc loco inſerantur: *Lucernam*, inquit, *traductus, in familiam D. Johannis Buchholzer, Præpoſiti Lucernenſis (qui mihi magnus avunculus erat) ſuſceptus ſum, apud quem commoratus ad quinquennium, & varijs uſus Præceptoribus, viris quidem bonis, ſed*

 nihil

nihil nisi cantare peritis, magnam studiorum jacturam fecissem, imò ad frugem bonam nunquam evasissem, nisi D. M. Johannes Xylotectus, Lucernensis & Beronensis Canonicus, patritio genere ortus (qui postea anno 1526. d. 6. Augusti, Basileæ peste obÿt, patriâ ejectus propter religionem, qui patriæ & religionis unicum decus fuerat) mihi privatim Virgilium prælegisset. Sed & ipse *Clivanus*, cùm Mediolani adhuc esset, studiisque operam daret, literis suum in Zuinglium affectum testari voluit. *Vivo*, scribit, *Mediolani apud Amanum, doctissimum & integerrimum juvenem: Imò, si verum fatear, Mediolani quidem sum; sed apud Zuinglium meum vivo. Nam dici non potest, quàm tu utrique in ore sis, de utroque enim optimè meritus. Attamen, quo meum adversus Te animum non verbis duntaxat declarare aliquando liceat, aut verbis tanto, talique amore dignis, &c.*

4. Uranÿs. Apud URANIos nomen Zuinglij non fuisse ignotum, illa *Jodoci Schmidÿ*, Archigramatei Uraniensis docet Epistola, quâ gratias ei ante omnia agit, pro labore & industria, quam Basileæ sibi impendisset, auxilium

lium poſtea & conſilium in inſtitutione fratris minorennis ſolicitè implorat. Petit, fratrem vel ab ipſo Zuinglio ſub tectum recipi, vel conſilio ejus & cura alij comendari. Satis emphatica ſunt verba: Ich kehre zu dem brunnen/da mir ergetzlichkeit entſpringen iſt in der hitz meiner kindheit / euch anrüffend vmb hülff vnd rath. Vri 1519. Supereſt & aliud ſcriptum Volcatij cujuſdam Toneri, quo Zuinglio addit animum, ut conſtans ſit, telam feliciter cæptam pertexat; ſimúlque indicat, non paucos eſſe ex Tugienſibus, Suitenſibus, Uranijs, qui prædicationem Evangelij avidè expectent, paratique ſint Chriſti jugum ſuſcipere, modò tandem in libertatem conſcientiæ aſſerantur. Publico quidem ſcripto *Valentinum Comparem*, etiam Uranienſem Archigrammateum, Zuinglio contradixiſſe, in aprico eſt, quid verò hic Adverſario ſuo tribuerit, ex veſtibulo reſponſi apparet. *Amica illa Tua* (extant verba T.1.pag.229.) *& benigna ſcribendi ratio, Valentine dilecte, manifeſtè arguit, te non parvo, nec etiam frigido prorſus ſtudio teneri, ut animam tuam ſacrarum literarum lectione fovere poſſis & paſcere, licèt humanarum tradi-*

 tionum,

tionum, quas carnis nostra ingenium progenuit, remora currentem te non parùm adhuc impediant. Et paulò pòst. *Non nego scripta Tua modestissima, digna esse quæ in vulgus exeant, ut vel docti quidam, qui mutuis convitÿs ita se proscindunt, ut vel immanes & barbaros milites scurrilitatis tanta meritò puderet, ex illis discerent, quo pacto, quibusve verbis Christiano homini, si alterius cujusdam doctrina vel factis offendatur, scribendum sit. Hoc enim Tibi ingenuè tribuo, quòd nullum adhuc alium mihi videre licuerit, cujus scripta tantis curis & tanta cum diligentia, sine omni cavillandi & convitiandi libidine ad veritatis investigationem penetrent, quanta tu uti soles.* Hunc honorem fortissimi Uranienses Zuinglio habuerunt, ut ne quidem Elenctica sua scripta felle tingi voluerint, aut acerbo loliginis succo perspergi.

5. Suitiæ.

Antiquissimæ SUITENSIUM Reipublicæ Zuinglium, etiam post resignatam functionem Eremitanam, non displicuisse, palàm facit seria illa compellatio, qua Senatus Populúsque Suitensis Zuinglio Tigurum abituro quendam Johannem Henricum commen-

mendant. Quod vel honorificentius, vel dignius abituro Pastori obtingere potuisset sive testimonium, sive viaticum, quàm quod, ut verba ex autographo habent, S. P. Q. Suitensis fatentur: Wiewol wir zum theil betrübt in Euwerem abscheiden / von den vnseren zu Einsidlen; Jrdoch so haben wir dargegen frewd mit Euch / in allem so Euch zu nutz vnd Ehren dienet; Suitiæ 1518. prid. Thomæ. Luculentius circa ipsam Reformationem Suitia prodijt documentum *Balthasari Stapferi*, Archigramatei Suitensis, quod haud obscurè indicat, fautores Reformatori ibi etiam loci non defuisse. Stapferi Epistola prolixa est, cujus sumа huc redit. Officiosissima, veréque Christiana præmissa salute, comendat favorem & benevolentiam, quam hactenus à Zuinglio varijs documentis esset expertus, comunicatione cumprimis scripti, quo patriæ saluti prospectum maximè voluisset (*Paræнesin*, dubio procul, intelligit, *ad vetustissimam Suitensium Rempublicam, ut Principum amicitias & insidiosa alienigenarum munera caveat*, quæ operum T. 1. pag. 154. extat) quod magna cum animi lætitia excepisset. Cùmque suam suorúmque ei operam in consilij illius promotione, seriò impendendam obtulisset,

tuliſſet, indicat Zuinglio, ſibi à ſacrificulis quibuſdam, amicis probatis, ſuggeſtum, ut avitis relictis veſtigijs, Evangelicæ doctrinæ, quæ ſola viam oſtenderet ad vitam, accederet; libellos etiam quoſdam, eam ad rem paratos attuliſſe, illum, inter cæteros, quem publicè docuiſſet Zuinglius, & Veſtalibus Oetenbacenſibus, de perſpicuitate & virtute verbi Dei, dedicâſſet. Huic ſcripto ſe multum tribuere; Quò, diligentiùs eum volviſſet, ejúſque fructus examinâſſet, eò magis animum accenſum, famémque voluptatum ſpiritualium excitatam. Et quum à ſuis viribus nihil expectet, ſperare, divinitus ſe tractum iri. Ab hujuſmodi autem per ignorantiam ſe abhoruiſſe, neque vel locum, vel aurem dare illis voluiſſe. Rogavit porrò Zuinglium, veluti fratrem in Chriſto, ut ne hanc compellationem ægrè ferret, cùm naturâ didicerimus, eorum implorare opem, à quibus præſentiſsimum præſtolaremur auxilium. Non ergò mirandum, ſi ad eum rediret, cujus antehac humanitatem, imò liberalitatem eſſet abundè expertus: Fame jam ſe ſtimulari non corporis, ſed animæ: Neque obſcurum ſibi eſſe, quàm prono promtóque, Chriſto, quos poſſet, ille adduceret, & lucrifaceret, animo; cúmque

que membra omnes ſint in Chriſto Jeſu Capite, ipſe verò & morbo teneatur, & negotiorum mole obrutus, ea loca, in quibus ſcripta, quibus ad amorem Dei & proximi inflametur, proſtent, accedere non poſsit, rogat, ut per Zuinglium illa poſsit accipere. Nihil enim ſibi gratius, quàm continuum earum rerum, quæ Chriſtianiſmum oſtenderent, exercitium, quod & in ſuum, & in familiæ ſuæ copiosè redundaret commodum. Adeò verò familiariter honoratiſſimus ille Suitenſium Archigramateus cum Zuinglio egit, ut obices etiam illos, quos curſui Evangelij ponere multi conabantur, detexerit, calumnias varias, quibus ipſe Zuinglius hinc inde erat impetitus, aperuerit: Cujuſmodi erant, Zuinglium 1. odio tantùm in alios, non veritatis ſtudio, ferri ad inſolitum illud præconium. 2. Zuinglium in Clerum tantùm invehi; Magiſtratum Politicum, Cæſarem & Principes non item. 3. Vitam, Evangelij puritati non reſpondere. 4. Pluralitatem beneficiorum ambiviſſe, eamque ad luxum, vitæque licentiam obtinuiſſe. Hæc omnia Stapferus; ut ex Zuinglij reſponſo obtrectatoribus os obthuraret; in ſinum amicum depoſuit. Affectum inter reliqua Zuinglij monumenta (quod ex ipſa materiæ pertractatione,

quam in scriptione colligere est facilius) extare Apologeticum, observavi quidem: attamen, si quid judicare possum, ansam hinc Zuinglius ad hæc convitia publicè respondendi (de quibus postea suo loco) arripuit. Data est Epistola Suitiæ 1522. d. 19. Octob. Sed & ex clericis Artensem Pastorem video familiariter usum Zuinglio. *Mycon.* 1522. prid. Non. August. *Non potes nescire, Zinli, turbas sacrificorum de Christo bene sentientium: Non etiam, quàm sint aliqui, qui multa patiantur propter eandem causam, inter quos quidem non postremum esse Artensium Pastorem, novisti optimè.* Hic, anno 1520. cum Zuinglio Tiguri fuit, eodem teste. Anno postea 1521. lætiorum auspiciorum meminit, simúlque opem Reformatoris in enarratione Orationis Dominicæ implorat. *Cùm scrupulus* (verba sunt Epistolæ Balthasari Trachzeli, Curati Artensis) *quispiam ingruit, ad Te Vir venerande, veluti ad sacram, ut ajunt, ancoram, confugio. Quapropter quomodo hæ duæ Dominicæ orationis petitiones, sanctificetur nomen Tuum, & adveniat Regnum tuum, in vulgus, quò probè capiat, transfundi debeant, Te literis mandare*

mandare velim, quæ inſtanti cum nuntio huc advolent; rem facies grato quidem gratius. Deinde cuncta mihi proſperè ſuccedere, Te inſcium eſſe nolo: quanquam locum Divæ Virginis Eremitanæ miſſum facere coactus ſim; propterea quòd cooperator meus, una cum noſtratibus, Marti militat. Verùm, negotium cæptum olim, Jeſu favente, perficere ſpes eſt. Tibi ſemper quàm commendatiſsimus eſſe cupio: Quo ad enim ſpiritus hos reget artus, habebis me, cui imperitabis pro voto.

Proxima SUITIÆ inclyta Helvetiorum EREMUS, vulgò Einſidlen / ubi Zuinglius nihil non potuit. Nam & Adminiſtratorem Geroldſeckium habuit Mæcenatem, & Franciſcum Zinckium, Sacellanum Pontificis, amicum, & plebem quoque obſequentem. Et *Adminiſtratoris* quidem, in abiturum etiam, ea adhuc fuit benevolentia, ut ſucceſsionis ei curam demandârit. Cúmque Leonem Judæ, ad S. Hippolytum in Alſatia tum Paſtorem, cæteris anteferendum, ille exiſtimâſſet, non obſcuris huic rationibus provinciam illam comendavit. Literæ Zuinglij ad Leonem Judæ XVI. Kal. Jan. 1518. Tiguri datæ ita habent: *Quàm*

6. Erem Helvet.

arcta

arcta mihi fuerit olim Tecum amicitia Leuncule doctissime, haud præsentibus explicandum duxi, quum hujus rei memoriam sciam Te pro Tua humanitate non minorem habere quàm nos. Quò fit, ut cùm tui perpetuus mentionem habeam, perpetuò quoque bene velim; atque adeò bene velim, ut cùm Tibi quædam accidisse non ex animi Tui sententia audirem, illico cæperim, quonam modo rebus Tuis consuleretur, cogitare. Quoniam verò ingenio, Naturave (licèt extra natum) in Helvetios propensiorem novimus, eruditione interim haud vulgari, fide verò propè Catoniana; hinc est, ut quæ nos è re Tua futura existimavimus, speremus Tibi quoque probari. Nuper itaque Tigurini Pastorem nos sibi legerunt, Eremi (ubi AEdicula Deiparæ sacerrima, Germanis item omnibus celeberrima conspicitur) tunc caularum Christi curam habentem, Dominus autem Theobaldus Geroldseggius, Monasterij ejus Administrator, quo in nos est animo, jussit, ut ad Te accersendum has scriberemus. Est itaque, est oblata Tibi ansa, qua inter Helve-

Helvetios te trahere imò inter medios Suizeros ſiſtere poſſis; conditione plus quàm honeſtâ. Nam Domini expenſis, ubi adveneris, nihil non exigi credas pro voto Tuo, in manu veſtra non nihil ſitum eſt: Agemus partes Tuas, ſicut hactenus hac in re egimus. Nam Te à literis commendavimus, quòd arcanas iſtas, & verè ſacras dignè colas, & ſis ille ſimplex; prudens Leunculus, quem nos omni perſpexerimus parte, qua re D. Adminiſtratorem ita accendimus, ut Te præ cunctis mortalibus ſibi vendicare cupiat. *Proinde occaſionem iſtam crinita arripito parte; etenim parte nequit calva poſteriore capi.* Populus, cui præfuturus eris, eſt ſimplex, quiſque Chriſtum vel nobis præitore libenter audiat annunciari, *Victus affluens, Dominus mediocriter eruditus, literarum verò avidiſſimus, & eruditorum ita amans, ut nullius rei magis. Ego præterea non longius ſex horarum itinere à Te abero, &c.* Paruit Leo, Zuinglióque in Eremitana Parœcia ſucceſsit, ibíque curſum Evangelij ita promovit, ut quicquid ibi eſt ſuperſtitionis, paulatim labi cæperit; qua de re ipſe Ezovius, licet invi.

invidis & lividis verbis ad an. Ch. 1518. S. 17. *Multò apertius*, inquit, *& impudentius Lucas & Leo. Illi non modò publicè Indulgentias, & ad loca sacra piaque peregrinationes, vota, & donaria ridere, & calumniari*; sed sacellum Dei pene non alio loco habendum, quàm quodlibet è campestribus blaterare; Deum esse ubique, neque certis locis retineri. Quicunque honos Deiparæ Matri defertur, auferri eundem & detrahi Deo omnipotenti. Postea, his veluti fundamentis, ad alia delabi, & falsissima pro veris adfirmare; quemlibet Sacerdotem Papam esse, & Episcopum; & rursus; Quemlibet laicum Sacerdotem esse; sacrum ordinem nullum esse: Nulla præterquam tria Sacramenta: Antecessorum animas cœlo omnes, vel inferno receptas. Nullum Purgatorium: Vanas proinde & aniles pro defunctis memorias; benefacta & sacrificia. Missæ sacrificium rem mendicariam, varijs è centonibus contextam. Quò Monasterijs & locis pijs, plura offeruntur pietatis & religionis amore aut obligatione, eò majora suppetere Monachis & Presbyteris in luxum & nequitiam. Frustrari enim laicos, si credunt ab alijs aliquid ideo præstari. Nullum fraudulentius, & deterius aliud homi-

num

num genus, quàm falſos Presbyteros. Nunquam Evangelium antea rectè annunciatum, omnes ad id tempus velut paganos & infideles vixiſſe. *Poſtremò, tanquam, uno verbo, omnem religionem evertere conarentur, nihil intereſſe aſſerebant, quid quisque crederet*, (hanc alibi calumniam jam diſcuſſimus) *& perinde Platonem, Ariſtotelem, Hippocratem, Ovidium, Martialem ad æternam beatitudinem admiſſos eſſe.* Acceſsit proinde incolarum Heremi, quorum hactenus magna pietatis hoſpitalitas, & religio viguerat, repentina arrogantia, levitas, advenarum & externorum contemptus: quaſi eodem tempore veluti tabe omnibus pariter corruptis, quicquid veteris moris & religionis fuerat, corruiſſet. Quæ omnia inſolita, nova, & inopina peregrinos admodùm attonitos & incertos reddiderunt. Igitur multi eorum conciones, tanquam Lutheranas (jam iſtud vocabulum ab authore Luthero dabant) reſpuere, & queribundi minacésque palàm deſerere: alij cereos, donaria, & alia, quæ voti aut religionis cauſa detulerunt, domum reportare. Multi, intellectis, quæ gerebantur, medium iter interrumpere, plurimi peregrina-

regrinationem intermittere. Omnes denique ad tam inopinatam, & repentinam; detestabilémque rerum conversionem obstupescere & abhorrere. Addit postea, Eberhardi & Gregorij Abbatum reliquias è suis feretris, manibus avulsisse; Tabellam in Sacelli Virginei frontispicio collocatam, in qua scriptum erat: *Hic est plena indulgentia*; sæpius dejecisse: hancque jam labem ad plures pervasisse. *Hac ille.* Addimus subinde prolixiores Adversariorum digressiones, non quòd virulentis eorum delectemur insectationibus, & conviciorum plaustris: Sed ut ex aculeato eorum animadvertamus stylo, quàm lubrico res Pontificis Romani steterint loco, apud eos etiam, ubi superstitionem lucri offa non minùs sustentare tum poterat, quàm olim Diana apud Ephesios. Sed ad *Theobaldum* revertimur. Postquam Zuinglius Tiguri publicè Evangelium annunciâsset, superstitiones evertisset, non desijt ei & animum addere, & patriæ gratulari. Anno 1522. ubi prius retulisset, rectè sesuáque habere, petijt à Zuinglio formulam præsentandi vel confirmandi Presbyteros: se enim deinceps, consentientibus & approbantibus D.D. Suitensibus, hoc munere functurum, etsi aliorum ingratijs id fieret. Hujus autem formulæ scopum esse

vult,

vult, ut unus quiſque moneretur de præconio ſalutaris doctrinæ Evangelicæ. Sequenti inde anno 25. gratias agit Deo, quòd patrocinium verbi Dei Reſpublica Tigurina adeò religiosè ſuſcipiat: Sperat; Deum propoſitum eorum confirmaturum. Cúmque; libertatem Evangelij prædicandi vix diutius poſſe ſperari, in Eremo animadverteret, ipſe quoque; poſthabitis vitæ commodis, ſplendore, abundantia; ſedem mutare, privatúſque vivere ſtatuit. Qua in re Zuinglij iterum ſolicitavit operam, anno eodem, per Epiſtolam, in qua, præter cætera; *De Evangelio quid ſcribam? Meſſis multa, operarij pauci, & ſi qui ſunt, non tamen docent ad ædificationem, ſed potiùs deſtruunt.* *Veſeniam* etiam & *Caſtra Rhætica* (vulgò Gaſtel) multum Zuinglio detuliſſe, ſuo narrabimus loco, ubi Evangelij præconium receptum ab iiſdem fuiſſe, monſtrandum nobis erit.

7. Tugij.

Ex TUGIENSIBUS *Petrus cholinus* erat, & *Wernherus* Steinerus, Zuinglianæ eruditionis, pietatis, Reformationis vel admiratores, vel imitatores. Et hic quidem jam annó 1515. in Italia ad Marignanum, cùm Zuinglium Caſtrenſem Paſtorem audiviſſet, optavit, ut ſaluberrimis ejus

conſilijs locus daretur. Ille verò inter Bibliorum Tigurinorum Interpretes non poſtremus, Tiguri etiam obijt. *Chami*, in agro Tugienſi, Presbyter ſive Plebanus erat, *Iodocus Myllerus*, qui an. Chr. 1522. Zuinglio quendam ita comendavit, ut ſimul teſtaretur ſuam in eundem obſervantiam. Cogitanti (verba Epiſtolæ *Myllerianæ* ſunt) quo via tico deducere poſſemus hunc Bernhardinum, qui has ad Te defert litterulas, Tu ſolus occurrebas, omnium patronus ſolers, cui & me, & illum comitterem. Fuit mihi cooperarius ſatis ſupérque fidus, ut non ſolùm domi meæ, verùm etiam foris par illi fuerit accomodare ſe moribus aliorum planè integris. Ea quippe in illo ſita eſt modeſtia, quòd injuriâ affectus à quovis, etiam ſordidiſsimo homuncione, haud pili faciat. Quem ſi dabitur copia comendandi, non abs re fuerit, ſi juſtæ huic meę poſtulationi annuas. Quòd ſi nec fata ſinant, ut illum aſſumas in Tuum contubernium, fac, precor, humaniſsime vir, ut Tua interpellatione M. Conradus in Kuſnacht, ſpectatæ fidei alumnus, ſi comodè poſsit, & vacet, ſuo proſequatur favòre, amico admodùm jucundo, at curam illius agat propenſiùs, in miſeræ ſortis caſus adactos. Tantus eſt profectò in illo ſtudij fervor in bonas literas, ut in-

inſumpti laboris ac impendij tædeat nihil. Qui cupiat doceri à ſumæ eruditionis Præceptoribus, quò evadat emunctior ad rem divinam capeſſendam, cui præter cæteros apud nos vigilantior incubuit. Tu quidem nôſti; quantum veritas malè audiat apud ingratos; & quid moroſi obganniant ſenes, quo juvenum abducant animos ab Evangelicæ doctrinæ viridarijs, & à veræ pietatis fontibus; ipſi interim turbulentis involuti lacunis. Qui neque ſibi ipſis temperant, quin accerſant ignobile vulgus in odium cujuſcunque addictiſsimi in Legem Chriſti. Is porrò in nos concitatus eſt tumultus ab Erynne quadam furijs agitata, non parùm nobis infeſta, quatenus in tuto collocare pedem vix ulli ſit conceſſum, qui non maleferiatis operam navet authoribus. At operæ prétium eſt, ea via tranſigi vitam hominum, quam & Dux noſter ac Servator Jeſus ingreſſus. Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger. Interdum docta plus valet arte malum, &c.

8. Glaronæ.

GLARONA affectu adeò propenſo & cultu in Zuinglium fuit magno, ut nihil vel eruditi (quorum non contemnendum tum aluit numerum) neque Proceres, neque Miniſtri, neque plebs etiam facilè tentârint, niſi in conſilium prius Zuinglio adhibi-

hibito. Contrà, quicquid honori & famæ Zuinglij inservire, eam augere & amplificare poterat, vix illud alijs curæ magis fuit, quàm Glaronensibus. Quàm solicitus ipse fuit *Henricus* iterum *Glareanus*; qui tamen priora postea pietatis studia deseruit; pro primis Zuinglij contra Monachos certaminibus? Optat, valere Zuinglium, & cùm audivisset, esse illi aliquid cum Monachis negotij, monet, ut prudenter agat: Homines esse, à quibus plusquam ab aspidum veneno cavendum esset: Obesse posse, prodesse paucis velle: Habere ubique suos corycæos, quos indulgentiarum lenocinio facilè sibi mancipent. Hæc jam an. Chr. 1519. Ubi Basileam, an. Chr. 1522. intravit, familiari testari voluit Epistola, se rerum & fortunarum suarum socium adoptâsse Zuinglium: *Satis commoda nobis sunt itinera; cætera omnia ex voto. Magno enim applausu juvenum & civium susceptus sum Basileæ. Jam ad Bernam (ut opinor) commeabo. Erasmus rectè valet, & tota doctorum cohors, à quibus omnibus plurimum salutaris.* Vehementer timeo, inter Lutherum & Erasmum duellum. Quòd si evenerit, quàm, Dij boni, literarum studium gravabit? Cùm perditissimi Sophistæ conspicient, doctrinæ omnis

mnis lumina confligere. Et eodem anno prid. Non. Feb. Gratulor Tibi, imò non Tibi ſed Evangelio, quòd feliciter vicit. Ita benignus eſt Chriſtus. Ternas nunc mitto literas, ad quas quòd nihil reſponderis, non equidem miror, imò verò ne ſolicitus ſis velim. Gebvvilerus ille, cùm audit Tragædia miſſam & verba turpiſsima, quæ de Te dixit, temereque effutivit, à me perſcripta Tigurum, inijt ſuæ ſortis conſilium. Tandem invenit, eundum eſſe ad Decanum ſumi Templi, qui nunc Senioris Epiſcopi munia obit. De Sacerdote Uldrico conqueritur, quòd is verba ſua aliter, atque dicta ſint, interpretetur: Convocatur Sacerdos: Pro tribunali ſedetur, inprimis ille à Diesbach, Decanus, Liechtenfels, Andlovv, & neſcio qui alij, Pontifices & Vicarij. Porrò ut res geſta erat, à Sacerdote dicuntur: Dixiſſe in Te, & in nomen Tigurinum: Male feriatos eſſe, qui ad Diſputationem appuliſſent animum; Zuinglium ſenſim docuiſſe. Tum admonitum, ne talia diceret in urbem Tigurinam, & in Te. Adeſſe homines hîc, qui talia pati nequeant: Cùm ab inſania non deſiſteret, dixiſſe, Glareanum hæc ſtatim ſcripturum, ſi reſcierit, atque adeò dixiſſe mihi, méque ſcri-

 pſiſſe

psisse. Multa alia effutivisse dicitur. *Sed ad omnia fortassis connivendum erat, si de hæresi tacuisset:* quanquam urbi Tigurinæ neutiquam silendum existimo, quam puto optimo animo hæc & voluisse & mandasse. *Tu videto, quid in re tali agendum censeas. Ego sanè velim obstrui os talibus, qui ubique hæreticos Evangelicos appellant.* De incrementis Evangelij, quàm sibi fuit impensè gratulatus? *Epistolam bene longam* (ita ad Zuingl. 1522.) *mittis, quam tamen voluissem, suavissime Huldrice,* multò longiorem, adeò impensè gaudebam Evangelij rem feliciter ubique ἀναζωπυρεῖσθαι. *De Macrino quod scimus, ex Berchtoldi* literis scribimus, triumphavit Evangelium, Canones Papæ ridiculo habiti sunt Soloduri, cum magna Macrini gloria. Huttenus nobiscum est, οὐ χαρίεις, ὡς οἴομαι, τοῦ πολυΐστορος ξένος. *Cum eo bis pransus sum; mansurus est aliquandiu hic. Sed tutela à Magistratu promissa, qua nescio an indiguerit: Eam tamen habere voluit.* Neque negligenda, quæ de Fabro & Erasmo narrat, responsoriâ ad Zuinglium idem, an. Chr. 1523. qua & breviter se excusat, cur ipse disputationi

tationi non poſsit intereſſe. *De Eraſmo, quæ alterâ Epiſtolâ ſcribis, vehementer ſum admiratus. Ac mirum, ſi Tu hoc credis.* Faber fortaſsis hæc ſibi perſuadet, ac ubique temerè ſeminat: Sed naſutior eſt Epiſtola, quam ad illum dedit, quàm ut decem Fabri intelligant. Laudari ſe putat, ubi maximè ſuſpenditur, non addam, quod volebam: Sed quid de Diſticho hoc in librum Fabri adverſus Lutherum editum, non dicam cujus ſit, ſiquidem neſcio: Sed enim audi:

Fronte cares, ſi res agitur Tibi ſeria, rurſum
Mente cares, hæc ſi ludis amice Faber.

Eraſmus quid ſcripſerit, in manu omnium eſt. Senex eſt, quieſcere vellet. Sed utraque pars eum trahere conatur. Ille humanis ſectionibus adeſſe non vult. Et quis eum trahat? Quem fugiat, videt; quem ſequatur, non item. Chriſtum omnes ejus libri ſonant. Ac magis veriſimile, Lutherum ſtudijs Eraſmi adjutum, quàm Eraſmum illius. Timidus eſt, quia cunctator. Nunquam quicquam ex illius ore audio, quod non Chriſtum ſonet. *Opiniones humanas quaſdam habet. Francis plus favere videtur, quàm Germanis, quanquam omnes*

 ad-

adjuvat ex æquo. Displicent ei concionatores quidam, qui & Tibi placere non possunt. Qui, cùm indocti sint, Lutherique causam adjuvare volunt, non modò non adjuvant, sed etiam Evangelio nocent. Lutheranus esse non vult Erasmus, sed neque Anti-Lutheranus; nisi adeò flagelletur ab ijs, ut ferre amplius nequeat. Aliquid Glareano dandum erat, ut, ubi postea, mutata mente & sede, religionem Pontificiam non modò mordicus defendere, sed ipsos Reformatores calumnijs obruere Glareanum, Lectores animadverterint, non ignorent, illum, veluti αὐτοκατάκριτον, aliter locutum sobrium i. e. ab affectu & odio liberum; aliter ebrium, i. e. poculo etiam Cyrcæo, & præjudiciorum undique vappis oppletum. Sed & Franciscus Cervinus, cujus suprà jam meminimus, in sinum Zuinglij confidenter deposuit, quàm malè cætui Glaronensi per successorem fuisset consultum. *Tales* (scribit 1528.) *mi Huldarice habemus Glareanæ animarum procuratores; qui Christo suas oves ipsis commissas ita lucrifaciunt*: Profectò non Christum, sed se ipsos, sed homines prædicant. Ut summatim exponam: *Quicquid olim*

olim per totum decennium in populo inſtaurando, & ad veram fidem (decennij integri Miniſterium Zuinglianum, jam melioris doctrinæ fuit præconium) *confirmandam, operis deſudâſti, hoc illaudatum ſcelus ſuo ſtultitiæ ſpiritu funditus evertit. Quoniam, ut vulgus hominum à Natura aliâs proclivum, eſt à malis ad pejora, ſimul cum hoc nequiſſimo nebulone pleraque pars everſa eſt. Quamvis ego pro vero neſcio, qui Te ſemel duntaxat, dum Glareanæ fui, vel dicam in vita, audierim; ſed communis populus ita (NB.) mihi prædicat. Ut certè veriſſimè dixerit Propheta: Cùm ſancto ſanctus eris, & perverſus eris cum perverſo. Qualis paſtor, tales ſunt & oviculæ &c.* Ex quo verò *Fridolinus Fontejus* ſacris ſeriò operari cæpit, curſus Evangelij feliciùs ſucceſsit. Unde & ipſe Zuinglium, eo nomine compellat. *Ne te lateat, in omnibus noſtris Glareanis Eccleſijs Evangelium pulchrè procedere: Deus det & augeat gratiam. Quanquam haud pauci Evangelij fautores obierint mortem, nihilominus ſemper habeo multos verbi Dei Auditores. Nam cottidie cogitare ſoleo, quanam*

nam re Christianum adjuvem profectum. Nam crede vera loquenti, non minus mihi curæ est, ut purum Dei verbum Ecclesia nostra consequatur, quàm vel doctiori me. Prædico enim, absit jactantia, sedulò, quo vitia arceantur & Christiana charitas adolescat: Quoniam belli sunt mirum in modum cupidi, id quod plurimum displicet. Audeo ego intrepidè omnem Ecclesiæ abusum, & omnia humana præcepta, in enunciatione verbi Dei damnare, excepto Sacramento (de hoc enim capite, in quo religio omnis Papismi recumbebat, plus fuisse laborandum, quàm de cæteris omnibus, suo tempore, (.ϑ. monebimus) *Adhac, licet mihi absq; periculo prædicare de Purgatorio, de Indulgentijs, de merito, & de omnibus Papæ nugis: De his populus, gratiâ Dei, satis persuasus est, nugas esse & fabulas. De intercessione nullus amplius est labor. Nullum enim amplius admittunt Intercessorem præter Christum: Id ex Johanne didicerunt. Atq; sic res bene habet; Deus nobis augeat gratiam suam.* A. 1530. totum Ministerium Glaronense ab ipso decisionem quæstionis de divortio, veluti Præceptore expectavit. Quàm soli-

ſolicitè *Nicolaus Baling* Zuinglium, ut ne Petro Scudo comercium denegaret Epiſtolicum, compellavit? *Petrus Scudus, ſatis mirari non poteſt, Vir præſtantiſsime, quòd nihil hactenus ſibi ſcripſeris. Certè, eſt homo doctus, & qui apud noſtrates bonas literas & Evangelium ipſum, non parùm evehere poteſt; ſi vult: Et vult quidem, ſi me non omnino fallit.* Quare Te rogo enixiſsimè, ſi quid Tibi otioli eſt, ne Te huic impertiri pœniteat. Ipſe, ſcio, magno cum fænore rependet.

BASILEÆ cumprimis fraterno planè nexu Zuinglio noſtro conjuncti fuerunt, eum amârunt & coluerunt, quotquot Chriſti cauſam contra inveteratas ſuperſtitiones & impietates voluerunt promotam. Jam anno 1519. *Hedio* honori ducebat, in amicitiam Zuinglij ſe eſſe aſcitum. *Amas, Tu mi chariſſime Zuingli, πολυφιλίαν τ̃ βεβαίων, qui me nihil de Te meritum; ſed pauliſper mediocribus literis ſalutantem, tam arctiſsimè complecteris, ut non inter amicos gregarios; quod genus nemo non habet; ſed inter præcipuos adoptaviſti. Nam in Brunonis & Fontei locum videris ſurrogare, ſum-*

9. *Baſileæ.*

summos certè apud Te, dum viverent, æstimatione. Ego, nisi omnes gratiæ adversentur adnitar, ut Tibi sincerus amicus sim: Illis adsimilis, perpetuus etiam, ut amicitia nostra, quæ non facultatibus, voluptate ac caducis rebus conciliata est; sed virtute, ἔςαι ἀθάνατος, καὶ βεβαιωτάτη ἐν χερσῶ. Quòd si non possim, quæ illi potuerunt, agnosco equidem meam tenuitatem, sive ingenium spectes, sive fortunas; Officijs tamen animi propensissimi non deero, facturus, quicquid amicitiæ Christianæ Leges præceperint. Modò tu me amico & fratre liberaliter & frequenter utere. Habeo Tibi uberes gratias, quòd non es gravatus ad me scribere rationem declamandi Evangelij secundum Matthæum. Fermè ijsdem comentarijs uterque nostrum utitur. Eodem anno, natal. Leonhardi. *Nemo est hic bonorum, qui Tibi non optet ut valeas, de corpore loquor. Non enim ignoramus, Te animo valere. Quanquam interim respectum age corporis, quo possis diutissime prodesse Tuis, studioso cuique, ac denique Christo, quem egregiè inculcas, non sine magna præmij summa, qua Te manet, in cœlis.* Illa, quam anno sequenti ad eundem

eundem exaravit, Epiſtola, quid tribuerit Zuinglio luculenter ſatis exprimit. *Ita ille*: Admonuit me M. Henricus, ſi commodè fieri poſſet, ut Zinlio mitterem, Gabrielis tractatum de decimis, vel ſi quem alium haberem, huic inſtituto convenientem. Diſpexi undique, ſed nuſquam offendi, quó ſatisfacerem tuo mandato. Tametſi Capito Sum̃erhart de decimis habeat, verùm non apud ſe. Credidit enim ſuam ſupellectilem nautis vehendam ad Moguntinenſes, quibus cum jam eſt victurus concionator. Intelligis, quàm moleſtum mihi ſit optimo præceptore, & fidelisſimo patrono orbari. Ferendum tamen eſt, quandoquidem ſic Deo viſum; *ut vicarius veritatis alibi quoque annunciet Evangelium, in hoc forſan miſſus. Non ferunt ex noſtris Philobarbaris aliquot, niſi eum qui dicat ea quæ attinent* πρὸς τὰ ἄλφιτα. *Capito nihil ad quæſtũ unquam, nihil ad fucatam pietatem, nihil ad ambitionem cleri dicere voluit,* hinc exoſus quibuſdam. Vulgus adhuc caput eſt Evangelicæ doctrinæ. Bene pertexerunt in judicio, & renaſcenti Chriſtianiſmo mirum quàm faveant. Jam quotidie annunciat Evangelium *κατὰ ματθαῖον* frequentisſimo Auditorio: *efficaciſſima eſt doctrina Chriſti, pe-*

netrant,

netrat , inflammat animos. Tumultus partim exoritur, & maxima indignatio vulgi erga ἱερεῖς, qui sinunt tantum virum, tam eruditum, si doctrinam spectes; tam Apostolicum si vitam expendas, abire: Quos Tu Gerasenos rectissimè dixeris; nam eorum affectibus inutilis est. *Moguntini obvijs, quod ajunt, ulnis, excipient. Cardinalis illic invitavit amplissimis conditionibus, nec vult carere Fabricio.* Et sperandum est, illum ibi profuturum mirè studijs, & studiosis omnibus. Quis hîc sit successurus, adhuc incertum est. Juventus mea mè à spe bona rejicit partim, partim quod ijsdem vestigijs, quoad licet, ingredior. Auriculas teneras mordaci radere non usque adeò tutum est. Dicunt quidam, οὗτος μαθητὴς αὐτοῦ ἐστί. Verùm hujusmodi animum meum non dejicient à recto. Neque vita mea mihi chara erit cum Paulo, ut consumem cursum Christiani præconis. Induxi animo meo, ubi dimiserit Capito Evangelium, quòd illic ego velim incipere, vel apud S. Martinum, vel ubi locus dabitur. Adeò afficior sana doctrina, tametsi Monachi quidam & Matæologi non verentur clamare in publicis concionibus, minimè obtemperandum illis, qui dicunt, sumam rei Christianæ in Evangelio & Pau-

& Paulo eſſe, quemadmodum *impudentiſsimus quidam Monachus, de familia Minoritarum, ante triduum dixit in media concione: Scotum plus profuiſſe rei Chriſtianæ, quàm ipſum Paulum: quicquid uſpiam eruditum exudatur, deſumtum eſſe, & ut ejus voce utar, furatum ex Scoto, niſi, inquit, quòd gloriæ avidi immiſcent Græcas & Hebræas voculas, rem eò obſcuriorem effecturi.* Vide, quæ peſtis? Clamat alius in impreſſores, qui quidvis imprimant, non habito reſpectu ſumi Pontificis, vel Inquiſitorum. Ecce tumultus ille. Timendum eſt; ne vires acquirat, ablato nobis Capitone. Fermè ſolus adero, cui imbecilli luctandum erit cum peſtilentiſsimis monſtris. *Tu adeſto, animum adde, frequentibus Tuis literis.* Frugi eruditio & Chriſtiana jam ferè eſt, ut dicitur, inter malleum & incudem. Si unquam iminebat periculum, jam iminet. *Tu, ut facis, non ceſſa Tuis inculcare Chriſti Philoſophiam, qua florente, evanidi erunt conatus humani.* Addimus Simonem Grynæum, cui qui placuit, probo probatum fuiſſe, dubitare nemo poterat. Aſſervatur ejus Epiſtola ἐγκωμιαστικὴ

ad

ad Zuinglium, manu ejus scripta. Ea hujus. modi est: Prædicat non ignotam mihi humanitatem Tuam, præstantissime vir, *Andreas Carolstadius, & quem antea multis nominibus colebam, facit ut nunc Te amem magis, magis admirer. Præclarè facis, cùm in instauranda Dei & veræ sapientiæ Schola & doctrina renovanda; fortis dux in acie ipsa collocatus, non sapientia solùm Tua, sed veris virtutibus, & vivo exemplo, tot mortales in Te conversos provoces. Nihil adulor Tibi; nihil enim, dum hæc scribo, ultrà quàm decet, attribuo.* Nec Tu, cùm ista, quanquam præclarè facis, amplius quàm Te decet, facis. Sic locus est, in quem Te Dominus collocavit &c. Et quanquam non est istuc virium mearum, qui de Tuis laudibus & virtutibus dicam, nec istud instituti mei, tamen non possum quin laudem. *Oecolampadius* cumprimis, junctissimus Zuinglij frater & Collega, nihil prorsus intermisit, quod arctissimam utriusque posteritati commendare potuisset amicitiam. Non editæ modò, sed magno adhuc numero relictæ Epistolæ ἀνέκδοτοι, abundè testantur, vix Davidem & Jonatham tenaciori glutine cohæsisse, quàm præclara illa Helve-

Helvetiæ columina. Charitatis & familiariſsimæ converſationis plena ſunt Oecolampadij ad Zuinglium verba: *Mi frater; Gratias habemus, quòd pro nobis, imò pro Eccleſia Chriſti, quæ hîc, tam ſolicitus es, & in tempore mones. Sic ut pergas, præmia nimirum ampla à Chriſto ipſo, Domino noſtro percepturus, oramus.* Æqui bonique conſuluit, quicquid à pia Zuinglij ſolicitudine fuit profectum. *Noli*, (ejusdem, λαμπάδος fulgentiſsimæ ſunt verba) mi frater, exiſtimare, quaſi de Te querar, & literas Tuas ſuperciliofius trutinem. Omnia enim Tua boni conſulo, etiamſi ſeveriter mecum ageres. *Perſuaſum enim mihi eſt, quòd Chriſti ſis, & ille per Te operetur.* Sed & repeti poſſunt, quæ diximus ſuprà pag. 160.

11. *Salodori*

SALODORI etiam Zuinglius diſcipulos & cultores ſuos habuit, quos non puduit, palàm fateri, quantum & ipſi, & alij, Zuinglio deberent. Ex quorum cenſu, præter cæteros, erat *Melchior Macrinus*, in Monaſterio S. Urbani Præceptor primùm, poſtea Salodorenſis Reipublicæ Secretarius. Frequentiùs hic ad Zuinglium ſcripſit. De anno 1522. extat Epiſtola, ubi inter alia: *Si*

eos, quos nunquam vidimus, ob studium Philosophiæ eximium, aut artem aliquam, humano ingenio repertam diligimus: Quantò justiùs illos amabimus, qui nobis Christianam, atque adeò Evangelicam Philosophiam nostræ salutis, A καὶ Ω. ex altissimis tenebris restituunt, inter quos Tu φίλτατε Huldrice, tanquam Heros ac κορυφαῖος, Spiritu, Christiano homine planè digno, progrederis, Téque propugnatorem Evangelicæ veritatis intrepidè, tanquam murum ac vallum firmissimum offers, pro quo dignam mercedem ab ipso Deo relaturus, cujus laboriosissimam vineam excolis, & oves ad immortalia pascua reducis errantes, quæ utinam reduces olim ad suum caput, quod Christus est, redeant. Quod quidem Tuum in nos, omnésque Christi fideles beneficium, quia amplius dissimulare nequivimus, pro nostro virili gratias agere, & & si aliud non possumus, gratum erga Te animum declarare voluimus; quem, satis scio, quæ Tua est humanitas, non spernes. Nam etsi eruditionis ac ingenij in nobis nihil sit, studium tamen & genius noster immensè doctis delectatur, & Tuis & Tuorum similium scriptis mirè demulcetur, qua

hacte.

hactenus diligenter, & ut ſpero, haud quaquam ſine fructu, legimus, lectorique ſubinde, ſicubi offerantur. Hæc ſunt, inquam, quæ tranquillum, quietum, ac ſibi conſtantem efficiunt, neque, humanorum ſtudiorum more, in diverſa rapiunt. Etſi in rectioribus ſtudijs philoſophandum nemo neget, at, ut Socrates inquit, non ultra ætatem, atque ut Proverbium habet, μηδὲν ἄγαν. Hæc autem ideo ingero, quòd paulò antè impenſius utriuſque Linguæ ſtudijs, quàm feliciter neſcio, addictus eram, *nunc verò Tuo ac Tui ſimilium, hoc eſt, eruditorum beneficio, ad Evangelica me converti,* in quibus, ut priùs in Latinis Græciſque, Rudolphi Collini, juvenis nunquam ſatis laudati, auxilio utor, apud quem paulò antè cùm eſſem, Tua in Homeri Iliades, Scholia reperi. *Is cùm doctrinam ac eruditionem tuam omnifariam, mihi non nihil ex ſcriptis Tuis cognitam, inſigniter ac meritò laudaret, tum & humanitatem prædicaret ſingularem, ita me Tui ſtudio accendit, ut non cenſuerim, mihi diutius cunctandum, quin illicò ad Te ſcriberem. Porrò ſunt & hic Chriſtiani aliquot, qui te ſalvum optant, &c.* Cúmque poſtea, occaſio-

casione disputationis cum Decano Burgdorfensi, de sacrificio Missæ, de quibusdam argumentis solicitus esse cœpisset, Zuinglium consuluit. *Sed cùm* (Macrini verba sunt) *in hac palæstra non usque adeò sim exercitatus, Te, per Christianam compello charitatem, ut hac in re Te mihi Apollinem consilijs præstes*, aut si ita res tulerit, vocatus per Senatum nostrum, ipse ad nos venire non graveris. Nam Senatus noster pollicitus est, se mihi non defuturum, & si ipse rem inter nos componere nequeat, Te Tuique similes, qui negotium sanè intelligant, judices constituturum. Qui anno 1530. Reipublicæ Salodorensi fuit à Secretis, *Georgius Hertvvig*, prolixa Apologia amoliri conatus est suspicionem animi abalienati, aut à doctrina Zuinglij aversi. Apologiæ exemplar ex autographo tale est: Accepi literas Tuas doctissime Huldrice Tuo quidem nomine gratissimas; cæterùm, cùm infensioris erga me animi visæ sint indices, maluissem accepisse, quales velim ab amico & eo quidem amicissimo. Nam non solùm inimicitię sed ne simultati quidem, Tecum; quod in me est, locum sum admissurus. At unde hæc scribendi occasio Tibi accesserit, conjecturâ capio. Evenit ante mensem

ſem, aut hebdomadas ſex, ut ad nos delati ſint articuli ſex quidam per Principes eos, qui divini verbi apud Germanos eximij Patroni habentur, inprimis videlicet Saxoniæ, Haſsiæ, Brandeburg, Anhalt, Civitatúmque nonnullarum Legatos, Cæſari exhibiti, quorum non unus à Tua diſtat doctrina, id quod, cùm de hiſce rebus, ſermo inter convivandum inciderit, familiariter locutus ſum. Non quòd Te, tuámque doctrinam, hiſce carpſerim: tam autem abeſt, ut Te, doctrinamve Tuam hæreſeos notârim, ut ab ipſo nomine (præſertim ſi aliqui vulgari noſtra Lingua utantur) abhorruerim ſemper, abhorreámque hodie, ſatiſque conſtat, mortalium neminem ex me audiviſſe unquam. Ne autem me hæc, præter rem ſcribere, aut finxiſſe exiſtimes, mitto Tibi prædictos, ex quibus hæc locutus ſum, articulos. Certum quoque mihi, Te ea eſſe præditum ſapientia, ut hæc ægrè non laturus ſis, cùm novorum cupidi, ubi quid afferatur, de his loquamur. Cæterùm, monitorem Te, ita non reſpuo, ut mihi contigiſſe læter maximè. Neque eſt, ut me Salodori, aut ego Tiguri Te convincam. Nam in re Theologica, cæteriſque diſciplinis à primis annis verſato Tibi, cedo facile, utpote mus

 Ele-

Elephanto: Ego quidem ætatem hactenus in Reipublicæ negotijs contrivi, satísque mihi sum conscius, id in literis esse erga Te, quod in Evangelica Historia Johannes erga Christum fatetur, indignum videlicet solvendi corrigia calceamentorum.

10. *Friburgi.* Ex FRIBURGENSIBUS non paucos fuisse, qui Zuinglium amarent, vel hinc etiam patet, quòd semina doctrinæ Reformatæ satis grato animo ibi à nonnullis fuerint excepta. *Berchthold. Haller.* 1523. ad Zuinglium: De vicinis nostris, qui sunt Friburgi, bene spero. Est illic præco Evangelicus, qui pro modestia sua tantum profuit, ut à Senatu edictum sit, quatenus liberè Evangelium doceat, tacito tamen Lutheri nomine. Jam anno 1522. *Johannes Kotherus*, Organicen Friburgensis, piâ & masculâ ad Zuinglium Epistolâ, suam de Reformatore, ejúsque laboribus aperuit mentem. Ne miraretur, rogavit, quòd homo ignotus ipsum compellaret: constanter se hactenus ab omnibus audivisse laude dignissimum conatum, quo Dei verbum eveheret; semen ejus in corda hominum conjiceret; unde sperandum, multiplicem illud fructum allaturum: Laudem præterea mereri, quòd ex officio & amore Christiano sitientes animas

mas duceret ad aquas vivas, de quibus expreſsè Evangelium, quòd qui aquas illas biberet, nunquam amplius ſitiret: Aquas eſſe, quæ in eo, cui Deus illas conceſſiſſet, fiant fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Earundem aquarum ſe quoque ſiti premi. Doctrinâ, quam hactenus ille tradidiſſet, ſæpius jam optâſſe ſatiari. Fontes enim Zuinglium aperire, qui obthurati à longo tempore, imò exſiccati fuiſſent. Hanc cauſam eſſe impenſi, quo Zuinglium amplecteretur, amoris, cæteróſque omnes, qui verbum Dei reſtituerent, & defenderent; Lutherum, Eraſmum Roterodamum, eorundémque aſſeclas. Cùm Lutheri doctrina, ex mellifluo vaſe, Paulo hauſta, fæculentas aquas Tiberinas ſubſiſtere non poſſe; Craſſas has eſſe & caliginoſas, ita ut ne fundus quidem videri queat. Jam tandem radios fulgere gratiæ divinæ, unde obſervare & animadvertere cuivis liceat, per quas hactenus umbroſas traditionum valles deductus eſſet. Romæ hanc deberi calamitatem. Cleri artes & ſtudia corradendi pecunias, rhythmis; quod ſcribendi genus noſtris Majoribus valde fuit uſitatum; proponit. Liceat ſubinde etiam ipſos Helvetios ſuâ Linguâ miſeriam ſuperioris ſeculi

 deplo-

plorantes, audire, ne quid, vel ex translatione nativo sermoni, decidat, vel libertatis paraphrasticæ accedat. Ita ergo Rhythmologus noster:

Solten sie (clerum Romanum intelligit) leben nach dem Evangelium/
So müßten sie schlecht nicht machen krum:
Sie sprächen der Luther lehre uns ein Newen Glauben/
Ja so er sie berührt wie sie vns brauben/
Vnd vns hand bracht vmb lyb ehr vnd gut;
So muß der Luther brennen zu glut.
Ihr vrtheil sie allein zu verdammen richten/
Die vernunfft müssen sie anderst schlichten/
Weder sie bißher hand erzeigt/
Ihr wesen ist in aller welt ereugt/
Wie sie führen ein vnverschamptes leben/
So der Luther darwider thut streben/
Tragen sie wider ihn groß nyd vnd haß
Ein iedlicher betracht/woher komt daß?
Beschicht allein propter nephas.
Darumb die warheit herführer gukt
So sicht man erst wo sie der schuh trukt:
Ihr tonder und blitzgen will nit helffen mehr/
Wollen sie sich stellen zur gegenwehr/
So zimt sich/daß sie sich wol bewahren;
Vnd mit der Schrifft herführer fahren
Das sich Luther allzeit willig erbuth
Ich förcht sie sind nit der leuth;

Sie

Sie hand wenig in der Theologei erlehrnet do
Darum hat ihr ſtudium, ſtultum, in ſupino:
Sie wüſſen beſſer in die Schrifft zuſetzen
Ein Applas/ damit ſie vns vnſer gelt abetzen/
Dann vns ein troſtliche lehr geben!
Wollen wir nun in Gott leben
So müſſen wir halten ſein gebott/
Die er vns alle gebotten hat.
Hæc Friburgenſis ille; quæ ſi non magnæ accurationis, ingenuitatis ſaltem & domeſticæ ſimplicitatis, abſque fuco, abſque ceruſſa, charactere ſe nobis comendant. Sed & *Johannes Vannius*; Friburgenſis cantor, Zuinglium dilectiſsimum fratrem, appellavit, cui ſemper adeſſe optans, gratiam & pacem Domini noſtri Jeſu Chriſti precabatur, nihil ſibi à longo tempore quicquam gratius accidiſſe, quàm cùm nuper Epiſtolam ab eo accepiſſet, faſſus. Conqueritur de Arnoldo quodam Sacerdote, qui ægrè ferret, quicquid vel in Zuinglij, vel Tigurinorum laudem diceretur: Perſecutorem eſſe fidelium. Rogat denique, ut aperiat, quo loco res ſint Eccleſiarum Germanicarum; creſcerétne Evangelij prædicatio, an decreſceret? Quid, quòd jam ante Reformationem Zuinglij fama Friburgum uſque adeò penetravit, ut anno 1516. *Petrus Falck*, vir, dubiò pro-

cul, inter ſuos honoratus, & publico munere functus, ſequenti illum Epiſtolio ſalutarit: *Venerabilis & multum colende Domine: Poſt eas, quas poſſum, & meritò debeo ampliſſimas recommendationes, gratiſſimæ mihi humanitatis Tuæ fuerunt literæ, quibus pro Tua erga me amicitia mones & optas, ut ad aliquam Dominorum Helvetiorum congregationem, maximè in Turego, convenire velim, cùm non ſit Dominationi Tuæ locus Bernenſis opportunus, & tandem dedicationem Angelicam mutuæ convocationi noſtræ accommodas. Quam ego quoque elegi, & ad illam, Deo concedente, ſum venturus. Erit ideo adventus meus jucundior, cùm Te,* amicorum electiſsimum videre, & ſolus cum ſolo colloqui, permaximè deſiderem &c. *Vale meum ſingulare decus*, ex Fryburgo Helvetiorum XII. Kal. Septemb. 1516. Anno jam præcedenti alia Epiſtola videndi & compellandi Zuinglij deſiderium expreſsit: *Venerabilis, ac multum colende Domine, amicorum ſingulariſsime, poſt eas, quas poſſum & debeo obſequiorum oblationes; jucundiſsimæ mihi literæ Tuæ fuerunt; lætior tamen,*

men, majoriſque commoditatis Dominationis Tuæ fuiſſet præſentia, quam ſupplevit adventus magnæ exiſtimationis Domini Henrici Glareani, cum quo ſimilem, quam cum Dominatione Tua, contraxi amicitiam. Id opus, quod in laudem noſtræ Helvetiæ ſum̃a cura ab eo compoſitum eſt, Magnificis D.D.Oratoribus pro ſingulis partibus obtulit: In cujus viciſsitudinem viginti Rhenenſibus donatus, promotúſque eſt apud Illuſtriſsimum Dominum, Ducem Mediolani pro annua penſione centum videlicet Rhenenſium, in Academia Ticinenſi obtinenda. Hunc ut Antiquitates vetuſtiſſimæ olim Civitatis, nunc oppidi, Aventicæ, videre poſsit, mecum Fryburgum venire conſtitui. Circa profectionem noſtram ad Urbem, nullum à Reverendiſsimo D. Cardinali habui reſponſum: Neque etiam Sanctiſsimus Dominus noſter adhuc percuſſum fœdus ratificavit. Sic nihil certum circa receſſum meum habere poſſum. Circa locum Papiæ habendum, ſcis quæ dixerim Tibi, ea ad unguem obſervabo. Habeo Papiæ domum ſatis, pro more Civitatis, amœnam, prædiáque in caſtellis, quod oppidum XII. fortè milliaribus à Papia diſtat:

Hæc

Hæc omnia, si tempora maneant tranquilla, ad binos annos Dominationi Tuæ pro contracta mutua amicitia, dimissurus sum, ex quibus commodissimè vivere poteris: Hoc addito, ut unum fidelem Servitorem meum, qui unus illarum rerum mearum notitiam habet, in servitio Tuo habeas, sine quo etiam circa hujusmodi prædia nihil agere scires. Is principium, jam bonarum literarum habet, in præparandisque istis multum valet, manúsque & pes Tuus erit. *Vale amicorum singulare præsidium, & tuum deditissimum Falconem semper ama. Ex Turego, crastina Vincentij. 1515.* quo comitia (quibus interfuisse hic *Falco* videtur) Confæderatorum Tiguri habita, quóque vix alium annum, propter cladem ad Marignanum acceptam, fatalem magis fuisse Helvetiæ legimus. Non obscura hæc Epistola habet indicia, Zuinglium bonarum literarum & pietatis studium ultra etiam alpes propagare curæ habuisse. Sed pedem movemus

12. *Schafhusij.*

SCHAPHUSIUM, ubi in ipso occurrit limine *Sebastianus Hofmeisterus*, Schafhusanus, Lector quondam Tiguri apud Minores, cujus ad Zuinglium 1520. Constantia scriptæ

ſcriptæ literæ, quæ Chriſtianæ amicitiæ, minimè fucatæ, & defæcatæ, eximium quoddam ſunt ſpecimen, αὐτολεξεὶ ita habent: *Felicitatem! Volui multotiens literas ad Te dare, mi Huldrice,* quibus teſtarer, quòd Te, ob ſingularem Tuam eruditionem & amo, & veneror. Maximè cùm ſciam (nec me fallit opinio) me quoque in eorum numero, qui Tibi ſunt amiciſsimi. *Verùm, hactenus manum prohibuere tua illa in literis impeditiſſima negotia. Timui enim, ne importunus, Tuis auribus, cultiſſimis literis addictis, meis obſtreperem ineptijs. Et quidem nunc rumpo ſilentium, &c.* Continuiſſem me, niſi ingenium Tuum mihi cognitum eſſet, quòd raròſibi excidit, deinde admodùm ingenuùm ac modeſtum, ut etiam injurias patientiâ vincat. Itaque ex animo dico, quæ inſtitui, nihil omnino diſsimulaturus. Audivi Te perſeverantem veritatis Eccleſiaſten. Laudo conſtantiam, & invictum muneribus animum. Placet Chriſtianus ille animus Tuus. Utinam liceret, me Tibi commilitonem eſſe, apud Tiguros præcipuè; ut capite felicis patriæ noſtræ, à morbo erepto, ſanitas tandem in reliqua membra reciperetur. Amant Te hîc multi erudi-

eruditissimi viri, quibus Te, sæpe Tuæ eruditionis mentionem faciens, conciliavi. Hortantur, pergas, uti cœpisti. Cæterùm, quòd ad me attinet, simul hortor, ut pergas, *modò severitatem illam Tuam in Religiosos parùm rescindas, quibus iniquior videris; quanquam meo judicio non sis; quàm ista nostra secula adhùc patiantur. Scio, scio, mi Huldrice omnes.* (Religiosos) *à suo instituto longè decidisse, humana esse figmenta, omnes religiosorum ceremonias, injustissimis causis à Romanis Pontificibus auctas firmatásque, agente Dæmone, & nostris criminibus demerentibus: sed sustine parùm; donec in meliùs resipiscat Mundus. Quare, quantumvis vera dicas, majorem tamen, quàm pro re severitatis speciem præbent, populo rudi adhuc, & non secus edocto à superciliosis illis Magistris Satanæ, hoc est Aristotelicis.* Noluit optimus, & cordatissimus vir, jam tempus esse, scapham appellandi scapham: Id quod tamen brevi postea didicit. Idem enim *Sebastianus*, cùm videret, duro nodo durum adhibendum cuneum, calcar ipse, & animum Zuinglio addidit, quorúmque mendacia primò, & superstitiones graviùs taxari

ri noluit, ipſe poſtea graviori longè & ſignificantiori *Antichriſtianorum* Nomenclatura inſignivit. Diſerta & valdè memorabilia ejus ſunt verba, an. Chr. 1523. *Noli mirari, quòd tam rarò ad Te ſcribo: Id ego conſultò facio. Cauſam ipſe dicam, dum ad Te venero. Nunc cogor ſcribere; ſed pauca, ne Tibi moleſtus ſim; tam varius eſt apud nos rumor.* Veniet Tigurum Epiſcopus Verulamus, & Idolum noſtrum Conſtantienſe; oppugnaturi vel per inſidias, negotium Tuum, imò Chriſti. Fac conſtanter & Chriſtiano pectore excipias Anti-Chriſtos hos. Hujus rei ſuma eſt omnium de Te expectatio. Eja! invictum gere animum. Alioquin tecum caſura eſt res Evangelica. *Apud nos Chriſtus ſummis deſiderijs excipitur. Reſipuerunt multi nunc, olim virulentiſſimi hoſtes. Ego conſtanter prædico; bonis avibus promiſit Senatus noſter etiam adverſus Pontificem patrocinium, modò ſincerè doceam, id quod præcipuè in votis meis habeo.* *Eraſmum Ritter*, Hofmeiſteri, in *munere illo Apoſtolico*, ut ipſe vocat, ſucceſſorem moderatiſsimuum, non inferiori loco Zuinglium habuiſſe, ſequens probat προσφώνησις.

Fater-

Fraternæ adhortationes Tuæ adeò mihi nihil molestiæ afferre potuerunt, ut etiam hybleo melle dulciores suavissimum cordi præbuerint odorem; Ardes verò, solito more, ut sermo Dei velociter, multo cum fænore currat; Id quoque anxius in dies precor, & ut regnum illud Baaliticum penitus destruatur, sincera verò pietas Christianáque libertas, cordibus omnium inseratur. Hujus ergo laboris indefessum Ministrum ad mortem usque me fore, non dubites. *Misisti Xenium tam gratum Erasmo, ut omnibus opibus, Crœsi etiam ditissimis illud præferat. At ego, quid dignum Te reddam, nescius sum. Indignæ sunt literæ omni barbarie refertæ, tanto viro. Sed Erasmum Tibi, filij loco do, & dedico. Hunc argue, increpa, & experieris Tui observantissimum.*

13. *Abbatis cellanis.*

Ex ABBATISCELLANIS erat *Jacobus Cernunelateus*, (Germ. Schürtaner) Tuffensium pastor, vir & ætate & authoritate gravis, eruditus, pius, cui Zuinglius *Pastorem* suum, qui T.I.pag.383. extat, inscripsit. Ex ipso vestibulo facilè colligitur, quanti, quæ ex officina Zuinglij prodirent, venerabilis ille senex fecisset. Anno 1524. ipse

Zuin.

Zuinglius Abbatiſcellanis gratulabatur, quòd *integerrimam Abbatiſcellenſium gentem verbi divini prædicationem & lucem recepiſſe audiret: ſpem enim de his concepiſſe non exiguam, eos, ut in Helveticarum Civitatum ordine poſtremi ſunt, ſic in fide vera nequaquam poſtremos & minimos eſſe futuros.* Et quoniam invidiam nonnulli Zuinglio apud Proceres Abbatiſcellanos, quaſi acerbius in eos fuiſſet invectus, conflare erant moliti, modeſtè ſe purgavit: Honorificè & præclarè ſe de D.D. Abbatiſcellanis ſenſiſſe & locutum eſſe, locuturum etiam deinceps; Id verò ſe non inficiari, quod cùm audiviſſet, quas turbas in Abbatiſcellanorum territorio moviſſent Anabaptiſtæ, Συμπάθειαν ſuam teſtaturus, dixiſſet; *Dolendum eſt, Abbatiſcellanis adeò moleſtos eſſe Anabaptiſtas, ut etiam illi his ludibrium debeant.* Hanc calumniam ſe Anabaptiſtis ferre acceptam, quibus ejuſmodi artes ſint frequentes. Rogat, ut hæc excuſatio toti cætui innoteſcat. Per Deum Redemtorem, teſtatur, ſe, periculoſis iſtis temporibus, curas ſuas, ipſorum nomine ſuſceptas, deponere non poſſe: Nihilque ſe habere antiquius, quàm ut præ alijs ſuam ijs proba-

re posset προθυμίαν. Datæ erant literæ 1526. Lentè processerat, præsertim apud Interiores Comunitates, reformationis cursus; ita tamen processit, ut publicis tandem edictis Sacerdotibus injunctum fuerit, ne quid præter verbum Dei, cujus authoritate stare & cadere illi parati essent, pro suggestu præconiarent. Retulit proinde ad Zuinglium *Matthias Keßlerus*, Abbatiscellanus, Canevillanorum Pastor; universam Concionem Abbatiscellanam denuo mandata sua rata habuisse: decrevisse præterea, ut nisi inter Pastores *Communitatum Exteriorum* (usser Roden) & Abbatiscellanum, cæterósque Sacerdotes, intra mensem, in verbi Dei præconio, conveniret; ut argumenta in chartas utrinque conjecta, proxima Synodo, sive Sangallensi, sive Roseacensi proponerentur. Quidquid verbi divini authoritati innitatur, illud solum admittendum: Quòd siquis se loco dicto sistere tergiversaretur, ei aquam & ignem interdictum iri. Placuit hæc Evangelicis conditio. Rogavit interim Kesslerus Zuinglium, ut & ipse hanc curâ suâ amplecteretur causam. Voto Epistolam claudit, ut constantiam agnitæ veritatis, ejúsque confessionem Deus largiatur. Idem plebiscitum, sed prolixius Zuinglio aperuit

uit M. *Benedictus Nollius*, Tuffensium Minister; quo sacrificuli adeò fuerint territi, ut etiam à sacris aliquandiu abstinuerint. Alia tamen per deputatos conciliandæ concordiæ inita fuit via, de qua suo loco, ubi de Reformatione Abbatiscellanorum. Sed & *Pelagium Am-Stein*, in Ecclesia Metropolitana Abbatiscellanorum, Ministrum fuisse fidelem, *Huldricus Kolbinerus*, alijque ad Zuinglium perscripserunt Abbatiscellani. *Elegimus*, inquiunt, *Pelagium Am-Stein*, *Pastorem nostrum, qui bona fide Dei nobis verbum annunciat. Locus conventus ad fines est Vallis Rhenana* (Lecky/) *ubi magno numero ex subjecta etiam valle concurrunt; quotquot videlicet verbum Dei sitiunt. AEgrè fert Præfectus Vallis; sed speramus rem proximis Comitijs decisum iri. Neque dubitamus, quin optimi quique id seriò sint acturi, ne negotium adeò justum & sanctum vim patiatur.*

In Germania I. Argentina.

GERMANIAM ingredimur, ubi Principes, Respublicas, Urbes singulas certâsse videas studio & desiderio Zuinglij vel consulendi, vel comendandi, vel ad laborum pertexendam telam excitandi. Salvo cujusque honore, & illibata ordinis prærogativa

gativa, quædam, serie Alphabethica, proferemus documenta.

ARGENTINA neminem olim audivit libentiùs, quàm Zuinglium nullius eo seculo Doctoris majorem, quàm Zuinglii fecit authoritatem. *Petri VVickgrami*, Concionatoris Argentinensis judicium supra; p 309. audivimus, jam anno 1521. Annò postea 1523. *Nicolaus Gerbellius* Juris consultus, & Literator celeberrimus, & solicitè Zuinglio comendari voluit ipse, & pietate atque φιλοξενίᾳ ejus fretus, alios ei comendavit. *Credo* Te (ita Zuinglium affatur) *ex superioribus literis abundè satis accepisse, qui sit erga Te animus meus, intelligere etiam, quàm cupiam me Tibi commendari. Nunc quia amicitiæ jure, omnia Tibi mecum communia esse volui, non in postrema parte erunt utriusque amici, è quorum numero hic unus est, qui has literas reddet Tibi, quem probari Tibi maximè desidero.* Nam præter morum facilitatem, animo est adeò sincero, adeò candido, ut nesciam, si parem inter multos reperire queas. Id quod tute ilico, me etiam tacente animadvertes ex habitu corporis, summâque in rebus obeundis, quas illi delegâris, dexteritate. Is in severo &

Pe-

Perillæo propè carcere annis aliquot excruciatus, tandem divino, ut existimo, Spiritu excitus, superstitionem cum habitu reliquit. Ejus est animi, ut posthac, sese cum uxore & liberis, si quos ex ea susciperet, manibus, laboréque suo enutriat. Sed quoniam apud nos adhuc tutò id facere non potest, consilium fuit homini vel apud Te, vel quos Tu illi nominaveris, victum quærere. Ea in re operam Tuam ego ejus nomine studiosissimè postulo. Nam vel ipsa causa, ad hoc Te facile animabit. Quòd si etiam meus interventus, quem comendatiorem Tibi facio, qui tam recens est, nonnihil impetraverit, maximi beneficij loco mihi erit. Non credis enim, quantum sibi de meis ad Te literis, bonorum omnium fermè egenus, polliceatur. Fac intelligat, se non frustra tantam spem de amicitia nostra concepisse.


Anno 1526. *VVolphgangus Capito*, Zuinglium Argentinensis Ecclesiæ vocat Apostolum. *Vehementer desideramus Tuas, quibus nostra Ecclesia velut Apostolus es.* Et sub finem Epistolæ: *Salutat Te nostra Ecclesia tota, siquidem votis creberrimis, pro animo Tuo, favorem divinum æqualem precantur, neque sanè Ecclesiam agnoscimus aliam, quàm quæ Tecum Domino servit.*

Eodem anno: *Indoctior sum, quàm quòd ausim vel Jota de Tuis mutare: quin bene mecum agitur, si suffecero, quæ dixisti prior, optimè, Latinis auribus, in Germanam, ceu coloniam traducere non pessimè.* Anno sequenti 1528. Complanationem Jesajæ Tuam non percurram; sed accuratè excutiam, & diutiùs imorabor, qui dotes istas egregias veneror & amo. *Neque inveniam, satis scio, quod queat conscientiam meam labefactare, sed quòd ignorationem Dei dispellat. Ea nobis sententia est de Tuis lucubrationibus.* Anno 1529. Fac, quod soles, ut modis omnibus perspicacem (NB) *omnium Ecclesiarum Episcopum Te præbeas.* Nos, qui animis vestratium cohære. mus vero animo, in cæteris præeuntes imitabimur. Unde & *Bucerus*, de Capitone: *Ne pigeat Te subinde ad nos dare literas. Omnia apud Capitonem potes, méque habes in Domino Tibi addictissimum.* Nec parcior vel in encomijs, vel obsequijs ipse Bucerus. Ut Colloquium Zuinglio Marpurgense comendaret, omnem movit lapidem. *Mihi admodùm bona spes est* (scribit ad Reformatorem) *Te, quibus à Domino dotibus*

tibus es inſtructus, colloquio paucarum horarum, multum nebulæ, quod Soli Evangelico illi obfuderunt; diſpulſurum. Forſan intereſt Eccleſiæ, & ob alia, eos, qui à partibus Chriſti ſunt, nôſſe ſe invicem familiarius. Ego mihi perſuaſi, Chriſtum ſtatuiſſe Te diutius ad propagandam gloriam ſuam uſurum. Quid? quòd Bucerus conſtantiſsimus propter Chriſti nomen exul, Zuinglio primo nomen dedit, ejúſque præ cæteris fores pulſavit, ut tutus eſſet, ſuámque inter Reformatos cum fructû locare poſſet operam. Epiſtola ejus *αὐτολεξεὶ* talis eſt: Salve in Domino, Vir pientiſsime. Dedi pridem ad Te literas, quibus neceſsitatem expoſui meam, qui Evangelij causâ exulo, atque oravi, ſicubi operam meam in Evangelio prædicando uſui fore putares, indicares per literas. Vereor autem, ut literas meas acceperis. Nam quantumvis liberæ eæ fuerunt, & tu nunquam vacuus ſis propter verbum Dei, ego etiam Tibi incognitus ſim, *tamen, qua Tua fides eſt, atque expoſita omnibus charitas, ſic, minimum licèt, me averſatus non eſſes, ut non reſpondiſſes. Quando antea etiam*

tam beneficium exhibueris Te Thomæ N. quem ignotus ignotum Tibi commendaram. Proinde paucis quæ scripseram replicabo. Superiore anno, mense Novembri, Parochum Vuissenburgi, virum pium, & Ecclesiæ suæ solicitum, orantem obnixè me, ut prædicando purè Evangelio, gregi Christi illic operam meam collocarem, passus fui exorari, tum quòd illius preces vocationem interpretabar, tum quòd apud Franciscum de Seckingen, ad quem ex aula Principis Friderichi Palatini, cui cum Evangelio nihil cōmune esse eram expertus, concesseram, studia mea, bellum, quod contra Trevirensem, optima quidem fide, ut sibi videbatur, sed nescio, qua vocatione susceperat, interturbaret. Sed ilico Vicarius Spirensis, quem Evangelio infensissimum *fama nominis mei, quæ verè veritate major est, terrebat, negotium exhibere,* conarique me pellere cæpit. Cui, Christo me confirmante, restiti, & præter omnium spem illic duravi, usque ad mensem Majum, diligentissimè populo Evangelio inculcato. Nam per Adventum & Quadragesimam cottidie profestis diebus semel, festis bis prædicavi, & primò Epistolam D. Petri priorem, deinde Evangelium Matthæi

Matthæi explicavi. Hoc tamen abſolvere non licuit. *Imbiberunt autem ſic doctrinam Chriſti, ut mulierculæ jam adverſarios, quorum magnus illic proventus, quia omne genus Monachis atque ſacrificis oppidum perditum eſt, refertum dicere debueram, convincant Scripturis, prorsúſque mutos reddant.* Sed ubi Franciſcus cecidit, jámque oppido hoſtilis exercitus imminebat, quòd non undiquáque Principi Palatino, cujus Epiſcopus Spirenſis frater eſt, cum civibus conveniebat, Senatus, qui alioquin ſua ubique quærunt, Evangelio non admodùm ſeriò adfecti ſunt, orârunt Parochum meum atque me, ut ab ijs diſcederemus, ne noſtri cauſa incomodi aliquid oppidum pateretur. Quibus, quum ſine tumultu plebis aliter non potuimus, ne ſeditione verbum infamaretur, acquievimus: atque plebe neſciente diſceſsimus, quæ ſi reſciviſſet, quieta haud manſiſſet. Jam uterque Argentinæ deſidemus, ſumma in tenuitate, & eſt utrique uxor partui vicina. Tentârunt bis fratres, ut oſtium mihi prædicandi verbi Dei aperirent, jámque convenerant, ut Germanicè profiterer aliquem Novi Teſtamenti librum; Sed Senatores, cujus bona pars Evangelio adhuc parùm favet, ubi



animadvertit, magnum Civium fore numerum, qui me audirent, vetant, ne quicquam legerem, metuens scil. ne lectionis audiendæ prætextu civium grandior concio contra ipsos aliquid moliretur, aut minus docto audiens redderetur. Sic suo regno ubique à Christo timent, cujus tamen regnum de hoc mundo non est. Itaque studiosis aliquot Latinè Epistolam Pauli ad Timotheum prælego, ne omnino nihil faciam. *Vicarius Episcopi, quòd confessus sum, uxorem habere me, prædicandi facultatem, quam hac lege petij, ut si unquam deprehenderetur, docuisse me, quod in divinis literis non expressum legatur, juxta Domini præceptum Deut. 13. lapidibus me obrui, faceret, atque occideret; negavit tamen, dicens, supra captum suum atque facultatem esse: Cui tolerabilia sunt, scortationes, & manifesta adulteria. Objeceram scripturas, & ipsorum Canones, sed ad ea nihil respondit, jussit Episcopum adirem, in sua facultate, ut me admitteret, situm non esse.* Itaque incertus etiamnum rerum omnium hæreo, oro autem Tuam charitatem, quando *vix usp iam messis major est (NB) quàm apu-*

apud eos, ſicubi operam meam Fratribus fore uſui putares (quantulacunque conditione, eam collocarem, mecúmque alerem præfatum meum Parochum, nam parvo uterque vivere didicimus) velis per literas mihi indicare, quod facile potes, appetente nunc Emporio Argentinenſi. Nihil autem vereare ab uxore mea, & ea continentiſsimè vivere novit: quæ ædificationi multis, ſcandalo nulli futura. Jam qua fide Tu es, & charitate, non dubito, ſi aliud non poteris, reſcribes tamen, atque alibi, ubi ubi id fuerit, indicabis, ſiquid ſperandum putâris. *Et hìc ſanè meſsis abundè magna eſt, ſed præter unum Matthæum* (Zell, quem Apoſtolum Argentinenſium ſub finem Epiſtolæ appellat,) *nemo operatur bona fide.* Quòd unicè dolet bonæ Civium parti, qui tamen, conſpirantibus ſenioribus populi aliquot cum Sacerdotum Principibus, impetrare collegam illi haud potuerunt. Prætexunt, qui in Senatu Evangelio adverſantur, metum Principum, qui nunc in armis ſunt, dum Franciſci reliquias conantur expugnare. Cujus caſu dici non poteſt, ut cornua erigant pejora Papiſtica ἄχθη ἀρούρης. *Cùm is aliud molitus non fuerit, quàm facultatem parare, & eam, quam potuiſſet, incruen-*

cruentam, verbum Domini liberè & prædicandi, & audiendi; neminem verò vel trucidare, vel spoliare. Sed præsensit hoc Antichristus, ipsissimum suum interitum esse, Verbum Domini passim purè & liberè prædicari, & nihil omisit, quo virum perderet. *Quòd cùm nutu Domini factum sciamus, & viro præter votum perpetuum suum (quo orare solebat Dominum, nihil pateretur, quod non probaret, tentare se, & si quid tentaret, se prorsus de terra aboleret, tantùm esset sibi propitius Pater, quo animo etiam & fide Christo animam reddidit) nihil accidit,* nos quidem non dejecit animo; Certos, naturam Verbi esse, ut tum maximè valeat & currat, cùm pertinacissimè impugnatur. Quod cùm passim suis admodum strenuè prædicetur, nihil non, sed frustra omnia Anti-Christo contra moliente, tum reliqua signa, adventus Domini, quóque crebriora, quàm unquam videamus, indubia spes est, paulò pòst, Spiritu oris sui, Christum, adversarium confecturum, mox illustratione adventus sui quoque penitus aboliturum, Amen. *Vale charissime atque pientissime frater ac Præceptor.* Argentorati, d. 9. Junij 1525. Nec minus vindicijs

vindicijs noſtris, atque adeò perenni memoria digna eſt altera, cujus in hac mentio fit Epiſtola ζυςατικὴ, quæ & amoris in Miniſtrum, & obſervantiæ in Zuinglium indicina eſt luculentiſsima. *Salve, vir pientiſſime. Tam vitæ, quàm doctrinæ Tuæ, atque conſtantiæ ſuaviſſimus quidam odor, amœnè adeò quotquot ſunt per Germaniam, veritatis ſtudioſis abblanditur, ut me quoque, non incognitum modò Tibi, verùm etiam obſcuriorem, quàm qui innoteſcam, invitârit jam pridem ad amandum Te plurimum, nunc etiam audere fecerunt literis Te compellare, hominémque ignobilem æquè Tuæ charitati commendare: Certus enim ſum, qui Evangelium tam doces fortiter, & vivis adeò (NB) ſincerè, citra delectum, nullóque perſonarum reſpectu, quemlibet proximum, non verbo tantùm & Lingua; ſed opere & veritate diligis, quantumvis ſit terræ filius, nullóque nobilis merito.* Quo nimirum, nunquam ſatis laudata illa ſeſe Eleemoſyna extra maximè, quando videlicet miſeria eſt certior. Jam hic frater, ab obſequio mihi fuit, amans ſcilicet bonarum literarum,

rarum, atque Theologiæ ſincerioris, qua cauſa, cùm, compellente iniquitate atratorum, quos falsò Prædicatores appellant, nuper rejecta cuculla, in Chriſtianam me libertatem aſſerui, miſerè ab Hochſtrato, & hujus farinæ reliquis affligitur, neque alia patet liberandi ejus feneſtra, niſi, ſi male ipſis dicto, in comunem ſe Chriſtianiſmum reſtitunt, hócque jam agit. Cùm autem Helvetius ſit, Túque apud hos habeatis, quod par eſt, magno in pretio, non dubitat, quin Tuo patrocinio, ſicubi contingeret, acturus ex ſententia hanc cauſam, oravit, ſe Tibi comendarem. Cui cùm planè negare (ita de me meritus eſt) nihil queam, quanquam ipſi mihi opus jure ſit apud Te comendatore, morem geſsi fratri & amico. Per Chriſtum igitur Te obſecro, cùm ea ſit, cùm vitæ, tum doctrinæ apud atratos perverſitas, cùm pertinacius nemo Evangelio adverſetur, ut ex ſententia Chriſti eſſe non dubitem, bonos omnes ab illis deſciſcere, velis adeſſe afflicto, & niſi aliud ſentis, dare homini conſilium, ut Chriſtiano olim liceat eſſe, hoc eſt, in Domino libero. *Me ſi refert nôſſe, Martino Bucero nomen eſt. Municeps & Patronus meus eſt amiciſsimus Tibi Beatus Rhenanus: Obnoxius eram ſocietati*

cietati Dominicali, à qua nuper aſſertus ſum in communem Chriſti religionem, auſpicijs, ſpero, Chriſti: Jam à ſacris ſum Friderichi Palatini. Scripta erat hæc Epiſtola apud Vangiones X. Calend. Jan. 1521. Quod *Sacramentariam* in ſpecie *doctrinam* attinet, Argentinenſis Eccleſia à Tigurina ſeparari noluit, nihilque *Bucero* moleſtius fuit, quàm ſi quis ardentius ipſius ſtudium Irenicum ſecius interpretaretur. Imò, poſtquam controverſiam Sacramentariam Lutherus animoſiùs tractâſſet, non indignè modò vehementiam Argentinenſes tulerunt; ſed etiam, ut ne Zuinglius cauſam bonam deſereret, ſeriò rogârunt. Quàm clarè & perſpicuè *VVolfgangus Fabritius Capito*, ad Zuinglium? *Lutheri libellus, quem de ſervo arbitrio inſcripſit, jam hic excuditur, perquam argutus & pius: Nam aliquot folia legi. Eraſmi nomini vehementer officiet, plurimum autem vindicatur pietati. Nam quis uſus Spiritus & gratiæ ſi quiddam noſtris artibus per ſe tribuatur? Quàm mihi dolet, virum tantum non habere reliquas dotes, maximè autem acerbum eſt, quòd ad elementum panis ac vini*

vini nos revocet, etiamsi talis videri nolit. Pura sententia passim recipitur, obstant Episcopi Suevia quidam; pars aliqua bene sentiit. *Ex quo postea Exegesin* suam Zuinglius contra Lutherum edidit, non parum in recepta semel sententia Argentinenses fuerunt confirmati. Adeò enim scriptum illud affabrè fuit factum, ut ipse Capito miraretur. *Quantò animo hic legatur Exegesis tua ad Lutherum, dicere nequeo, adeóque ipse vehementer admiror temperatum acumen, & constantiam levem in causa tam odiosa.* *Buceri* verò tum Historicæ, tum Exegeticæ, tum Apologeticæ plurimæ ad manus sunt literæ, quæ & ad Controversiæ Sacramentariæ pleniorem explicationem, & pacis Ecclesiasticæ tractationem multum conferunt. Et quia nuspiam, quantum ego vel observavi, vel memini, monumenta ista typis sunt vulgata, vel ideo diutiùs orbi erudito non invidenda existimo, ne fortè distractis aliquando chartis singulis, totius rei gestæ pleniori enarratione planè carere debeat posteritas. Magni judicij Theologus fuit *Bucerus*, & quem ipse quoque *Calvinus* plurimi fecit superstitem, defunctum lamentabiliter luxit. *Quam multiplicem*

tiplicem in Bucero jacturam fecerit DEI Eccleſia,quoties inmentem venit,cor meum propè lacerari ſentio: Epiſt. ad Viret.D. *Jacſon*, Bucerum, & Martyrem *judicioſos* appellat Comentatores. Breviter hæc moneo, ut tantò Zuinglij authoritas luculentiùs emicet, quantò ipſi, qui de eadem præclarè ſenſerunt, erant honoratiores. Quam anxiè & mentem ſuam Zuinglio Bucerus aperuit, & pacis Eccleſiaſticæ rationes atque argumenta dilucidè, ne in Rempublicam Chriſtianàm alterutro extremorum peccaret,vel ſuggeſsit, vel propoſuit? Libeat unam & alteram Epiſtolam aſſertionis noſtræ adornare teſtem. *Salve in Domino, Præceptor colende: Nondum redijt à Luthero nuncius noſter, interim autem ſcripſit Cattus,quòd ſibi concordiam apud Saxones promoventi, reſponſum datum eſt, hoc nimirum; Confeßione in ſcripto meo expreſſa, contentum futurum Lutherum; verùm,me videri ſpem duntaxat,non ſcientiam proferre, in eandem & vos conſentire,eoq́ poſcere illum, ut veſtris ad ſe, vel ad me datis literis, certior & de veſtro conſenſu fiat. Tum deſiderare & illud, quòd nihil attigerim de eo,quod impijs in cœna offer-*

tur, de quo coram, ad Patrum loquendi formam, quadam concesserim. Hæc ab illo. Respondi Catto, me per literas Oecolampadij, de utriusque consensu certiorem factum esse, antequam ad Lutherum scriptum miserim; sed similiter de Tua cautione, quam ipsi antea quoque significavi. Quid verò hic impijs detur, datâ operâ, præterijsse, *quòd hanc nobis controversiam remittere illi Marpurgi voluerint, in eaque sententia hactenus perstiterint.* Oravique hunc, cùm & ipse non ignoret, quosdam manibus & pedibus obstare, ne hoc generale Christum agnoscentium fædus coëat, ne etiam decerneret ijsdem armis se defendere contra potestatem superiorem, *& ad id abuti Luthero, & hac Sacramentaria controversia, ut rationes ipse excogitet, quibus spes saltem nostræ concordiæ servetur Luthero, donec convenerimus iterum, quod creditur futurum intra duos menses Norimbergæ.* Interea & tum Deum daturum, quo forsan diutius concordia pervehatur. Hæc scripsi Catto, ut quæ plus forsan momenti apud illum habitura sunt. *Testis autem mihi Deus est, unum hoc me solicitum isthuc in negotio tenere, quòd Evangelij cur-*

curſus nobis diſſidentibus, horrendum adeò in modum, tum apud nos, tum exteros impeditur & ſiſtitur. Lutherani cætera Chriſtum purè prædicant, ſunt inter eos plurimi viri boni, habentque qui hoc illos nomine ſuſpiciunt in omnibus nationibus non paucos: Communis imminet utriſque hoſtis, qui nulla re nos apud bonos plus dejicit, quàm noſtro & hoc maximè diſſidio. Hoc ergo, cùm in opinione potiùs, quàm re ipſa conſiſtat, & ſuſpicionibus magis vanis, quàm certis rationibus foveatur, ſitq; omnino tale, ut per ſe evaneſceret, quàm primum id de nobis invicem perſuaſi eſſemus, quod res eſt, & humanior rurſum ſenſus inter nos obtinuiſſet, cuperem vel quavis ratione, quæ modò Chriſti gloriam non obſcuret, ſi nondum ſolidam concordiam, ſaltem Syncretiſmum inter nos obtinere. Jam puto rationem hanc, quam propoſui, ut fateremur nobis formas Patrum probari, gloriæ Dei hac tempeſtate, tantopere veritate hujus rei elucidata, pulchrè inſervituram, præſertim dum per eam id quoque obtenturi ſimus, ut majore fide omnia tradere liceat, & latiùs ſpergere ſicut amici, credi-

 ti

ti ijs, quos tam multi hodie illos veritatem docere putant, ita consentanei ijs habiti, quos tot jam seculis, orbis, sanctimoniæ, & sacræ eruditionis nomine suspicit. *Cum infirmis autem, & ideo irritabilibus, nobis negotium est, à quibus quidem nunc res pendeat. Major enim pars rectè sentit, satísque firma est; sed, ut aliâs scripsi, non possunt hi, ut res modò habent, paucos illos offendere. Lutherus ipse quoque tam scrupulosus non esset; sicut nec Philippus; sed sunt Spengleri, Vogleri, & alij quidam turbatores, qui præpostero pacis studio, nihil non tentant, ut sit quo dissideamus.* His Satanis arte occursandum erit. Si hæc ita, ut me, movebunt, non gravaberis ad me scribere in hunc modum coràm, & postea per Oecolampadium. Significavi, *me detestari cœnam absque Christo, nec in hoc, quòd panis significet & referat non sit id ipsum naturâ, quod Christi corpus, adseruisse, quòd velim hic panis tantùm & vini, & non potiùs corporis & Domini convivium celebrari.* Patrum fidem sectari semper in animo fuit; quare illorum loquendi modum non refugio, placétque confessio, quæ scri-

ſcripto Tuo, quod ſcribis Te jam Luthero miſiſſe, tantùm nemo illa ad inſultandum pijs, veræque gloriæ Dei ſtudioſis, nemo ad confirmandos errores, quos Lutherus damnat, abutatur. *Scis enim hodie eſſe, qui auſi ſint diſertis verbis adfirmare. Chriſti Corpus non eſſe ejuſdem cum noſtro Naturæ, etiam ſi peccatum excipias & glorificationem addas. Sunt qui externæ ſumtioni Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini tribuant conferre Corpori noſtro immortalitatem*, cùm illa proveniat ex eo, quòd per fidem in Chriſtum, ut hujus, ita divinæ Naturæ conſortes evadimus. Tum adjice aliqua, non ad hanc cauſam, ſed tamen ad profectum Evangelij pertinentia. Chariſsime Zuingli, Te per Jeſum Chriſtum obſecro, ne feras ægrè, quod Tibi præſcribo, qua ratione veritatis cibum attemperes ægroto, cujus mihi notior ſtomachus eſt. Etenim ut adhuc video valere multorum ſycophantias, & Dominum noſtrum probare patientiam; non video conducturum, ut ipſe ſcribas Luthero. Ratione igitur jam oſtenſa, ſi idem Tibi probaretur, poſſet forſan homini ſatisfieri in præſens, & amputari paucis illis, qui nondum nos

nôrunt,

nôrant, vel aliâs concordiæ nobiscum ineundæ parùm favent, occasio retinendi dissidij tam nocentis. *Anxia res est, & multum poscit laboris, sed eadem, si vel ex parte succederet, Ecclesijs Dei incomparabilem utilitatem adferret.* Idem enim & ob id verum nostrum Evangelium videretur, potentiúsque & apud nos consisteret, & ad alias nationes penetraret. *Aliud nos nihil movet, ita me Christus amet.* Zuinglij mentem super hoc consilio Buceri alibi proponemus. Hoc enim jam agimus, ut, quantum Argentinenses Zuinglio detulissent, quo loco amicitiam ejus habuissent, quàm tenaciter ejus hypothesibus adhæsissent, quoslibet alios, præ illo amico, contemnentes, ostenderemus. Sed & alia prolixiori Epistola studia sua Irenica Bucerus ita apud Zuinglium excusavit. *Dixi coràm, eos, qui qualemcunque hanc concordiam urgent, hoc præcipuè spectare, ut paucorum frænata utcunque ferocia via veritati ad omnes nationes muniatur, quæ dum illi ita ut hactenus fecerunt, non solùm hoc negotio; sed multis alijs quoque, avertitur, totis etiam provincijs. Qui sanè amicitiam nostram expetunt, ex animo expetunt & firmam.*

verùm,

verùm, dum pauci huic ſancto conatui hujus occaſione controverſiæ hactenus obſtiterunt, ut ſæpe unus & alter totas provincias ſuo arbitrio cogant, perſuaſis eorum capitibus, percupiunt vel quovis modo hanc illis clavam extorqueri. Multa millia ſanctorum vident, quantum ex hoc diſsidio ſubſtantia Chriſtianiſmi, de qua inter nos convenit, tum apud nos, tum apud exteros infametur, & curſus ejus impediatur: In hac vita nihil prius optant, quàm vel quavis ratione iſtud diſsidium, ſi non tolli penitus ſaltem mitigari. *Quàm anxijs quotidie nos literis pulſant Galliarum fratres, quibus ſua diriſsima perſecutio non tantum dolet, quantum, quòd audire cogantur cottidie, inter nos ipſos de religione non convenire. Hæc ſunt, quæ nos movent, nullum externi fœderis aut ſocietatis votum, nulla crucis fuga, nulla inconſtantia. Per ſe ſatis expetibile eſt, Fratres, quos ego verè eſſe credo, concordes eſſe, & præcipua Chriſtianiſmi non ita negligi & deijci. Hæc pro noſtra excuſatione volui ſcribere, obſervande Zuingli, nihil enim gravius nobis foret, quàm Tibi videri non ſynceriter & conſtanter verſari in negotio Do-*

mini. Certè, ut ne videretur vel personis favere, vel sententiæ à Zuinglij diversæ, contradicentium, & pacis consilia ex parte Lutheranorum turbantium insultus ægerrimè tulit. Audiamus hac de re ipsius Buceri voces querulas. *Usque Badam* (ita ad Zuinglium) *Suevorum & VVittenbergensium stupor & supercilium, ne dicam pervicacia, & arrogans fastidium* Fratrum nos *premit. Struss quidam, de quo fortasse antea audivisti, prædicavit primum Halis, propè Pontem Oeni, inde Jenaci Thuringiæ, homo, ut scil. apparet, sibi confidens, & non tam humanus, quàm vult videri Christianus. Est is nunc Badæ*; dicitur palàm pro suggestu Oecolampadium nostrum proscindere, atque ut à primo toxico, omniumque præsentissimo, caveant Christiani plenis buccis inhortari: Est illic Matrona, primi Aulæ Præfecti uxor, pia admodùm & nostræ sententiæ; quæ potissimum causa extitit, ut illic hæserit Struthio: Huic hanc refert gratiam, ut cujus illam novit sententiæ, palàm pronunciet hæreticam, & præ cæteris nocentissimam. Vide, ut referant isti Spiritum Christi, quem sibi solis arrogant! Unius diei iter est inter nos, & saluta-

ſalutatus non dignatur nos reſalutare. *Brentius ille, olim anima mea, ſive curavit, ſive permiſit Epiſtolam ſuam quandam ad me, parùm humanam, edi, cui oportuit reſpondere*; ſed ita temperavi rem, ut à contentione videar abhorrere. *Cùm ipſe concitatior bellum Sacramentarium indiceret noſtris Lutherus, apertè ſatis, quantum vehementia illa diſpliceret, teſtatus eſt.* Totus, obſervande Zuingli, furit Lutherus. Tu, quæſo, totus manſueſcas, ac ut furentem fratrem tractes, blandiendo nimirum, ut illi vera oſtendas. Hoc & cauſa, quam agis, poſtulat, & judicium, cui illa approbanda eſt. Sunt in eo Principes & alij viri boni atque graves, ut colloquij copia fiat, id impediretur, ſi & nos hoſtes vellemus eſſe. In quaternione V. fatetur, inter panem & Corpus Chriſti *eſſe unitatem non Naturalem, non Perſonalem, non operationis; ſed Sacramentalem. Ex eo, ſi mihi ſcribendum eſſet, conarer oſtendere, inter nos convenire, ut re ipſa, revera convenit. Niſi quod ille juſſa contendit recitari hæc verba:* Hoc eſt Corpus, & eo præſentem Chriſtum ſtatim, etiam impijs. *Pijs ſiquidem & nos*

 Chri-

Christum præsentem esse, & edi fatemur, sed per fidem: Et panem non esse, neque dici Christi Corpus, nisi Sacramentaliter. Etsi de Luthero parùm spei superest; tamen magna de innumeris, qui illi adhuc adhæreant. Ne hos alienemus. De Islebio verò aliâ Epistolâ, in qua & judicium de Carolstadio suum promit. *Islebius furit in Michaëlem, atque adeò in nos omnes, & totum Christi negotium.* Palàm, coram Principibus aliquot & solenni Auditorio mentitus. *Solus Hassus eum non audit, sed Michaëlem.* Valde nos exhilaravit Tuum de Carolstadio judicium. *Nobis planè pius & candidus visus est.* Salutat Te singulari affectu Bernh. Friderich, *apud quem heri cœnatus audivi mira Tua præconia. Dicebat, si ætate minor esset, non admissurum, quin singulis annis Te saltem semel inviseret.* Hæc *Bucerus*, Argentinensis Theologus, de quo, suo loco, pleniùs. Utinam in successorum, virorum doctissimorum præcordia rediret vel pia saltem pacis Ecclesiasticæ resarciendæ solicitudo, ne ex honorata illa Cathedra, in qua pacis & concordiæ ante hac audita fuerunt consilia, discor-

ſcordiæ & belli perniciosas accensas faces, sera queri poſsit poſteritas. Sed &

AUGUSTÆ, quærendi ſunt, qui Zuinglij eruditionem, pietatem, ſanctos reformationis conatus, Præceptoris inſtitutionem in pretio habuerunt. *Humelbergius* jam an. Chr. 1522. Zuinglium monuit, *Augustanos eſſe cùm eruditionis, tum pietatis ejus ſtudioſiſſimos, ſtrenuos reflorescentis Evangelij propugnatores.* Et certè, qui vel vixerunt Auguſtæ, vel publici Eccleſiæ Auguſtanæ fuerunt Miniſtri, & amabant Zuinglium, & à Zuinglio redamabantur. *Urbanus Rhegius*, Auguſtanus primùm, poſtea & Lunebergenſis Miniſter, quàm Zuinglio familiariter fuit uſus? Jam Conſtantiæ, quod poſtea monebimus, ejus ambivit amicitiam, & cùm Auguſtæ in lucem protractus eſſet, diligenter ad eundem retulit, quicquid vel ad publicam pertinebat reformationis Hiſtoriam, vel privatam officij ſui adminiſtrationem. Memorabilis eſt caſus, quem 1529. Zuinglio enarravit. *Quod ad caſum meum* (*ita ſcribit*) *attinet, qui verè triſtis eſſet, ſi accidiſſet, hæc habe: Finxere ſacrifices mendacium portentoſum,*

2. Auguſtæ.

tosum, Urbanum scilicet apud Matronam honesti generis adulterantem, à Cive quodam deprehensum, vulneratúmque. Mendacio confingendo talis erat occasio. Soleo Dominicis diebus Evangelizare in Templo Prædicatorum, quos vocant, & raucedo grandis ex catarrho contracta quodam Dominico die me domi continuit. Hîc audisses squamas Antichristi egregiè patrem mendaciorum referre. Rumor per omnia templa, per altaria, & scortorum cavernas volitat, Urbanum in adulterio penè confossum tribus vulneribus. Cùm urbs hoc rumore staret, tandem ego domi inter libros delitescens, ultimus scio, dedecus domus. Venit mater mea mœrens, & sano mihi vulnera narrat. Itur ad eum Civem, qui ferebatur in me gladio desævijsse, ipse ridet nequitiam Satanæ, & ajt; Agite, ut fabri mendaciorum videant, quanta inter nos sit simultas, hodie mecum prandeto. Sacerdotes itaque revelato dolo, & deprehenso mendacio, nondum tamen conquiescente invidia, alia via me tentant traducere. Subornant scortillum publici usus, quæ Urbanum ob florem virginitatis citet ad consistorium, cúmque renuncio Consistorij rabulis, me non venturum, quòd nihil

nihil mihi rei ſit, cum hac meretrice, ecce citatorias literas ſcribunt, & ne ulla mihi ſubterfugiendi rima pateat, addunt de ſuo, hanc meretriculam etiam mecum ſuper matrimonio acturam. Ego Conſules urbis adeo, obſecro, ut propter gloriam Evangelij mihi innocenti, contra virulentiſsimas Sacerdotum Linguas, præſidio ſint: Annuunt, *accerſitur meretricula, rogatur, unde ſit incitata ad facinus hoc audendum, protinus fatetur, ex compoſito geſta omnia, nominatim, quòd pecuniam non exiguam promiſerunt ſcortillo, ut me ad forum Eccleſiaſticum pertrahat: Inter cives nominatur N. & inter Sacerdotes aliquot. Cæterùm fatetur, ſe tantùm conſenſiſſe in citationem ſuper flore amiſſo, & publicè clamat, matrimonij cauſam à Fiſcali, & Conſiſtorialibus additam ſine juſſu ſuo.* Tractatur itaque ſcortillum, ut decet, & amandatur: Sacerdotes aperti mendacij convincuntur. Ego innocens agnoſcor penitus, & niſi confæderationi Suevicæ Pfaffi adhærerent, pœnas non evaderent tam atrocis calumniæ. Ego publicè gratias egi Chriſto, quòd innocens ab his præſertim hominibus malis audijſſem, Evangelicò negotio congratulans

lans, quòd adversarios haberet solis instructos mendacijs. Sed unde tam ardens odium in Te inquies ? Dicam. Ante hos rumores mendacissimos, Eccius, Justinio & Cretzio comitatus, mihi in foro Vinario apud nos obviabat, adeo hominem, hortor, ut disputationem Badensem mihi exhibeat; ipse me ad locos comunes remittit; nego, mihi per eos satisfieri. Homo ad convitia convertitur, quorum tamen pars potior in Te & Oecolampadium evomebatur. Cepta est de fide, & operibus, de Missa, déque cæteris locis hoc seculo controversis; satis longa contentio. Tandem, cùm Cretzius & Justinius in me ferreum, stomacho non Theologico, quod externum Sacerdotium tollerem; provocavi eos ad disputationem publicam coram Eccio, qui mox dehortabatur eos, his verbis: *Nolite cùm eo disputare, hoc hominum genus nullum admittit judicem, cui ego: Ecci, per Christum rogo, ut hic maneas, sísque Tu judex, modò per verbum Domini judices. Qui stomachabundus respondit, sibi jam non vacare: Sequenti die supplicationem ad Senatum transmisi, obsecrans, ut apud Canonicos D. Virginis, & Mauritij tantum efficiant, ut Cretzius & ju-*

& juſtinius pugnam detrectent. Habes totam Tragœdiam. Cúmque publica antea Zuinglius προσφωνήσει ſuam Urbano Rhegio declarâſſet benevolentiam, non documentum modò illud amicitiæ gratum ſibi fuiſſe Urbanus teſtabátur; ſed & de quibuſdam ipſum monebat, quæ hoc quidem loco commodè (hic enim de Perſona potiſsimùm Zuinglij ſoliciti ſumus, de doctrina alia occaſione locuturi) alibi verò commodiùs ad úſum poſſunt revocari. *Quæ de peccato originali nominatim mihi dedicâſti, chariſsime Frater, magna ſanè animi voluptate pellegi, libello enim exiguo (ſi folia ſpectes; ſed ingenti, ſi rerum pondera) ſatis ſuperque declarâſti, ſincerius Te ſentire de peccato originis, quàm ſuſpicati ſint quidam, quos hac Tua lucubratione placatum iri, nihil dubito.* Etſi ſit, quod malè cautus Lector & invidus calumniam rapere poſsit, ut eſt dies hæc. *Cùm enim quæris, an Chriſtus univerſum genus reſtituerit, an Eccleſiam tantùm? Reſpondendo antitheſin facis Adami & Chriſti, atque operum utriuſque. Téque potuiſſe reſpondere ajs, tantum Chriſtum profuiſſe ſanando, quantum nocuerit*

cuerit Adam peccando; Mox addis: *Noluimus tamen iſtam ſententiam proferre, quòd nonnulla obſtent, & non video an aliqui eam tenuerint.* Hæc ſunt, quæ prima fronte duriora videbantur; non quòd de Te, Viro docto & integro quiddam ſiniſtri ſuſpicer; ſed quòd vitilitigatoribus vereor anſam præberi calumniandi, quaſi Origenianum quiddam ſubſit: *Origenes enim hoc Apoſtoli textu, Rom.5. permotus, adſeruit, non unam tantùm hominum partem, ſed univerſum omnino genus perpurgari tandem & ſalvari. Iſte verò ſenſit. efficaciter tantum profuiſſe Chriſtum, quantum obfuerat Adam, cùm omnes tam homines, quàm Dæmones tandem ſalventur.* Id quod Tibi multæ lectionis homini lib. περὶ ἀρχῶν Origenis legenti obviam venit. *Remedium Chriſti etiam pro mille mundis ſervandis efficaciſſimum eſſe dicent. Cæterùm remedij participes fore eos tantùm, qui credunt, credere autem nonniſi electos* Rom. 8. Act. 17. *Proinde univerſales illas ad credentes tantùm referri, non ad quoslibet.* Quod de filijs Abraham promiſsionis ratiocinaris, non diſplicet. Denuo legenti

genti ſiquid occurrerit, quod ſcrupulum injiciet, ad Te perſcribam. In tranſcurſu enim tantùm, in media turba libellum, ut primum exhibebatur, raptim legi. Hæc rapui veriùs, quam ſcripſi, urgentibus me negotijs, in loco ad ſcribendum minimè idoneo, proin boni conſules tumultuariam ſcriptionem. Scribam brevî fuſius, chariſsime frater. *Quod ad Eucharistiam attinet, Augustæ nihil eſt periculi: Veritas triumphat, muſſantibus nonnullis, ſed nihil efficientibus, quippe egregiè ineptientibus in re non intellecta.* Auguſtæ 1526. Prolixa ad hanc Epiſtolam Zuinglij prodijt reſponſio *Epiſt.* lib. 1. 17. b. *Petrus Gynoræus*, vel, ut ipſe nomen ſubſcribere amavit, *Gynorianus*, ita mutuis cum Zuinglio certavit officijs, ut non minus religionis, quàm humanitatis jura ſalva utrinque voluerint, & integra. Unde arctiſsimi, etiam in doctrina Sacramentaria tam contra Pontificios, quàm Lutherum, conſenſus utriuſque, ſpecimen dedit Epiſtola d. 22. Auguſti 1526. Auguſtæ exarata, quam vel Hiſtoriæ nobis & ſtyli condimentum comendare poteſt. Ita autem habet: *Gratia & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto. En mitto*

ad Te, eruditissime Huldrice, Fraterque in Christo charissime, Eckianum de Missæ sacrificio figmentum, jam recens excusum; ea potissimum, ratione, quòd post Luddεrum (ita enim toto fermè libro hominem nominat, & in hoc uno à Typographis peccatum est, quòd alicubi emendârit) *neminem odiosiùs perstringat, ac crebrioribus insectetur convitijs, quàm te.* Sed quid non audent Thrasones illi, quo Principum aliquorum gratiam eblandiantur? O cæcitatem, cimmerijs, ut ajunt, tenebrosiorem! Quò perveniunt tempora nostra? Verùm, similes habent labra lactucas. Jam si qui inter legendum occurrunt barbarismi ac solœcismi, atque id genus alia Ecciana officinæ ornamenta, quibus totús ferè liber plenus est, ne nostræ hoc oscitantiæ imputes velim, quòd planè nihil imutare consilium fuerit: Sed ut exemplar sua manu descriptum habuit, bona fide excusa sunt omnia, nisi quod Augustanum Senatum offendit nominatim. Ita mihi visum est, quo dictio argumento tractando probè responderet. Dispeream, si unquam quicquam ineptius legeris. Dictu mirum, quanta virulentia tractet omnia, quanquam imbellibus adoriatur rem ipsam argumentis. Et ita insanire

sanire oportet lumina illa orbis. Addidi huic libellum quendam Germanicum, *Johanne Denckio quodam authore, qui hic agit, Norimbergæ proscriptus, ob nescio quas factiones*: Homo mirè pestilens ac lubricus; qui non paucos seducit, ut sunt Augustani curiosi: Et inter cætera dicit, Scripturam minimè nobis necessariam; Dæmones in fine omnium salvandos, juxta Origenis dogma; nec ullam adhuc Ecclesiam esse; & ut in summa rem intelligas, è rebaptizatis præcipuus est. Hæc partim ex eo audivi, quanquam nebulo post mutârit verba; partim ex alijs, & nominatim ex Balthasare Pacimontano, qui mira de illo homine retulit; quòd pestilentia præ se ferat dogmata. Dein, ubi ego eum opinabar solvisse Augusta, convenerant simul, quid tractârint nescio. *Hoc unum me non fugit, quantumvis recantârit Tiguri, opinionem suam de Baptismo, minimè sibi displicere. Rogavit me, cùm Augustam venerat, quo adirem secum Concionatores; quos antehac non salutâram, ob mutuam* dissensionem de Eucharistia, *haud gravatim homini parui, ob simulatam humilitatem, at ubi in congressu videram vafriciem, & quòd Te pro-*

 scinde-

scinderet, ac velut tyrannidis in eum exercita insimularet, mox adserto Tuo honore hominem acriter objurgatum reliqui, cujus rei non paucos adnumerare possem testes. Sed quicquid sit, plerosque suæ farinæ apud nos permovit, ut crederent. Sed quid attinet hæc referre? Cæterùm, legi proximis diebus literas è Wittenberga Augustam missas, quibus intellexi, Lutherum in Te scribere, utraque Lingua, nempe Germanica & Latina: quæ res, si ita est, mihi admodùm dolet, ob æmulos nostros, qui ut plures sunt, ita sanè potentes. Quanquam non nesciam, Deum nostrum, cujus causam agimus, longè potentiorem, qui dissipabit consilia Gentium, & ad nihilum rediget. Vale, mi charissime Huldrice, ac Petrum Tuum Tibi comendatum habe, ac Tuis semel literis exhilara; ubi à severioribus paulum feriatus fueris negotijs. *Sigismundus Grymius plurima Te cum Leone nostro salute impertit: Homo ut est totus candidus ac pius, ita mirè Tibi favet, ut etiam cupit commendari, &c.* Responsum Zuinglij ad hanc Epistolam typis prodijt, T. II. pag. 214. exhibitum de Eccio (turpi ejus Linguæ Sanctæ ignorantia, illiberali fuco

fuco in Badenſi colloquio, tecta) Fabro, & Baltazare Anabaptiſta. Aliam *Gynoræi* reperi Epiſtolam an. Chr. 1527. breviter, & ita quidem conceptam: *Gratiam, & pacem à Deo Patre per Chriſtum. Quum nihil aliud in manus veniat, chariſsime Huldrice,* quo Te honorem, cogor tandem ejuſmodi exhibere ſtrenam, quam in horum comparavi officina, qui monſtris, quàm hominibus ſimiliores, ac penes quos maledicere, calumniari ac blaſphemare, gloria haud exigua. Accipe igitur duos hos ab amico ſtrenæ vice libellulos admodùm inimicos, ac ubi à ſtudijs vacârit ſeverioribus, eis ſeſqui horam impendito, quorum alter Andream Althamerum authorem clamat, alter verò deploratæ vanitatis Monachum, Thomam Murnar, artificem præfert: Quanquam non deſint, qui comunem operam tribuant Eckio, aliiſque ejuſdem farinæ nugatoribus. *Equidem non alia ratione hujusmodi Tibi mittere ſoleo virulentias, quàm ut facilius, ubi commodum fuerit, refellere queas. Senatus inhibuit, ne Murnari libellus publicè Auguſtæ vendatur.* Hæc Gynorianus Auguſtâ, ubi cum optimo viro, Sigismundo Grim, vixit, ad Zuinglium.

Sed & *VVolfgangus VVecKinger*, Præco verbi Augustanus, Zuinglio operosè primùm commendat Urbis Consulem, D. Huldrichum Rechlingerum, hominem pium, cordatum, Zuinglij amantissimum. Optat, ut eo, àmagere utrique possent; magno illud futurum rei Christianæ compendio. Rogat, ut frequentius posthac Consulem literis suis salutet; id enim & honoratissimo viro gratum, & rei Evangelicæ futurum utile. Magnum sustinere onus, cui ille, nisi divina sustentaretur ope, facile succumberet. Lutheranos Theologos negotium ei facessere, idque magno agere conatu, ut Lutheri sententia obtineat. Hæc *VVecKingerus* an. Chr. 1528. Anno præcedenti 1527. *Iohannes Regel*, Augustanus, monuit Zuinglium de Norimbergensium Leiturgia Sacramentaria, Osiandri apud eosdem authoritate; Lutheri scripto de Cæna Domini, quod ne omnibus quidem ejus placeret discipulis. Improbat declamatorios ejus cothurnos, & acerbas invectiones, neque dubitat, quin Ministri Reformati bonæ causæ patrocinium sint suscepturi. Getrawe Gott / ihr meine Herren die Prædicanten werden ihm in kurtz mit gutem grund genugsamlich antwort geben/damit der gemein mañ nit verführt werde / wel-

cher

cher dann verführt seyn wil/im Nammen deß Herren/ ꝛc.

BIBERACI *Millius* fuit, Eccleſiaſtes, qui amicitiam ſibi Zuinglij gratulatus, in cauſa ſatis periculoſa, opem ejus imploravit. Sed & hunc audire juvat. *Accepi ex literis Hieronymi ſæpius, Præſtantiſſime Vir, tum nuper ex Tuis ad me, ſingularem erga me benevolentiam, atque animum propenſum, quibus quidem facile admoneor.* ut Te non ſolùm mutuò diligam, ſed etiam maximi faciam. Dicere non poſſum quantum me Tibi debere putem. Itaque non modò, quòd, in me amando officioſiſsimum Te præſtiteris, es mihi plurimum obſervandus; ſed etiam, quòd nullum prætermiſeris officium, quo mihi Te gratificaturum exiſtimaveris: Propterea officium in me Tuum nuper, & ſingularem benevolentiam erga me, facio equidem plurimi, Tibíque habeo gratiam, quòd cùm nihil ipſe de Te meruerim, tanta in me & humanitate, & benignitate ſis uſus. *Cogitanti enim mihi, quibus amicitiam apud Te inirem, diu multúmque, Tu ultrò me literis invitâſti ad Tuam familiaritatem, neque expectâſti, ut ipſe literis antevertrerem ac rogarem, ut*

Bibe-racum.

me intra album amiculorum Tuorum exciperes, dignúmque redderes amicitia Tua benevolentiáque, quibus fit, ut nihil non de Te mihi polliceri ausim. Itaque, cùm in re neutiquam futili, Tuo consilio atque opera nobis opus sit, ut ijs nobis adsis, te etiam atque etiam rogo. Sacrificuli nonnulli in propinquis urbibus, qui ab Episcopo defecerunt, & obedierunt Evangelio, trahuntur nunc passim ab eis per fora, cúmque suis id minimè consequi possint, accersunt, invocántque præsidia (ut vocant) secularia: Rotvvilam videlicet invitant. Nósque haud im̃unes fore, dubio procul, speramus, atque ut nos missos faciant. Verùm, quid consilij capiamus, non satis est in promtu. Te itaque majorem in modum rogo, una cum Fratribus meis, cùm maximè gnaru sis consuetudinum, insidiarúmque, quibus nobis imponere tendunt, nobis literis quam primùm significes, quid respondere debeamus & quibus excutienda detorquendáque sint hæc jacula, & effugiendi laquei, ne dolis, technísque eorum circumveniamur incauti &c.

4. *Constantia.* Vicina CONSTANTIA Zuinglium Reformatorem constantissimè amavit & coluit, illi præsertim, ex Constantiensibus, qui erant ὑπείροχοι ἄλλων. Constantiâ memorabilem illam ad Zuinglium, *Sebastianus*

Hofmei-

Hofmeisterus, dedit Epistolam, quam p. 397. recitavimus. In ibidem honorificè loquentem audivimus juris consultos *Brassicanos*. Constantiensis erat solidissimus & doctissimus ille Theologus, *Johannes Zuiccius*, qui Rudlingâ an. Chr. 1522. Zuinglium nostrum ita fuit affatus. *Accepi ante paucos dies Apologeticum, ad me ex Constantiâ, Tuo nomine missum, nec solum pro hac, sed & pro incomparabili Tua, cæterorúmque bonorum virorum mihi apud vos exhibita benevolentia, multas gratias ago. Ego nunc sum apud meos, cum magna certè felicitate, si modò felicitas est, Episcopum habere parùm propitium.* Nam, cùm primum Basileâ venissem Constantiam, conabatur pro sua prudentia mihi persuadere, ne quid novi docerem populum: Post hanc rem etiam egit cum meo parente. Tandem intelligere potui, nonnullos mihi apud illum movere insidias, nec distuli, quin illi scriberem nonnihil de suis delatoribus & parasitis. Quàm grata fuerit mea scriptio, non scio; at verò nunc sum apud eum atrociter accusatus, oblato magno Catalogo articulorum: Non tamen adhuc sum vocatus: Sed expecto, quid mecum actura sit illa Sy

nagoga Satanæ. Conabitur fortaſsis pro merito tractare profugum juris conſultum, de quo jam ſpes erat, quòd egregiam operam tuendæ tyrannidis præſtitiſſet. Sed Chriſtus me revocavit, ne profanem Juſtitias DEI mei, neque illibenter tolerabo, quicquid mali hoc nomine mihi acceſſurum eſt. *Quanquam hoc loco, numero ſæpius oporteat ingemiſcere, mi Zuinglie, quòd optimos illos meæ ætatis annos in ediſcendis juridicis ſtudijs, tam peſsimè collocavi. Sed DEUS benevertet omnia.* Adſpergit poſtea calumniam à ſacrificulo quodam, de Zuinglio ſparſam, quæ tantum ei conflâſſet invidiam, *ut etiam Barones quidam, & Nobiles nonnulli, qui in Eremo eum audiviſſent concionantem, eoque ei nomine optimè voluiſſent, jam fovere deſinant.* Quanquam verò certò ſciret, omnia iſta falſiſsima eſſe, ab ipſo tamen Zuinglio erudiri petijt, ut confidentiùs nugatorum ora obthuraret. Reſpondit Zuinglius maſculè, & atrocem calumniam fortiter repulit, Epiſt. l.4. pag. 168. Sed & *Iohannes VVannerus*, ubi in odium incurrit publicum propter purioris religionis amorem, à Zuinglio auxilium expectat. *Gratiſsimæ*, ſcribit, *mihi fuerunt literæ*

literæ Tua, ornatiſsime vir, quibus Te nullos faſtidire labores mei cauſa polliceris: Rem certè facis mihi omnino neceſſariam, tam vituli multi, & pingues tauri me obſederunt, quorum inſidias atque atrocitatem ſine optimorum Amicorum auxilio vix poſſum effugere. Invidioſiſsimè etiam obſervant quodlibet verbum. Nuper enim, cùm docerem, tempora minimè obſervari debere, neque dies, neque horas, ipſi mendaciter dicebant, me omnes ſolennitates, ut pernicioſas, abjeciſſe, & id genus multa, quæ ſcribere non licet. Ultimò tamen, cùm declamarem, venit quidam Johannes Schlupf/ Parochus in Uberlingen, inſignis Sophiſta, is me abſurdas veritates prædicâſſe, publicè clamavit, dum eſſet in quodam convivio. *Hæc ideo ſcribo, ut intelligeres, quàm opus habiturus ſim amicorum conſilÿs, plenius tamen omnia dicam, cùm ad Te pervenero. Epiſcopus malum de me ſuſpicatur, ſuffraganeus inimico inimicior mihi eſt. At me hæc non turbant: Malo enim eſſe Chriſtianus cum multorum invidia, quàm relinquere Chriſtum, propter mundanorum amicitiam. Mitto Tibi libellum*

bellum Lutheri admirabilem, quem D. VVolfgangus Mangolt, ex Nurenberga paucos ante dies portavit (est enim & ipse, qui veram pietatem amplectitur) hunc imprimi facias celerius. Sunt qui habendi desiderio flagrant. Vale, mi frater, & inertiæ meæ parce; Christi doctrinam servabo, mirum enim in modum ex libello isto confortatus sum. Ex Constantia 22. Maji. 1522. Erat & Gregorius Mangolus, à quo multa Zuinglius accepit. Valde Epistolicum eorum comercium fuit familiare. Monuit aliquando Reformatorem de colloquio in ædibus *Fabri* habito, ubi inter alia Secretarius Fabri M. Sebastianus non dissimulâsset, magno disputationem illam (Badensem, nî fallor, intelligit) hero suo Fabro, labore constitisse, irrito tamen conatu: *Fieri enim non posse, ut vel unus articulus authoritate Scripturæ confutaretur, excepto forte uno, de Cœna Domini.* Atque hanc quidem ei confessionem ingenuam, exiguam ei conciliavisse gratiam. Festo Ascensionis, Canonicos ad S. Stephanum concioni interfuisse Diaconi, attentéque auscultâsse. Diaconum articulos primarios, de Prædestinatione, merito & fide ita nervosè & breviter percurris-

ſe, ut omnibus ſatis fecerit. Ipſis etiam Canonicis, dubio procul, non leviter motis. Poſt meridiem eoſdem concionem in Æde S. Stephani audiviſſe, finitóque ſerome quoſdam eorum M. Ambroſium (Blaurerum) in choro, acceſſiſſe, quem D. Balthaſar, Tubingenſis, ita compellârit: *Doleo equidem ex animo, mi Ambroſi, adeò Te miſerè Lutherana novitate ſeductum.* Cui Ambroſius: *Quin gaudes mecum ex animo, me, ex regno Antichriſtiano liberatum, Chriſti regno eſſe aſſertum.* Natam hinc occaſionem colloquendi de merito operum, Cœna Domini: Illud ſemper pro more obtendiſſe Adverſarios, Chriſtum nunquam permiſiſſe, ut Eccleſia tam diu adeò graviter hallucinaretur. *Alexius Berſchius*, ad D. Paulum Parochus Conſtantienſis, in Sacramentaria controverſia ſuos quidem adhuc habuit ſcrupulos, uſque adeò tamen Zuinglio non fuit infenſus, ut quidlibet potiùs, quàm averſum Zuinglij animum, laturum ſe, apertè ad ipſum Zuinglium perſcripſerit. *Nuper admodùm* (ſunt ipſius Berſchij verba) *doctiſſime Zuingli, quidam ex Fratribus, ſe nonnihil mihi aperuit, quòd non parùm apud Te ſim delatus, ut qui Tibi & Tuæ parti reſiſtam*

& re-

& relucter, in hoc, quod ad Sacramenti disputationem attinet. Omnino duæ sunt partes, altera pani Corpus Christi inesse affirmat; altera negat. Cæterùm, utram ego sequar, utram item viam ingrediar, adhuc animi dubius sum & perplexus. Nam ut hostiæ, quam vocant, Corpus Christi insit, spatio ferè duorum annorum nec affirmavi, nec penitus credidi. Item corpus abesse pani, si id negarem, vix mihi per conscientiam liceret. Nec enim facile adducor, ut quippiam approbem, aut refellam, quod meæ conscientiæ nondum est persuasum. *Video enim, & Te & D. Martinum in hac re acerrimè concurrere, & disputare, nec nos inter vos convenire, cùm tamen sitis velut duo renascentis Evangelij columina.* Quare, cùm ego apud animum meum expendo, quàm exilis & tenuis sit ingenij mei intellectus, facile desisto, ne nimium his negotijs involvar, quæ etiam maximis, doctissimisque viris multum negotij faciunt. Non sum adeò imperitus, ut quid asseram, quod ultra vires meas est. Sum autem nonnunquam cum aliquot amiculis, qui & Tibi summè favent, quippiam locutus; at tamen joco, non serio, ut dicitur, ore. Porrò quòd sic apud Te sim hujus rei insimulatus, animo

mo meo vehementer doluit. *Etenim quidvis citius eſſem paſſurus; quam ut Te offenderem; praecipuè* in hiſce *rebus &c.* Magna profectò ἐπιείκεια hominis aſſenſum in uno adhuc capite nondum quidem præbentis; diſſenſum tamen propterea periculoſum, aut fraternitatis diſſolutionem ſeriò deprecantis. Eadem initio; donec alij aliorum mentem rectiùs aſſequerentur; libertà tecum Zuinglio agere voluit magnus Conſtantienſium Reformator, *Ambroſius Blaurerus*, cujus Epiſtolas, quas magno habemus numero ἀνεκδότους, non auro contrà charas tantò ſubinde libentius promemus, quantò luculentiora illa ingenij, judicij, eruditionis, continent documenta. Ipſa proinde Doctoris verè *Ambroſij*, etſi nonnunquam prolixiora recitare liceat verba: *Non tam iniquus ſum publicis ſtudijs, ornatiſſime Zuingli, ut ea velim privatis meis commodis quicquam remorari:* Scio, Te totum hoc, quod vivis, fratribus vivere, ac proinde etiam mihi, qui, quicquid uſquam fratri Chriſtiano, mihi factum lubenter puto. *Gratum tamen fuit Mangoldi noſtri officium,* quo candidam illam & verè amicam Epiſtolam Tuam ad me impetravit. Sciebat

bat nimirum, se nullo alio nomine magis me posse demereri (si tamen hoc quicquam sua refert) quàm si ejusmodi mihi argumenta Tui erga me animi afferret, *qui qualis aliquandiu jam fuisset, non satis conjiciebam, præsertim in tam pertinaci silentio: Non quòd diffiderem sinceritati Tuæ, sed mendaciorum licentia me movebat, simul & improbissimi quidam calumniatores, qui etiam optimè facta, pessimè interpretantur.* Sunt, qui imodicam in me modestiam, sunt qui cælibatum, sunt denique, qui, cùm nihil aliud possunt, cucullum tenacius adhærentem reprehendunt, atque in hoc me pietatis nonnihil collocare putent, quod ultimum Te quoque, istorum calumnijs adductum, suspicari audiebam; tametsi ægrè crederem, adeò Te præposterè agere, ut conscientiam meam ex veste, non vestem ex conscientia, cujus non una solùm ratione testata esset libertas, metiri velles. *Nunc verò, post acceptam Epistolam Tuam, omnia vana fuisse, non obscurè video, ut jam nulla mea apud Te opus sit purgatione, quam propterea nuper meditabar, non propter liberius quicquam in Te dictum: Nam isthoc hactenus nemo ex me audivit, nec audiet*

diet unquam, nisi fortè (quòd absit) secus quàm huc usque docueris Christum. Dissentimus à Te, ingenuè fateor, in Eucharistiæ dogmate; quid tum? Cùm interim de usu modis omnibus conveniat. Nihil hic durius pronunciamus; quòd quidam impiè faciunt, præsertim cùm nihil sit, aut minimum periculi, agnoscas hic Tropum, aut non agnoscas. *Etsi labefactando regno Papistico vestra sententia longè sit efficacior; in quam ipsi etiam ultro discedemus, ubi Spiritu suo certiores nos fecerit Christus, sine cujus ἀποκαλύψει nunquam hîc fuero securus. Ut enim multa me movent ad admittendum hic tropum, alioqui toties obvium in Scripturis; ita nihil permovet, cogitque, ne non audeam dissentire. Proinde Eucharistia recordandæ mortis obitæ pro nobis argumentum est, in quem solum usum utrinque, nihil soliciti, quid pani includatur, quandoquidem verba, nobis, non pani, dicta novimus, sicque tranquillam reddimus Ecclesiam nostram: Quòd si etiam facerent isti quidam, qui vincendi studio magis, quàm veritatis amore hic tantopere depugnant, minus jam turba-*

 rum

rum, plus pacis haberemus. Mira & acerbissima parturiunt nonnulli, quę magno nuper animi dolore vidimus: Digladiationes sunt καθ' ὑπερβολὴν τραγικαί, ut risura sit posteritas, si qua futura sit, nostri seculi rixandi amorem; quod ob concordiæ signum tantas discordias concitamus. *Excuditur nunc Augustæ nescio qua determinatio declamatorum Sueviæ & Rheni adversus Oecolampadium, meum virum; semel & verè dicam, optimum & eruditissimum; qui titulos multos, etiam vobis consentientes, multos nihil repugnantes una involvet, ut demirer temerariũ hominem. Faxit Christus, ut in se tandem pacem habeamus. Vannius, permittente nostro Senatu, Memmingam profectus est, Evangelizaturus illis tantisper, dum proprius contingat Apostolus: Nec enim patiemur hunc prorsus à nobis divelli. Zuiccius nunc locum illius implet, quanquam vix potuit adduci.* Hæc Blaurerus, amicè ad Zuinglium. Quàm pulchrè stetit amicitia, nondum planè sancito consensu Eucharistico? Nempe, nondum ita in propria sævitum fuit viscera, nec viderunt generosa illa pectora, ob unius nævi aut maculæ notam,

notam, inconſutilem Chriſti veſtem lacerandam. Neque enim Zuinglius, etſi ſententiæ ſuæ ſtrenuus & gravis hyperaſpiſtes, ægrè tulit, aut vitio Blaurero vertit amicam de Cæna Domini ἐποχήν, multò minus propterea vel fraternitatis jura minui, vel dexteram negari ei voluit. Appellari nonnunquam Reformator *Cogentius* voluit; revera eſſe, religioni duxit. Ita errantibus viam veritatis oſtendere habuit ſtudio, ut tamen declinantes reducere, quàm retrahere invitos, aut cogere reluctantes maluerit. Inſignis eſt ea de re Zuinglij Epiſtola; quæ Blaurerianam videtur proximè præcedere. Totam eam adſcribam: Neque enim, quod nunquam hactenus lucem aſpexit, ex tanti Herois ſcriptis, nauſeam vel ſatietatem excitare poteſt. Nunquam hæc talia Lectores, niſi κρείττονας ἑαυτῶν à ſe dimittunt. *Gratia* (ipſa retineo verba Zuinglij ad Ambroſium Blaurerum) *& pax à Domino. Extorſit ſumma injuſtitia hanc Epiſtolam Gregorius Mangoldus, doctiſſime Ambroſi, ſubinde opprobrans; Te nihil unquam literarum à nobis accepiſſe; ad quem tamen bis jam ſcripſeris. Equidem non ſum immemor, ante annos aliquot gratiſſimam*

 ab,

abs Te accepisse, cum quadam copia Fabrilis Epistolæ (de qua suprà p.226.) *at quod nunquam ad Te dederim literas, incertus sum: Manet enim etiamnum in mente nostra spectrum Epistolæ cujusdam ad Te missæ. Fieri tamen potest, ut invenerim, quæ ad Te daturus essem, materiámque contraxerim, nec tamen calamo exceperim. Utcunque res habeat, mi Ambrosi, si quando tenacius Epistolas promo, vitio non vertendum, ipse, haud dubiè, pronunciabis, ubi tot occupationes, turbas expenderis, quibus continuo adobruimur: Sed & hoc, quòd stylum nostrum perpetua* quædam verecundia tenet, ut haud temerè adeat magna nomina. Sunt enim, qui ambiri aliquid apud se arbitrentur, si ab indignis, Epistolis interpellentur; deinde amicos soleo non temerè facere. *Quòd si videam aliquos eadem esse fide præditos, quam nos prædicamus, jam non laboramus in eorum amicitiam recipi, certi enim sumus, nos istis esse gratos, quum videant nos citra fucum veritatis provinciam subire; satis est nobis superq; arrhabo Spiritus, eum ubi teneri videmus, jã obsignata nobis sunt omnia amicitiæ mun-*

munimenta. Sic, cùm Te videam ex fide Chriſti negotium agere, non dubito, me in amicorum Tuorum albo æquè eſſe, atque ipſe in meo es. Vannius, com̃unis noſter amicus, locuples teſtis erit, quoties Tui memoriam apud ſe fecerim per Epiſtolas. Subviſus es proxima Epiſtola quiddam agnoſcere, quod ſatisfactione opus habeat. Deſine, mi Ambroſi, quicquam apud nos vereri. *Non is ſum, apud quem tu purgari debeas, etiamſi liberrimè quædam in nos ejaculâſſes. Neque rurſus tam tenero ſum animo* (τῷ θεῷ χάρις) *ut facile plagam accipiat. Quod utinam quædam nomina ſic ſervâſſent, quæ nobis unicè cuſtodita ſunt, haberet profectò, haberet Chriſti populus longè meliùs, & Antichriſti turba deteriùs quàm habeant. Tu, mi Ambroſi (avocat enim nunc me ſecunda concio, iſto die habenda) ſic de Zuinglio perſuaſum habeas, ut nihil antiquius ducat bonorum amicorum theſauro. ſicque abeſſe, ut amicitiam Tuam averſetur, aut declinet, ut ſe beatum audeat ducere, ſi creberrimis abs Te obruatur ſcriptis.* Agamus ſtrenuè negotium Dei, & videbimus, ſimul amicitiam

creſcere & firmari; ſi deinde in aliqua re diſſentimus, civiliter (NB) atque intra amicitiam contendamus, non Wittenbergicè, ubi famoſa ſunt omnia, minacia, tyrannica; commodè ipſi inter nos infantium more, tenuibus remulcis, prælia comittamus. Adplaudant alij faſtis ſuis, magnis flatibus, nos iſta flocci faciamus. *Omnia boni conſule, & me Tuum ex animo firmiter fide. Servet Te Chriſtus Eccleſiæ ſuæ incolumem.* Quæ de cucullo ipſe monet Ambroſius, anſam præbent, rem paulò altiùs repetendi. Vitam *Blaurerus* in vicino Alperſpacenſi cænobio egerat Monaſticam. Orto autem Reformationis jubare, inter primos & primarios idem fuit, qui limpidos Iſraelis fontes, ſordidis & inamabilibus traditionum paludibus prætulit. Inter Clauſtrales tamen adhuc aliquandiu degiſſe videtur, non ſine ſpe lucri optimi & laudatiſsimi animarum, quas Chriſto, nectare doctrinæ ſanæ inſtillato, adducere nitebatur. Pertæſus tandem otioſæ & periculoſæ illius vitæ, libertatem Evangelicam, ut publico prodeſſet, ſibi anteferendam vidit. Exitum ergo & meditatur, & exequitur: Grunnientibus interim nonnullis, & ſcandalum objicientibus. Qua de re ad amicos, *Melanchthonem*

nem præsertim, an. Chr. 1522. VIII. Id. August. ita scripsit: *Si unquam aliâs, eruditissime Philippe, nunc certè maximè ad Te mihi scribendum erat, quando graves casus, & iniquissima rerum conditio me sanè quàm crudeliter premunt:* Cœnobium certè non adeò pridem egressus, malè nunc audio, quòd scandalorum causas non satis abstulerim, unde etiam regrediendum mihi arbitrantur nonnulli. At ego mori citiùs velim, quàm in ista impietatis nassa diutiùs detineri: quandoquidem nullo Monachorum bono, & maximo meo malo id facerem. *Porrò charissimus meus frater, de rebus meis omnibus, déque hac præcipuè causa, faciet certiorem. Te verò per Deum Opt. Max. & per quicquid flecti potes, obtestor, ut Tuam mihi sententiam indices, quid mihi potissimùm faciendum existimes, ad me diligenter perscribas. Erit mihi consilium Tuum oraculi loco, quippe qui sciam, Te Spiritum Christi habere, nec quicquam posse consulere, quod ab illius placitis dissidat.* Quid responderit *Melanchthon*, hactenus non observavi. Blaurerus interim mentem mutavit, vestem non item. Egressus Monasterio. Cucullum non statim abjecit;

 quod

quod ipsum viri graves in eo notabant, inter alios *Oecolampadius*, qui seriò hanc ursit causam Epistola, ex *Blaureriano archivo* (ita appello Epistolas sive per ipsos, sive ad ipsos exaratas Blaureros, Thomam, Ambrosium, &c. quarum αὐτόγραφα magno ante hac numero mecum communicavit meritissimus Sangallensium Consul, *D. Schobingerus*, ὁ μακαρίτης) promta, sic habet: *Verè periculosa est vita hac, mi Ambrosi, & ut Propheta inquit, ante oculos sunt formido, fovea, & laqueus, ut qui terrorem effugerint, incidant in foveam, & qui è fovea erepserunt, retibus illaqueentur. Quorsum hæc?* Erepti sumus; divino beneficio; ab impiarum traditionum jugis, ne posteriora prioribus deteriora fiant, si vel subsistimus, vel respicimus. *Tu quidem rectè facis, me adhortans, ut progrediar; vicissim & meum officium fuerit id ipsum facere: Hoc boni consulat charitas Tua.* Nam & fratres quidam me in hoc instigârunt, qui Tuæ animæ timent, quæ adhuc sibi vivere malit, quàm alijs, & ab hominibus plus quàm à Deo pendeat. Sunt enim qui parùm abesse credunt, quin Te denuo illaquees, quandoquidem quum magno ple-

bis

bis deſiderio, ad concionandi munus vocaris, non ſolùm detrectâris; ſed ad arbitrium Abbatis Tui vivere decreveris. Cui ſi in hoc parere volebas, quid opus erat illius rumpere vincula? In his quæ, Dei ſunt, quid conſulis alios, quàm os Domini? Scio, quoſdam, ſimilem modeſtiam ſectatos, valde periclitatos. Quid hoc eſt aliud, quàm ante prælium cedere? Viſus itaque dignus es, qui admonereris, ne nimicæ humilitatis Monaſticæ ſtudio viam regiam deſeras, ne decoctor ſis dotium, quas in Te Dominus collocavit ampliſsimas, de quibus, non ignoras, eſſe rationem reddendam. Tu fortaſſe, id quod modeſti ſolent, eas nonnihil diſsimulas, vel ignoras. Sed ignorare non potes, diſsimulare non debes: Infidelitatis reus eris, niſi diſpenſes, ubi ubi Dominus Te vocaverit. Cujus eſt Tua in docendo gratia? Cujus in perſuadendo felicitas? Cujus integra nominis exiſtimatio? Cujus tam multiplex eruditio? Tua non eſſe arbitror; Tua non ſunt, ſed in aliorum uſum Tibi concredita. Quis Te pius abſolvet, qui fugias, cùm ita armatum cæleſti πανοπλίᾳ ſponte in medium proſilire oportet? *Proinde, frater chariſſime, noli fraudare nos, noli cives Tuos, noli pios omnes Sancta de*

Te expectatione. Sed parce Spiritui (propitius Tibi esto) ne huic Te opponas. Et hanc verè candidam exhortationem ne contempseris, neque meam hanc, sed multorum credas petitionem. Hæc Oecolampadius graviter & nervosè; amicè tamen simul & fraternè. Quid vel disertius, vel conscientiæ expugnandę opportuniùs, quàm manifestũ illud inter Monasticam ἰδιογνωμοσύνην, vitámq; planè ἄπρακτον, & tot modis utilem provinciam discrimen? Concionatoris. *Illa*, privata magis ne uni; *hac* publica, pluribus usui esse poterat. In *illa* vel unum etiam talentum defoditur; in *hac* quinq; cum fænore possunt elocari. In *hac* Deus, Christus, Apostoli, oracula, Canones & regulæ divinæ audiuntur; in *illa* Franciscus, Dominicus, ἐντάλματα ἀνθρώπων prævalent. Sed de his aliâs. Zuinglij nobis asserenda authoritas, apud exteros etiam, & jam quidem *Constantienses*. Cùm ex colloquio fuisset Marpurgensi reversus, quàm impensè Reipublicæ Christianæ Blaurerus fuit gratulatus? *Reducem Te, mi Zuingli* (integram enim gaudij sui testem esse voluit Epistolam) *supra quàm dici potest, nobis pariter & Ecclesiæ Tuæ gratulamur, hócque magis, quòd adeò feliciter confectis rebus*

propi-

propitio Chriſto rediiſti. Neminem audio, qui modò ſaveat Evangelio, quem non vehementer exhilaret amica iſta & Chriſtiana collatio, quamplerique convitioſam & tantùm non cruentam fore verebantur. Gratia Deo, qui cumulatè fecit ultrà omnia, quæ cogitamus etiam. Certè, ut ut res habeat, cùm adeò pulchrè inter vos convenerit (NB) de fidei ſumma, minus futurum eſt offenſaculorum, ſi, quod ad reliquam controverſiam pertinet, altera (NB) pars alteram ferre potiùs, quàm calumniis inſectari malit, id quod ut fiat, communem Servatorem Chriſtum totis animis obnixè precor. Nunc, quod ſcis, VVila ſum, ubi utinam ſim magno Evangelii fœnore. Populus eſt non minus pervicax, quàm factioſus, cujus cervicem præter unam Dominici manum nemo, puto, quantumvis, ad dicendum adpoſitus, flexerit. Quàm ſolicitè vel exulum, vel periclitantis Evangelii cauſam idem, quoties opus fuit, Zuinglio commendavit? Rotvvilenſes in limine occurrunt, *Rotvvilenſes* (verbis loquor Blaureri) *proſcripti, quibus anxiè conſultum cupio, Clariſſime Zuingli, cauſam,*

ſuam,

suam, aliàs Tibi commendatissimam, per me quoque commendari Tibi votis omnibus volunt. Non potui igitur officium negare afflictissimis hominibus, quos nemo, vel humanæ æquitatis, ne dicam Christianæ honestatis amantior, non pronunciabit iniquissimè propulsos, ut planè commiserandum sit, tantam tyrannidis licentiam usquam apud Germanos in hunc modum, qui verè modo caret, grassari. Age igitur, mi charissime Frater, pro illorum pariter & mea fiducia, quam in hoc certè negotio, juxta Deum, maximam in Te collocamus, omnia experire, nihil non tenta, apud Tuos simul & alios, ut optimi tandem à pessimis vindicentur. Longissima est miseris omnis mora, quòd omnes propemodum periclitati sint, planéque, si paucissimos exceperis, amiserint. *Felices sibi viderentur, si jure possent experiri, præter jus & fas oppressi; sed nec sic audiuntur à suis, quo magis omnibus alijs habenda est ratio innocentiæ, ne ultrix Dei oculus, in universos gravissimè desæviat.* In communi Evangelicorum causa, quid non de vigilantia, prudentia, authoritate, Reformatoris nostri sibi polliciti sunt Constantienses?

Non

Non Te clam eſt (ita idem Ambroſius ad Zuinglium) *ornatiſſime Zuingli, quid nudius tertius veſtro Senatui noſter hic ſcripſerit. Contrahuntur undique neſcio quæ copiæ, nec quiſquam ſatis conjicere poteſt, in quem uſum, aut quid conentur, niſi quòd putant nonnulli, extrema nunc experturam poteſtatem tenebrarum, & minantur interim quidam; ſemel caſura noſtra omnia. Certè de indefatigabilibus tyrannorum ſtudijs perdendi nos, tot jam evidentiſſimis argumentis edocti, non eſt, ut quicquam dubitemus, ut prudenter mihi facere videantur, qui in tempore, quid facto potiſſimum opus ſit, diſpiciant. Video impendere mala multa Evangelicis urbibus, ni arctioribus vinculis, quàm hactenus, ſibi cohæreant. Vehementer nunc timent ſibi Memmingenſes mei, ne oppugnentur: Nam expugnari illos poſſe tam non credo, quàm ſtat mihi certiſſima de Chriſti præſidio fiducia.* Proinde Te per comunem Servatorem noſtrum Chriſtum etiam atque etiam obteſtor, ut pro ſingulari prudentia & authoritate, qua vales apud Tuos, nihil non tentes, quo Memmingenſibus, Iſnenſibus,

sibus, Campidonensibus & alijs nonnullis securioribus esse liceat. Olfacis quid velim, & scio Te alioquin in eo esse, ne optimi quique crudelissima tyrannide istorum opprimantur; admonere tamen visum est, quod & Memingensibus meis unicè consultum cupiam, & sciam, Senatorum nostrorum consilia subsistere protinus atque languere, nisi sit, qui extimulet subinde, & animos addat, id quod Te nemo commodius, imò felicius fecerit, quem etiam velut præsentissimum quoddam Numen hic plerique expectant; quos omnino conveniet, ne fallas. *Audimus, ardeliones quosdam pertinaciter hoc agere, ut in odium nos vestri pertrahant, nihil tale de ipsis meritos, quorum impudentissimis mendacijs, ne movearis, obnixè rogamus.* Hæc Constantiæ 11. Augusti 1529. Quid, quòd singularibus etiam vix melius prospici existimârit Ambrosius, quàm si Zuinglij pietas & humanitas ijs patrocinaretur? Exemplum unum & alterum, numerum meritorũ & laborum Reformatoris nostri, non modò pro integris Ecclesijs, sed Ecclesiarum laborantibus, non mediocriter augebit, membris. Reperitur inter primos Leprosodochij nostri Pastores *Rebmannus* quidam, vir pius

&

& probus, oculis propter Evangelium orbatus; quem Blaureri commendatione & à Zuinglio receptum, & functioni illi, quam cum laude per aliquot annos adminiſtravit, admotum eſſe; nihil addubito. Συςατικαὶ Blaurerianæ hujuſcemodi ſunt: *Nunc, per cerebri graviſſimum fluxum, qui me diu jam domi continet, nihil poſſum, mi Zuingli.* Hoc unum Te peto; ut hunc cæcum fratrem noſtrum cum uxorcula comendatos habeas; ſimul & alijs Chriſtianis Fratribus, qui iſtic ſunt; Chriſtianicè comendes. *Dices, quin vos hos vobiſcum fovetis? Certè, mi frater, non deeſt animus, nec nobis, nec plebi; & magno dolore hinc dimittimus tam pios, & ſinceros homines, ad quorum ingreſſum nobis benedixiſſe videtur Chriſtus. Sed N. noſter fractus neſcio quibus minis Comitis à Sulz, ablegandos duxit: Scilicet etiamnum homines magis timens, quàm Deum. & nos mutare non poſſumus, quod is fieri decrevit. Age igitur mi Zuingli, charitatis officium etiam nunc, non illis ſolùm; ſed etiam nobis alacriter exhibe. Hypocauſtulum aliquod & cubiculum ut habeant fortè in vacuo cænobio, diligenter cura.*

cura. Nos vicissim, quibuscunque occasionibus poterimus Tuis, olim petitionibus, non segniter inserviemus. Eodem anno 1526: paulò ante, mense Augusto, aliam præmisit comendationem Abbatis Werdensis. Fortè nec hæc Philohistori ingrata erit Epistolæ è tenebricosis carceribus liberatio. *Pium hunc & verè venerabilem VVerdensis Cænobij Abbatem Christianicè, hoc est, simpliciter tibi commendo; Clarissime, idemque charissime frater: Cur enim multis Te admonerem officij, quod ultrò nunquam non strenuissimè facis?* Exilij sui causas, ex ipso, si voles, ad longum cognosces, qui etiam studiorum suorum gustum Tibi aliquem, hoc est, Psalmos aliquot, carmine redditos, exhibebit, id quod tametsi non adeò prosperè successit (nec enim ejusmodi sunt versus, quales isthic Colinus vester, rara quadam suavitate & felicitate fingere solet) non possis tamen studium hoc, & dignos Christiano homine conatus non candidè probare, &c. Vale, mi ornatissime Zuingli: *Nec enim te pariter, & me remorari diutius volo: Te, qui nunc Luthero respondes; me, qui eam responsionem impatientissimo desiderio cum multis alijs expecto.* Sed constan-

conſtantiùs Conſtantiæ immoratis, pergendum tandem, & CREILSHEMIUM ſalutandum nobis erit. Erat ejus loci a. Ch. 1522. paſtor *Adam VVeiß*, qui & ipſe rerum per Zuinglium in Helvetia feliciter geſtarum gnarus, ejus ſe amicitiæ inſinuare voluit. Nec enim aliò Epiſtola ejus, anno modo memorato ſcripta, tendit. Vir erudite, juxtáque pie: (*Ita Zuinglium affatur*) Quòd prior ad Te, facie quidem ignotum, cæterùm famâ notiſsimum, ſcribo, bene feres, ſcio; quippe qui Chriſtianæ doctrinæ aſſertor & es, & diceris conſtantiſsimus, agnoſcísque ex Paulo noſtro, Te inſipientibus juxta atque ſapientibus debitorem eſſe. Eſtque prætereà functio non diſsimilis hac quidem parte, quòd uterque in miniſterium verbi aſciti ſumus, feliciter utinam, Chriſto authore, quod ad me quidem attinet. Scis Tu, exercitatiſsimus in ea palæſtra, quid mihi tyroni deſit, quippe qui ex Philoſophorum Academijs ac planè obtorto collo in tam ſplendidam functionem ſum evocatus. Chriſti tamen favore nactus ſum, quod Paulus apud Athenienſes, populum etſi ſuperſtitioſum, non verò ita intractabilem, ſequacémque, ut magna ſit ſpes bonæ frugis authore Domino meſsis. Arrectis animis ac auribus hiantes excipiunt, ſi quid vel per aſinam,

Creilshemium.

ut olim, Dominus loquitur. Non offenduntur novitate, permovente, opinor eos, ingenita sua vi veritate, cujus simplex est oratio. Superis gratiæ. Aget suum negotium Christus, ac provehet invitis vel inferni portis. *At plusquam hæc satis apud virum tantum. Si temerarium videbitur, quòd scribo indoctus ad tam eruditum, condonabis id facile. Urgebat me: ac planè currenti calcar addebat amicissimus mihi, qui & ad Te literas dat, Leonardus Francus, vir Christianæ veritatis sitientissimus, qui pro sua in me benevolentia apud me omnia potest. Huic ineptias meas irrogabis. Spero aliquando, vel accepta opportunitate Te visurum, ac eruditissimas Tuas conciones auditurum, tum & liberius, & commodius nos invicem agnoscemus.* Et sequenti año 1523. amicitiæ suæ fructum percepturus, dubia quędam proponit, quę superioris seculi Theologos multum torserunt; de tolerantia rituum Pontificiorum, & declinatione scandali. Adami προσφώνησις hæc est: *Vir eruditissime; veniam deprecarer inprimis, quod tale Tuum pectus, nil nobis præter Christum spirans, meis nugis vel tan-*

tantillum à ſua ſacra meditatione remorer, niſi perſpectiſſimus jam mihi eſſet morum Tuorum candor verè Chriſtianus, ac quæ omnia fert charitas meas ineptias excuſaret. Videmus jam pridem piiſſimas lucubratiunculas Tuas aliquot, inter quas mirè placuit acris ac verè erudita Tua cum Vicario Conſtantienſi diſceptatio. Ut jacent, ut frigent omnia iſtorum nugamenta: E diverſo, ut Tua ardent, urgent omnia. Non alia comodiori via traduci poſſet impia ac inſignis Papiſtarum temeritas, quàm cùm Tecum, tuíque ſimilibus comittuntur homines deplorandi verius quàm miſerandi. Fuſiorem poſitionum Tuarum explanationem, ſi edita eſt, precor, optime Vir, ad me tranſmittas, aut ſi quid aliud interim peperiſti, ſimúlque indica, quo animo feras Collegij Tui ritus, ceremonias, atque id genus. Apud nos plus ſatis adhuc lacte veſcuntur, tardè nimis grandeſcunt in Chriſto. Horrendum Miſſarum abuſum ac nundinas, ſcribi non poteſt, quàm indignè feram. Quid faciam? Si ita diſsimulare pergimus, alitur noxia illa populi ſtultitia, & vix ſine tumultu hæc ſubito inverti poſſunt. Rurſus, neſcio an tanta ſit ratio habenda vel ſcandali, vel tumultus, ut ob id

tantas abominationes semper feramus. *Doleo; & quid aliud possum; nos nondum habere legitimam Ecclesiam; Messem adhuc in semine esse. Te verò felicem, cui talis patria, talis populus obtigit. Insaniunt apud nos tum profani, tum Ecclesiastici Principes. Etsi nihil palàm audeant, clàm tamen non desinunt verbi Ministros miris modis divexare. At ita est verbi conditio. Boni consule, hac effusa veriùs, quàm scripta, sic urgente nuncio, & me Tuis literis non dedignare. Bene vale in gloriam Jesu, & perge, ut facis, in apertione oris Tui cum libertate notum fac mysterium Evangelij Christi, qua legatione fungeris. Dominus adsit Spiritui Tuo.*

Francofurtum.

At plus Ultra: FRANCOFURTUM, nobilissimum ad Mœnum emporium, Zuinglij aluisse fautores & amicos, ætatis illius monumenta dubitare nos non sinunt. Cùm anno 1526. *Christophorus Froschovverus* nundinis interfuisset, lætum Zuinglio detulit nuntium, cum Evangelio Francofurti bene agi: Zuinglij, libros avidè distrahi, in eos ubique inquiri: Hoc dolere multos, quòd nihil in Evangelia scriberet, aut Epistolas, vel etiam Prophetas in Germanicam

Lin-

Linguam non transferret: Nomine Paſtoris, Francofurtenſis (fuit tum Dionyſius Melander, ut ex Epiſt. Zuinglij ad eundem data patet, lib. 1. Epiſt. pag. 29.) officioſiſsimam nunciat ſalutem. Francofurto etiam ſcripta eſt Epiſtola *Guilelmi Neſeni*, quâ Othonem Brunfelſium Zuinglio hunc in modum comendavit: Vides, opinor, Udalrice optime, quàm non ceſſet cacodæmon ille herbam Evangelicæ doctrinæ, nobis præter meritum, ſed gratuita Chriſti munificentia repullulantem, obterere; Sed, ut ſpes bona, proficiet amplius. Qui Tuæ humanitati perfert has literas, Otho eſt Braunfelſius, ordinis quondam Carthuſiani Phariſæus; nunc verò ardentiſsimus pietatis propagator: neque apud nos locum nanciſci, per invidiam Papiſtarum, potuit, quo talentum ſibi creditum conderet, ut Domino olim ſuo cum fœnore redderet. Proinde ſi iſtis apud Tuos, quos præter Germanos, viros liberos eſſe ſcimus proſpexeris homini, gratiſsimum & ſtudijs & Chriſto facies. Titulo tantùm integri & boni Sacerdotis commendabis. Scio, qua Tu iſthic tùm authoritate, tum libertate Chriſtum doceas, quantúmque hominum Chriſto lucri facias indies, id ut Tibi liceat diu, Chriſtum oro. Vir eſt integerrimus, eruditionem libellis

aliquot ab se editis, orbi testatus est. Sacrarum literarum cognitionem cùm haud mediocri eloquentiæ supellectile conjunxit: in sum̃a, dignus est, quem Tu promoveas, atque vocis suæ testimonio non solùm ornes; sed etiam juves. Hæc ad Te celerrimè, Clarissime Uldarice. Habeo quædam communicanda, quæ & videbis, & audies ex me, cùm Basileam rediero; Id spero fiet ad futurum autumnum. Saluta diligenter Osvvaldum nostrum, & vale bellissimè. Frankphordiæ. Oecolampadius hîc mecum est, vir, in literis maximus, non solùm in Latinis, Græcisve; sed etiam Hebraicis: Is à suis, quod Evangelium prædicari vetuisset, descivit. Vertit hic Chrysostomi Homilias ad viginti opinor, nondum visas.

c. Friburgum.

FRIBURGUM Brisgojæ proximum est, & in eo magnum illud jurisconsultorum lumen & fulmen, *Vdalricus Zasius*, patriâ Constantiensis, postea Professor Friburgensis, ubi etiam a. Ch. 1535. vivere desijt. Hic vero quantus fuerit, quámque omnis literaturæ politioris locuples *κέρας ἀμαλθείας*, ipse alicubi, scripto contra Budæum, Galliæ decus & ornamentum non minus celeberrimum, quàm utriusque Linguæ, Latinæ & Græcæ, peritissimum; Apologetico, minimè dissimulavit. Stellionatûs enim postulatus, toti

orbi

orbi extare voluit, non opus habuiſſe, ut Æſopicæ corniculæ inſtar, aliunde plumas aſciſceret, adeóque fætus ſuppoſitios ſuo nomine extruderet. Sed de hac re poſtea. Quin Eraſmus Roterodamus Zaſium *incomparabilem* appellavit *Doctorem*, Cæſaræi juris apud Friburgos Profeſſorem Clariſsimum, quem & honorifico admodùm dignatus eſt affatu. *Quando* (ita Eraſmus ad Zaſium an. Chr. 1518.) *in Zaſij mores non cadit ulla fuci ſuſpicio, patiar Te Tuo indulgere vel amori, vel ingenio, modò mihi viciſsim permittas, ut meo obſequar pudori, qui ſoleam amicos effuſius amare, quàm prædicare; aut ſi quando res ita tulerit, malim apud alios, quàm coràm. Denique, ſi inciderit, ut coràm quoque ſit faciendum, malim aliquantò parciùs. Sed quam obſecro, jacturam mihi narras?* Cùm antehac de Zaſio præclarè ſenſerim, tamen ex noſtro congreſſu tantum acceſsit meæ de Te opinioni, ut mihi videar magnitudinem Tuam hactenus prorſus ignoraſſe. Ego jureconſultum tantùm expectabam, inſignem quidem illum, & admirabilem; ſed tantùm jureconſultum. Quid autem eſt in Theologorum myſterijs, aut etiam palæſtris illis,

quod Tibi non erutum, non excusum ac meditatum, esse videatur? Quæ Philosophiæ pars est, in qua non ita versatus sis, ut in ea sola versatus videri queas? Aut quis omnino liber est seu veterum, seu recentium, quem non evolveris, non intro spexeris, non imbiberis? Quin & arcana illa, quæ verè pium ac sanctum reddunt hominem, comperio Tibi non vulgariter esse observata. Jam eloquentiam Tuæ literæ, licet neglectim, & plusquam ex tempore scriptæ, satis præ se ferebant. At non expectabam dives istud & exuberans orationis flumen, nusquam non paratum, quicquid undecunque incidisset. Deum im̃ortalem, qui sermonis nitor, qui fluxus, quàm felix, quàm ultro scatens, quàm non accersitus, quàm non affectatus. Extemporalis confabulatio stylum Tuum æquabat. Quis non admiretur cani capitis tum virens ingenium? Tum præsentem, paratúmque rerum omnium memoriam? Nihil enim dicam de moribus, quibus neque gravius aut integrius quicquam esse potest, atque suavius. Adeò mirè totum Zasium temperavit, artifex optima Philosophia. Sed pene imprudens laudum Tuarum campum ingredi cæperam. Etiam atque etiam Te rogo, ut ali-

aliquando tandem exoptatiſsimas lucubrationes Tuas ſinas in lucem exire. Patere hoc utilitatis ſtudioſis bonarum literarum accedere, patere hoc decoris noſtræ adjungi Germaniæ; cui nunc notiſsimum eſt Zaſij nomen: ſed dignum quod univerſo innoteſcat orbi, poſteritati quoque celebre plauſibileque futurum. Ita *Eraſmus* de Zaſio; cui etiam *Budæus*, Epiſtolâ ad Cantiunculam Baſileenſem, eruditionem Zaſio abjudicare non audet, nominiſque celebritatem; notat tamen *in eo nimium oſtentandi ingenij ſtudium*, quo ipſo ad velitationem illam literariam, de qua ſupra, reſpicere videtur; quæ tamen Zaſij famam ut poſtea audiemus, non lædit. Monere hæc voluimus, ut Zuinglij noſtri authoritas, qua etiam apud Zaſium polluit; eò prodiret illuſtrior. Tantò enim meritò celſiori ille habendus loco, quantò illi, qui ſuprema occupant ſubſellia, eum pluris æſtimant. Certè, qui vel inter eruditos, Dictatores cenſentur, arbitriumque ſumere bona cum gratia audent, non literatura minus, quàm authoritate inſtructos eſſe oportet. Hanc prærogativam non videtur negâſſe Zuinglio Zaſius, & in ea quidem cauſa, quam tum temporis vel tangere erat periculoſum. Comendare Zuinglius voluit

Lutherum: idque obtinuit, ut primo statim alloquio ingenuam, Lutheróque honorificam Professori Friburgensi extorserit confessionem: In alijs, ijs præsertim, quæ Jureconsultis viam ad solitos honores & divitias sternere videbantur, Zasius difficilior, aperto Marte Martinum aggredi voluit. Tentásset etiam, nisi Zuinglius suo eum consilio revocasset. Sed operæ pretium est, ipsos rem suam agentes, incomparabiles in theatrum prodire collocutores. Zasij ad Zuinglium Epistolam (jam enim diutius æquo, blattarum & tinearum pabulum fuit, præmittemus. *Jucundissimæ mihi Tuæ fuere literæ, eximie vir, ut quæ argumentum præbeant non modò absolutæ Tuæ eruditionis; sed etiam animi candidissimi; ignotum appellas literis amicissimis, quid mirum, si in familiares officio velexuberes?* Tantum itaque abest, ut temeritatis notam ullam, quam deprecari pergis, incideris, ut etiam singulari te humanitate te conspicuum feceris; qui ad amicitiam me invitas, quam expetere, vel adactis precibus conveniebat. Ero itaque amicus tum fidelior, quo te digniorem video, in quem animi adfectus omnes conferam. Faxit Deus, ut quod fausto sanctóque initio ceptum est, inter nos maneat perpetuum. De Martino Luthero

multa

multa mihi tecum ſerenda forent, ſi Epiſtolarum brevitas ea complecteretur. Sunt enim in eo plurima, quæ laudes & defendas. Sunt rurſum, quæ videntur nonnihil impingere. Rectè docuit, omnia noſtra bona opera Deo accepta referre, nihilque tribuere propriæ voluntati, quàm iniquitatem. Hoc enim & pluribus probat authoritatibus, & inſuper Pſalmorum liber omnibus quaſi ſpatijs teſtatur. Docent hoc Eccleſiaſtici Doctores, Chryſoſtomus ſuper Matthæum non uno loco, Gregorius in Homilijs apertiſsimè, & alij, quos ſuo ordine congeſsi, cauſam probiſsimi viri hac in parte acturus, quantum Dominus conceſſerit. In materia verò Indulgentiarum, quid ſentiam habeo, quid loquar non habeo. Nolo enim in eos incidere, qui fænum in cornu gerunt. Vetus ea in re querela eſt, & adhuc dubia, dicit Gloſſ. in Can. Quod autem, de Pænit. & remiſſ. Concilij itaque definitione eget; non ſtat à privatorum doctrinis. Proinde audacius, quàm felicius Lutherus noſter Gordij modum diſſolvere perrexit; vera tamen eſſe, imò veriſsima, quæ doctiſsimus ille vir ſcripſit, multi putant: Tu cætera conjice. Quæ porrò Lutherus ſuper pænitentia, ſuper fide diſſeruit, ſaluberrima puto, omnis enim noſtra vita ad hoc comparata eſt,

ut

ut vitijs resectis virtutum accessione increscat, in conflictum inimici perpetui adarmemur; cruci subdamur, castigemus corpus, & ita quotidie emendemur, quæ vera est Christiani negotiatio, quam qui fugit, salutem fugit, qui oppugnat, se se interimit. At hæc nihil est secius, quàm pœnitentia. Quod autem fides potissimum sit in Sacramentis, quis negare ausit? Sed quando farinæ nostræ non est, ea in re extendi, ad Theologos provoco. Eos autem Theologos, quibus veritatis amor insidet. In prædictis Lutherum & sequor & admiror; & quatenus meorum studiorum, quæ in Civilibus versantur, ratio recipit, defendere sum paratus. *Intercurrunt tamen nævi in Lutherianis doctrinis, quæ me malè habent. Quòd enim benefaciens peccare dicatur, deopinata est assertio, nisi sanè intelligatur. In sensu enim diviso tolerari potest, si benefacientem non in actu accipias, sed in habitu: Ut ita benefactor, id est, justus, peccet, ut pote qui imperfectus sit, & in multis offendat. Hoc sine Lutherum hactenus intellexi; sum ei adsensus, & velut exosculatus. Per hujusmodi enim doctrinam tollitur superbia, ædificatur humilitas, accendi-*

cenditur in Deum ardor & reverentia: Est ea doctrina divinis fundata scripturis. Sed video, VVitembergensium conclusiones, qui dictam propositionem in sensu composito, & de benefaciente, quoad præsentem actum, intelligere videntur: quasi is, qui benefacit, dum benefacit, peccet. Hoc ego aut non intelligo, aut mentem scribentium non colligo. Videtur enim esse planè insipida, & quæ implicet; sicuti alio loco latius attingimus. Satius esset ab hujusmodi captiosis propositionibus, quæ in fallacias Sophisticas incidunt, abstinere, easq;, quæ sapientiā præstant, consectari doctrinas. Adserit porrò in suis conclusionibus Carolstadius, vir doctus, & integer, ut puto (si amor sui homini non imponat) *literalem sensū dici non posse, qui ex sola intentione colligatur, non etiam ex verbi significatu: Et deniq;, non dici expressum, quod ex intentione, loquentis appareat, cum alijs id genus. Sed errare eum, nisi sese declaret, omne jus nostrum declamat, & est contra eum Hilarius, cujus verba recitantur in* Can. Intellig. de *verb. signific.* De quo tamen alibi plura. Tandem Lutherus in novissimo suo libello fundamenta

non-

nonnulla tractet, quibus probari putat, *Papam de jure divino, non esse Universalem Episcopum*, quod quantum mihi displiceat, non satis proloqui possum. Primò id contra Divi Leonis, aliorúmque Pontificum decreta pugnat, quæ tamen ipse elevat, & tantum non conspuit, tanquam frigidissima, nullo nec jure, nec fundamento. Deinde, si dederimus, vera esse quæ scribit; quæ tamen vera non puto; ut alibi latissimè confutaturi (est enim Principatus hic, actio, omnibus competens) quid attinet in talibus sese fatigare, in quibus nec fructus inest; & insuper plena veneni res? *Videre est, quàm sit misera conditio hominis: Ut tam facile cadat; facile declinet, qui tam eleganter & stetit, & stare potuit: Quanti periculi sit acrior concertatio; res hæc evidenti est argumento.* Vincendi pertinacia, nescia loco concedere, quid non perniciei adferat? Eccium subvertere pergunt Wittembergenses, etiam ubi bene sentit, & sese paulò minus confodiunt. Quantæ securitatis est, humilem esse, non alta sentire, pertinacius non obniti? Cedere potius, ubi vincere posses, quàm ad victoriam niti cum interitu? Super quem requiescet Spiri-

Spiritus Domini, niſi ſuper humilem & quietum? Utinam ſit probus quiſpiam, qui Lutherum comoveat, ne ita excurrat; ſed modeſtiam, quam ubique tantiſper laudat, teneat: Auro ſuo ſcoriam non miſceat, tunc eum Heliam, & ſi quid amplius ſit, nominabimus. *Vale, & Vadiano, Frygijs, Myconio, alijsque, ſi qui ſint, qui literarum ſtudia purè & eruditè ſequantur, ſalutem dicere memineris. Johanni Frygio ſcribere non potui, viro optimo & mihi amiciſſimo, luctus enim & mæror, obitu dilectiſſimæ meæ uxoris & inſuper nepotis mei, infantis virtute & doctrina ſuſpiciendi, me obvertunt, ut vix mihi conſtem. Deferrebit tamen, ut confido, Deo adjuvante, doloris vehementia.* Reſpondit ad prolixam hanc, varióque argumentorum ϛυναθροισμῷ confertam Epiſtolam, non modò Zuinglius; ſed & alius quidam, Zaſij conterraneus; Vir doctus, qui Wittenbergæ tum morabatur (Thomam Blaurerum, Conſulem poſtea Conſtantienſem fuiſſe, vel ſtylò indice colligo) totámque diſputationem ad duo primaria capita, de bonis operibus, & Papæ Romani authoritate revocat. Quod ipſum etiam Oecolampadij & Zuinglij

glij Epistolis est insertum lib. 1. p. 25. Zuinglij verò responsum αὐτολεξεὶ hactenus inspicere mihi non contigit. ἐπιτόμως verò ad Myconium, familiarissimum suam, Epistola 1520. die 10. Januarij scripta repetitum tale est: *Cùm datur, scribo, ut cùm non detur, súsque déque feras. Hieronymum statueram apud memet Tibi comparare conari: Verùm nolui Te id rescire, donec omnia essent pacta, ut sicubi non processisset, nihil aut minus movereris. Ego omnia Basilea excutiam volumina, ni quid probibeat, & quodcunque rescire dignum putavero, indicabo. Nunc contraham undiq;, ut justam expleam Epistolam. Scripserunt ad me Zasius & Birckheimerus: Hic etiam occupatus muneribus publicis coactus est per impudentiam nostram scribere, quòd scil. ausi sumus hoc petere; amicissimè tamen, ne hoc taceam, scripsit. Ille, ut senex est, continere non potuit, quæ cum eo essent inolita. Lutherum verbis ejus, ut nôsti; Heliam nuncupaveram: Ille, quod Romanum Pontificem agnoscat quidem; sed esse universalem Pontificem, non extare jure divino. jubet*

jubet tantopere temperare ab Heliæ nomine, donec Romanum Pontificem agnoſcat univerſalem: Quod quidem nunquam obtinebit. Nam Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus, jam amplius non moritur: Quòd ſi non moritur, non naſcitur humanitus, neque corporaliter, hoc eſt viſibiliter, habitabit nobiſcum, ut novas leges ſanciat; alioquin nec Chriſtus fuerit. Dixit enim, Novum hoc Teſtamentum æternum futurum. Sed vide, quàm ſumus dediti affectibus! Omnem argumenti vim unica Leonis cujuſdam Pontificis decretali firmat, quam Lutherus tantùm non lacerat. Expectat tamen ſenex noſtrum judicium. Ego, ſicut ad reſpondendum ſum inſtructiſſimus; ſic ſenem turbare cunctantiſſimus, reſcribam tamen. Zaſius interea, excolendæ cum Zuinglio amicitiæ avidiſsimus, alias, metu, ne priores perijſſent, ſcribit, non minus delinificas, ubi pro jure Canonico paulò acerbiùs pugnat, Lutheri interim honorificentiſsimè meminit; Id unum in eo deſiderans, ut ne modeſtiæ limites excederet. Sed & hic nobis captivus eſt liberandus, Epiſtola privatis hactenus

 forulis

forulis inclusa, ab interitu vindicanda. Literas meas(*Zasij verba sunt*) Udalrice doctissime, quas superioribus diebus ad te scripsi, aut non accepisti, quod nollem, aut acceptis indignaris, quod abominor: nihil enim respondes. Indignari autem te vereor eo nomine, quòd non omnia Lutheri mihi placent. At indignari cessabis, si nō omnia ad affectionis, sed ad veritatis libram expenderis. Perpetuus est in viris doctis, nescio an nævus, quòd, si quibus student, plus nimio favere videntur. Ego Lutherum ex animo admiror & suspicio, à quo didici omnia bona accepta referri Deo, tanquam uni effectori. Blandiebar antehac, si quid decoctius ab me exisset. Si plusculum fuit devotiunculæ, si bono aliquo opere, si beneficio, si consilio alium demerebar, cæperat spes, qua me jure velut aliquo, beatas sedes meruisse putabam; fastidiebam, si quos frigidius niti ad potiora existimarem. Ejus, quam ceperam, specula, impostura, securitatem mentiebatur, & pro vivo germanóque fætu, abortivum supposuit. Isto exemptus errore, Lutheri felicissimis præceptis, nihil me aliud quàm instrumentum puto, per quod bonum opus Deus in me faciat, cujus nihil meum sit, nisi labor. Felicem Zasium, qui

in ætate jam confecta hæc didicerim. *Quis edicet, quantum fructus ea ex doctrina erumpat? Primùm, diſco nil altum ſapere, ſed ſemper timere, ne forte Salvator noſter, qui ſuperbis reſiſtit, in boni operis fabrica, me ut inſtrumento uti deſinat: Deinde & humilitatem diſco, ſciens quàm nihil mecum ſit, quod uſquam præclarum ſit, cùm omne datum, optimum, &c. mea autem tantum modò ſint ſcelera, iniquitates, Linguæ offendiculum: ut ſic ulceroſius beato Job mentis mea ſit habitaculum, niſi Deus ſubveniat: Hæc qui credit, qui cogitat, quomodo non ſeſe prorſus contemnat? à ſe diſcedere cupiat? Ad ſolúmque Deum; cui omnia bona tribuat; confugerit? In ore, in labris, in corde hoc ſemper circumferat:* Non nobis Domine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam. *Porrò & tertiò, quas non egero gratias Deo, qui me ſola ſua benignitate delegit, quo, ut inſtrumento, ad boni operis fabricam uteretur? Et item quartò, quomodo non compaſſurus ſim proximo, ſi quem fortè luxuria, faſtu, ſuperbia, perfidia aberrare vi-*

 dero?

dere? Condolens voluntati depravatæ, quæ inſtrumentum boni operis eſſe non meruit: Hinc ſedulitas orandi pro proximo, adfectio ejus ærumnis compatiendi propullulat. Hinc in nobis cautio evigilat, ne noſtra peſſima voluntate abutenens, inſtrumentum pulcherrimi fabricatoris corrumpatur. Hi ſunt fructus (ut interim multos alios taceam quos nec Epiſtolare compendium recipit) hi proventus Lutherianæ doctrinæ. Quid ergo? num omnia ſua, in quibus fortè ut homo labitur, probare debeo? Hieronymum ita lego, ut non omnia probem; imò nonnulla deteſter, in quibus plus nimio incaleſcit, alios confutaturus. Denique, niſi neceſsitas inevitata magnum illum Paulum alteram fidei columnam, urſiſſet, ut ad Corinthios tantopere ſe laudaret, gloriaretúrque, Evangelium ſuum cum Apoſtolis contuliſſe, nihil autem ab eis accepiſſe, &c. niſi inquam, rerum conditione coactus, hoc feciſſet, parùm mihi ea arrogatio probaretur. Sed piaculum eſto, quiſquis de electionis vaſe ſiniſtrè ſentiat. Martinus Lutherus Pontificum Decreta frigidiſsima vocat. Quòd ſi ita eſt; jam totum jus Canonicum frigidiſsimis nititur ſcitis. Non enim ulla redderetur variandi ratio, cur hoc decre-

tum

tum frigidum ſit, aliud non ſit, omnia enim decreta pariter, omnia parium authoritate Pontificum decreta. Hæc quis æquo audiat animo? Attentare, adfricare, & paulo minus ſubvertere velle juris Canonici Majeſtatem? Jam & nulla juſta ratione movetur, ſi per omnia ſua eo loci diſcurras, quo ſuper Eccleſiaſtica poteſtate ſcripſit. Rationes enim, quibus movetur, non ſunt refutatu difficiles, quas & confutare velle ſæpe conſilium capio, niſi me vehemens in bonum virum amor, ſevocaret: Veréque, ne ſub prætextu, ſub umbra boni propoſiti, temeraria, licentioſáque irreperet verboſitas, quæ Deo non probaretur. *Omnes, quiquì vivimus, miſeri ſumus & miſerabiles, ulceribus pleni, eo ſolo felices,* dum cognoſcimus nos eſſe infelices. At & id ipſum donum Dei eſt. Quid ergo nos, niſi iniquitatis maſſa? ſemivivi, vulnerati à latronibus Hierichuntis. Sed quorſum hæc? Nempe, ut Tu vir humaniſsime, quem fauſto eventu amicum nactus ſum, non facile contra me movereris, aut me vel inconſtantiæ, vel certè frigidi in Lutherum amoris inſimulares; quando nihil eſt mihi Luthero probatius, niſi quòd ex Epicteti ſententia, cùm hominem probo, cùm ollam adamo

mo, adamo ut ollam: Hoc si literatorum corona faceret, imaginem personatam tolleret, jam minus esset & certaminis & opinionis. Siquidem veritatem nullius jurati in verba Magistri, impune sequeremur, confutarique ac convelli (dum penè laberentur pedes nostri) tam non ægrè ferremus, ut etiam castigatori gratificaremur. Sed quis est hic, & laudabimus eum? *Budæus, dum eum lucubratiunculis meis in originem juris ad finem in Antinomijs suis confutâssem, eique vicissim contra nitendi non esset locus, mordere perrexit. Nam sub umbra ementitæ laudis, ductu obliquo & figurato in suæ Epistolæ ad me datæ initio os sublinere, & velut ludere conatur. Deinde in calce apertis agit convitijs. Cui ut non amicè responderem, sed pro Germana integritate veteres avias de pulmone refellerem, honoris asserendi necessitas compulit.* Ita dum certamus homines nugivendi, aliquando maxima de nihilo nascitur historia. Vale, & quos tua sodalitas fovet literatos Viros, fac salutes: Inprimis *Johannem & Casparem Frygios,* omnibus charitatis verbis adobrue, ex ijsque *virum optimum & erudi-*

tissi-

tiſſimum, Johannem, quòd ei non ſcribo, lenito. Tot enim mihi ſunt & conſulendi, & ſcribendi negotia, ut vix modica hæc ſim tempori ſuffuratus. *Multos noſtra provincia Lutheranos fovet: Theologos etiam, & inprimis Jacobum, Parochum paganum, virum, ſi quisquam eſt, ſincerum & recti propoſiti, doctúmque, cum quo, quando nimis Lutheraſſit, ſæpe ad amicitiæ modum diſcepto.* Vale amice ſelectiſsime. Ex Fryburgo XV. Kalend. Martij Anno Domini XX. Reſcripſit Zuinglius authorque Zaſio fuit, ut ne Luthero bellum indiceret. Quod conſilium approbâſſe, imò commendâſſe, Zuinglius Myconium latere noluit. *Ne verò* (ita ad Myconium 1520. die 2. April.) *hoc Te conſilium lateat, quod ſibi à nobis datum tantopere commendat Zaſius, ſcito in nupera quadam illum Epiſtola ad nos ſcripſiſſe, ita ſe animatum, ut adverſus Lutherum de poteſtate Pontificia non poſſit non ſcribere, quòd is ſacrorum* CANONUM *Majeſtatem (en Tibi juris peritum in factionem ſuam juratum) flocci facere ſit auſus. Ego hominem non tantùm de-*

hortatus sum, verùm, cum quadam tamen modestia, deterrui, jubens, ut vel hoc unicum spectaret; Lutherum, etsi modestiam quandoque desiderem in illo. Pontifices tamen, si pergant perpetuò esse mali, sua traductione, suorúmque scelerum libera censura, olim absterriturum ab illis, verecundiámque incussurum. Hujus inquam consilij gratiam habet Zasius. Tanta fuit Zuinglij ingenuitas, tam solicita pro Evangelij progressibus cura, ut etiam, contra tam ætate gravem, quàm meritis turgidum, adeóque nonnihil difficiliorem, Jurisconsultorum Antesignanum, ausus fuerit Lutheri suscipere patrocinium. Plura comercij Epistolici κειμήλια Zuinglio-Zasiana non habeo; quæ Zasio posthac cum Ambrosio Blaurero intercesserunt, de religione, διὰ μέλανος, colloquia, illa, suo loco, σὺν θεῷ, excutiemus. Morosior in dies, juri Canonico diu nimis incoctus, Friburgensis Antecessor, pro receptis consuetudinibus, suísque aris pugnavit maximè: illud verò in Reformatoribus dissimulare non poterat, quòd Christianam humilitatem, ὀϱχησμῷ diu satis per Monachos proscriptam, paulatim illi felicitérque revocârint. Unum adhuc, ali-

qua

qua fortè cum Juriſconſultorum gratia, præſtari à nobis poſſet. Meminit Zaſius ſuperiori Epiſtola, λογομαχίας inter ſe & Budæum, quo ſtellionatus ille odioſiùs accuſatus, maſculè ſe defendit. Apologiam Zaſianam tantò libentius ex archivo promimus, quantò & majorem lucem ſuperioris ſeculi Hiſtoriæ illa affert, & ipſe Zaſius luculentius παντοδαπῆς eruditionis in eadem dedit ſpecimen. Λείψανα hæc, non ſalva tantùm religione, erui poſſunt; ſed magno cum rei literariæ compendio eruderari. Audiamus ergo celeberrimum illum veteranum ἀπολογούμενον. *Vdalricus Zaſius Legum Doctor Fryburgenſis, Guilhelmo Budæo, Parrhyſienſi Secretario Regio,* S. P. D. Offenſo Te animo noſtras excipere lucubrationes Budee, ex literis Tuis ſatis colligo. In quibus tamen duplici me via, homo in Rhetoricis enutritus artificijs videris appetere. Siquidem in capite, tecta ſub comitatis facie, amaritudine, deinde apertis mecum egiſti convitijs. Ad utraque Tibi vel graſſantis calamitate peſtis circumſeptus, reſpondere tamen volui. In *priori*, acrium me hominum more feciſſe ſcribis, *eóque nomine eſſe, quod mihi gratias agas, qui crimini me & liti*

 oppo-

opponendum duxerim, si juris civilis vel dignatio, ob sceleratas Tuas annotationes (ita enim nominas) *imminuta sit, ne in famoso, ignominiosoque reatu, eam scientiam destituerem aut proderem, quando patrocinio orbata tot annos civilis disciplina flagitare suæ dignitatis assertorem vel me, vel alium singularis & multiplicis scientiæ hominem videretur, &c.* Quid aliud hæc tectoria, quàm Ironiam, & quidem amaram indicant? Figuratóque ductu fabricata vel os oblinere, vel ludere aggrediuntur? Pervolve, Budee, omnes laborculi mei angulos, *si unicum vel verbum, vel notam invenias, quæ juris nostri disciplinas ex Tuis vel Antinomijs, vel in Accursi familiam invectionibus, ignominioso premi reatu causentur.* Quid ergo super patrocinio vel meo, vel alterius moves Tragædias? Antinomiæ Tuæ civilis scientiæ majestatem, nec minuunt, nec fædant. Siquidem Tibi id ipsum conaturo nemo subscripsisset, quando nec Tu, nec alij Tui *ordinis eloquentiæ nomine insignes* eo in albo estis, ut tantam scientiæ eminentiam præjudicio ullo premereris. Hoc me anxit,

quòd

quòd ex Tuis Antinomijs juvenes, ejus rei inſueti, à ſtudijs retrahi poſſe legalibus ſubverebar. Cùm ergo nulli me tali crimini oppoſuerim, quod Tu magno verborum paratu vociferaris, conſequens eſt, Tibi non tam mei laudandi, quàm ludendi, fuiſſe conſilium. Cui conjecturæ vel hoc accedit, quòd mihi obliquè impingis, *quaſi ſceleratas Tuas putem annotationes, quod nunquam vel cogitavi*, nedum non dixi, niſi Tu ipſe eas ſceleratas putes: Cujus rei Tuum eſto arbitrium. Mea tamen non refert vel ludes, vel laudas, quando nihil criſtæ nec ſurgit laudato, nec vituperato ſubmittitur. Subfricas deinde artificioſa quadam vafricie, quaſi ſatis animadverterim, *te crimen fateri temeritatis*, quòd conceptis verbis non ſemel in alijs Tuis ſcriptis errorem teſtatus ſis, & inſuper nonnulla, neſcio quæ, rettâctaris. Equidem, exceptis annotationibus (quæ tantùm deſultoriè, perque modica quædam capita legimus) *Tua ſcripta, ſi quæ alia ſunt, nec vidi, nec legi.* Quod enim de Aſsis partibus quædam ſcriptitâſſe diceris, nonniſi titulotenus in ſigillaribus venalia conſpexi; *Emere enim non erat conſilium, quando ex guſtu annotatio-*

tationum plus effusæ digressionis, quàm corporis (quæ Tibi sunt ingenij divitiæ) inesse arbitrabar; otioso homini, hujusmodique voluptarium rerum assueto, potiùs quàm actioso accommodus. Nihil itaque Tuarum adverti, si quæ sunt, retractationum, quibus mihi dica scribi posſit: Quasi eum, qui in se animadverteret, contra sententiam Arriani, subvellere perrexissem. Quòd verò conjicis, *sub Valla persona, Te ut Accursomastiga nunc castigari, nunc cæcis pugnis, interdum loris concidi, à veritatis aberras judicio. In Vallam invectus sum, & quidem liberius, quòd Accursi glossas vel totas ita despuit, ut meliores triennio se facturum, homo à solida juris cognitione alienus, jactitârit.* Nec hoc contentus, magna illa omnium propè doctrinarum lumina, Jurisconsultos attentare conatus est, quorum cùm Te neutrum fecisse comperim (suam enim Jurisconsultis laudem intactam, nisi fallor, relinquis: In Accursium autem, *Bartolos & Baldos ita Stylum attemperas, ut vitia eorum non tam ingenijs, quàm ætati accepta retuleris*) cur Te cæcis vel pugnis vel loris concidissem? Quòd si ulla in re, Te oppugnare

menti

menti ſediſſet, aperto id Marte, *ſicuti in Antinomijs Tuis confutandis fecimus*; non cæcis pugnis egiſſem. *Nec enim ita mihi metuendus eras vel auctoritate, vel doctrina, quòd ex cuniculis niti neceſſe putârim.* Denique ex latebris dimicare, mutare clypeos, tectóſque per herbam enſes diſponere non didici. Proinde, ſi aliarum Gentium noveris (ne Gallos dicam) cæcis fugacibúſque telis cernere bello, *diſce, Germanorum eſſe in faciem congredi.*

Sed jam ad *alteram* Epiſtolæ partem venio. *Eſſe ſcribis, quod loliginem animi malè ad Te affecti ſuboleat, quòd in Commentario Legis Pomponiano contemptim Te & faſtidiosè nominem: Sæpiſſime etiam prævaricabundè nomen Tuum reticeam, & cùm reliquos, usq; ad faſtidium, in cælum feram: Interim tamen, quæ Tua, planè Tibi auferam, non ſine quodam genere ſtellionatus &c.* Calumniaris, Budee, ſupra quàm talem virum, qui Tu eſſe prædicaris, addeceat. Nihil enim ſiniſtri animus meus, nec ad Te, nec ad quemvis alium gerit, quod vel allium ſuboleat, vel loliginem. Ego de Te ita ſum *honorificè locutus, & elegan-*

elegantia candore ad assem formatum hominem, Tuásque annotationes omnifaria eruditione illustres prædicaram; id quod mei operis vel prima frons; nedum Antinomiarum tractatio testatur. Vel doce, Budee, locum, in quo Te contempserim, nisi fortè molestat, quòd in capite quodam mei commentarioli Legum interpretandarum *jus in decisoriis, non esse vel prudentibus scripsi; si desit authoritas. Grammaticas verò eruditorum hominum Interpretationes, ut Politiani, ut Budei, ut cæterorum, recipi & commendari.* Sed quid eo loco vel falsi dixi, vel quod ad contemptum Tui vel respiceret? Eruditorum Te nomine censui, inter Politianos numeravi. Argue, si potes, contemptum! *At observationes Tuas Grammaticas existimavi. Quid poteram verius? Quem enim ex Legum medullis intellectum ultra rei Latinæ annotamenta, excussisti, qui homini negotia decisuro, in lite vel dubia, vel controversa commodet?* Quapropter Te Grammaticorum numero in Annotationum opere, non juris Interpretem, tam non contemptim, quàm verè adscribendum duxi. *Grammatici autem*

tem profeſſio, quàm omnigenam doctrinam exigat, credo ex Suetonio & alijs non ignoras: Ut ita tantum abſim à contemptu Tui; quantum Tu à veri diſtas judicio. Sed Budeum Te alicubi *faſtidiosè* nominâſſe, angit. At ignoravi, delicati & debilis ita Te eſſe ſtomachi, ut nomen Tuum, ſine Gari ſalſamentis faſtidires. Denique ſufficere credebam, Viro ad iſthæc tricula non reſpicienti, quòd alijs in locis verborum pompa Te celebrâſſem. Jam verò, quòd me *prævaricabundè* Tua abſtuliſſe inſimulas, injuria me atroci afficis; & iniquè calumniaris, quam equidem, niſi me modeſtia cohiberet, ex juſtò remetirer. *Quid attinebat abs Te mutuari, quod in ejſdem, quibus Tu, authoribus inveneram? Num, quos Tu libros habes Latinos, & ego habere poteram, cui fortaßis non minor atque Tibi librorum ſupellex & adſit, & ſuppetat? Dic ſodes, bone Vir, quid Tu in Cicerone, Livijs, cæteríſque legiſti, quod non idem vel vorârim, nedum legerim? Vel quid maximopere in Te eſt rei Latinæ, cujus non ipſe quoque, licèt fructu impari, periculum fecerim?*

An

An Tu, qui fonte hauseris, me vel haurire contra Neratij scita prohibeas? Doce Budee, si ullo probabili vel argumento, vel certè conjectura possis, Tua me pravaricabundè suppilâsse; aut si non doces, calumniam fatetor. Infelicem & inopem me, qui levicula isthæc super juris origine pro tyrunculis, ne primo in limine cadant, scriberem, *à Budao Grammatico, ligna suffurari sim coactus.* Quæ, malùm improvidentia est, ne quid gravius dicam, nominis Tui existimationem istis, elevare traducere que nugamentis. Quæ Te male sana obvertit φιλαυτία, ut mutuatum abs Te opineris, siquid ab alijs eruditionis processerit? Quasi nihli usquam doctrinæ, quàm apud Te resideat; sísque gallinæ filius albæ. Non dico hic, quàm impertinenter, ne dicam absurdè, prævaricationis notam in Tuam istam confictam accusationem invehas, quæ certè ad præsentia tam nihil comune habet, quàm nihil convenit graculo cum fidibus. Quam rem si scivisti, cur extraneis criminibus ad boni viri famam subvellendam abuteris? Si ignorâras, cur Te juris cognitorem ostentas? De *mimo* autem, quod subsequeris, ambigua Tua est criminatio. Scribis enim, Tibi

Tibi non eſſe tam torpentes ſenſus, ut mimum me totius libri non perciperes. Dubium, an Tuum putes mimum, an alterius. *Si Tuum putâris, totus in ſenſibus torpes. Tantum enim à mimo Tui operis abſum, ut etiam Te palàm non uno in loco reprehendam. In decem viris litibus judicandis erroris Te manifeſti convici. Antinomias Tuas omnes confutavi & everti: Confutavi autem adeò, ut nullus ſit Tibi contradicendi locus, & me mimum, ſi Dijs placet, tuum putabis, qui reprehenſor ſim? Equidem tales mimos, qui dicta mea ſubverterent, ne treſſe redemero, quos nec ſcena ulla reciperet.* Sin verò mimum aliorum velis authorum, ita non inficior, ut etiam ea de re mihi gloriari poſsim. Doctiſsimorum enim virorum exemplo defendor. Nam quid aliud, ſi illuſtri Johanni Capnioni credimus, Cicero in Philoſophicis fuit, quàm Platonis mimus? Quid aliud Plato, ſi Euſebij teſtimonium conſtiterit, quàm Moſis ſimia, ut interim alios taceam. Affranium enim Tibi non inculco, quando ejus ſententiam ex Macrobio & alijs vulgatam credo. Sicuti itaque præſtantium hujuſmodi virorum mimus eſſe cupio, ita à Tuis quic-

quam usurpare abominor. Sed jam majoris abollæ facinus audiamus. Budeus, Budeus inquam, feroculus iste accusator, non contentus prævaricationis, suppilationisque Zasium postulâsse, nunc super eadem, si Dijs placet, noxa, contra Senatusconsultum & *Stellionatus* crimen objicit: Ita autem objicit, ut sua ipse se accusatione jugulet. Nam præterquam, quod evidenti me calumnia, Budee, fædare pergis, id quod ex superioribus satis patuit, etiam hoc crimen nimis improvidè, ne quid gravius dicam, adduxisti, eo potissimum criminationis genere, in quo stellionatus crimen incidere non poterat. Siquidem nihil mihi unquam Tecum comercij fuit, in quo rem vel alij obligatam, Tibi traderem, vel debitam supprimerem; ullove aut dolo aut crimine, in quo titulus deficeret, Tibi imponerem (hæc enim propemodum sunt, si ignoras; quæ stellionatum faciunt;) cur ergo impertinenti me crimine accusas? Nisi fors aliena aliqua Metaphora Te tueri contendas. At novisse poteras, bonos viros translatitijs usurpationibus non esse criminandos. *Vide Budee, quo indignabunda Te mens seducat. Qui ex nihili suspiciunculis veterum aviarum fabulis vix dignis,*

gnis, in me, quem nec dum noviſti, ater ſim an albus (ecce, quàm hæc eruditis, tempore reformationis, trita fuerit loquendi formula; ut mirum ſit, turbones quosdam propterea ita inſolenter paratragœdiâſſe, & innocentiſsimo Zuinglio, cùm in doctrina Sacramentaria eadem uteretur phraſi parœmiali, inſultâſſe, quæ tamen omnibus propediem Gentibus, Orientalibus etiam, ut alibi oſtendimus, in uſu eſt, *pro homine ignoto, incerto &c.*) *ita ferris inimicè, ut etiam non vereare extraneis me criminibus onerare.* Super eo verò, quòd cauſaris, quoſdam in cælum ſuſtolli laudibus, miror, ſi in minutilis his Te fatigas. Celebrato Tu Gallos, ut voles, ego Germanos, quod ex veritate poſſum, celebrabo. Te Longolius iſte Urbicus tonantem effingat, effingat fulminantem, flammáſque Jovis & ſonitum imitantem olympi. *Me Eraſmus Roterodamus delectat, à quo pendeo, qui utramque paginam in eminentiſsimis quibusque doctrinis ita implet, ut multis paraſangis univerſos noſtræ ætatis viros doctos præcurrat. Et vel cum Ciceronibus collatus gradum teneat; Teneat autem tum felicius, quòd divinarum re-*

rum cognitione illustratus, fidei nostræ causam, si non solus, cum paucis certè à tenebris asserere lucique restituere non cessat. Tandem super Demosthene, nimium excessisse, multórumque criminum instar admisisse Tibi videor, qui Locutulejum vocaverim. Fateor, Budee, risi nonnihil, occurrebátque Persi illud: Pinge duos angues, sacer est locus, ò pueri &c. Quid, per Jovem aliud, si frontis deponas tegumentum, *quàm locutulejus fuit improbus iste Græculus, cujus omnis vis in lingua constitit?* Nec alio nomine vir fortis à nonnullis dictus est, si Plutarchó credimus, *quàm quòd linguâ traditur valuisse, nulla alioquin fortitudine, vel virtute ornatus, impostor, tergiversator, turpiúmque faber consiliorum.* Liceat nobis, Budee, *locutulejos* vocare, quorum ars Linguâ constat; quando Ciceroni fraude non fuit Leguleios, imò & actionum præcones, cantores formularum appellitare, magnos illos Jurisconsultos, à quorum doctrina Urbs stetit & Orbis. Tantùm itaque abest, ut ab ea me appellatione deterreas, ut etiam eloquentiam vel ipsam, nisi nostris alijsque artibus fulciatur, inanis Linguæ artificium, cæcum

cum judicij, temerarium, inſolentem, & veluti furibundi gladium ſim cenſiturus. Sed jam tandem jurgij finis eſto. Dabis hoc, Budee, vulnerato, quòd honoris famæque cauſam aſſeruerim, cùm, pro Juriſconſulti ſententia, *bonis viris exiſtimationis potiùs quàm mortis deprecanda ratio haberi debeat.* Tólle, vir docte, perſonæ tectoria, rémque ipſam ex re, hominem ex homine expendito: Crediderim, ſi modò ulla ſit Tibi dexteritas (ſicuti multa eſſe prædicatur) aliam de me atque feceris, vel proprio calculo rationem ſis ſubducturus. Proinde legem amneſtiæ, quam offers, eo certè nomine amplector, quòd ſiniſtræ opinionis labem, ex animo Te eluturum confidam. Vale, ex Fryburgo Briſgaudiæ Kalend. Septem. 1519. Sed è diverticulo in viam, & in

Haſſia HASSIA quidem fulgentiſsimum Reipublicæ Chriſtianæ ſidus, Heros incomparabilis, *Philippus* magnanimus, Zuinglio, nec gratiam tanto Principe dignam negavit, nec familiariſsimum per literas colloquium, nec ſuum denique in doctrina Euchariſtica conſenſum. Miſsis illis, quæ ex Bibliopolijs cuilibet eſſe poſſunt obvia; ea in lucem & aſpectum omnium producemus, quæ aliunde quàm ex ipſis fontibus hauriri non poſ-

ſunt, nec certiora, quàm ex Archetypis noſtris expecta Anno 1529. feria 5. poſt Jubilate, Sereniſsimus Princeps; literis Zuinglio conſilium ſuum de convocandis in locum cōmodum Theologis primarijs Luthero, Melanchthone; alijs item, qui cum Zuinglio facerent; aperuit, an fortè Deo diſsidentes partes ex ſacra Scriptura componere, adeòque pacem utrinque largiri placere. Pontificios enim, in comitijs, quibus tum intererat, Spirenſibus, nihil ſubſidij ad defenſionem corruptæ & ſcandali pleniſsimæ ſuæ habere vitæ, quàm quòd, qui ex Verbo Dei omnia probata vellent & confirmata, in capitum fidei explicatione adeò manifeſtè diſcreparent: Cæteroquin rem facilè ad nutum ſucceſſuram, & pueriles illas crepundiorum nugas ſpontè caſuras. Inſtat igitur denuo, generoſum pectus, ut tempore & loco condictis compareat, negotium promoveat, quò tandem aliquando optata obtineri poſſet concordia. Zuinglij præſentiam per alios etiam urſit, ſolicitavitque, & quidem rationibus graviſsimis inſtructus, omnia tentavit, ne Zuinglius abeſſet. De colloquij eventu ſuo tempore, σὺν θεῷ, agetur. Poſt dimiſſum conventum adeò nihil remiſit Sereniſsimi Principis gratia, ut non ſine

ſine cæterorum invidia creverit. Illud etiamnum ſolatio noſtris ſit, quòd tanti Principis judicio, à tam pernicioſi ſchiſmatis reatu ſint im̃unes. Verè ἀξιομνημονεύτως loquitur, non longè poſt colloquium, ſua ad Zuinglium οἰκεία χειρὶ, datâ Epiſtolâ: Lieber Meiſter Vrich/ ich hab Euer ſchreyben wol verſtanden/ vnd es iſt fürwahr nit weniger/ Luther vnd Melanchthon haben zuviel gethan/ daß ſie ſolche trennung anrichten / vnd es iſt mir je vnd allweg zuwider geweſen: Ich habs auch genugſam angezeygt / vnd gründ auß der Schrifft/ vnd auch auß menſchlichen vrſachen dermaſſen dargethan/ daß man̄ mir mit keiner beſtändigen antwort die zuwiderlegen gewüßt: Es hat aber nit wollen gehort ſeyn/ was ich geſagt/ vnd gebätten auff das höchſt hab: Welches ich muß Gott befehlen. Ihr dürfft aber nit zweyflen an mir (ob Gott will) ich will bey der warheit beſtändig bleiben/ vnd darum weder Papſt/ Keyſer/ oder Luther/ oder Melanchthon darinn anſehen. Hoffe auch mit der zeyt die übrigen mißbräuch in beſſerung zubringen. Diß wolt ich euch/ getrewer meinung/ mein gemüth deſto bas zuvernem̃en/ vnangezeygt nit laſſen. Mein begehr iſt/ ſchreibet mir die predig / die ihr thatet zu Marpurg / der vorſehung Gottes halber. Deßgleichen eweren verſtand in dem wort Pauli zu den

 Corin-

Corintheren am elfften: nämlich / darmit daß ihr nit underscheldet den leib deß Herren; und machts klar. Plura sunt in promtu magni Principis documenta, quæ alia opportuniùs occasione poterunt comunicari. Illud certum est, jam ante colloquium, Zuinglij authoritatem in Aula Hassiaca magnam fuisse. Dubitare nos non sinit *Johannes Frumentarius*, qui an. Chr. 1527. ita ad Zuinglium Marpurgo: Nihil hoc tempore magis auribus Clementissimi Principis mei, à plerisque alijs Ducibus, & Principibus, amicis & agnatis ejus obtruditur, quàm, Lutherum brevi ad nundinas Francofordienses, contra Tuam & aliorum de Eucharistia sententiam, librum, quàm seriosè ac graviter editurum, in quo omnem Tuam de hac re sententiam extirpare & eradicare totis viribus conetur. *Nec hoc Te latere volui, Principem & Dominum meum à suis æqualibus inter jocandum quotidie Zuinglianum, Te verò terrenum ejus Idolum nominari.* Neque verò Zuinglio vel blandiri, ὁ μέγας, vel domi tantùm securus, nostris favere voluit. Ubi fidei publica erat ratio reddenda, constans semper perstitit, &, sui similis, fortiter egit. Ex Augustanis comitijs, Bucerus

rus Zuinglium monuit, *Cattum idoneum gloriæ Christi organum, animosè scil. & religiosè fidem suam confiteri, & confessum esse, & coram Cæsare & coram alijs.* De Theologi cujusdam pusillanimitate graviter ipse apud Zuinglium questus erat Philippus, quod Mandrabuli in morem procederet, causam Evangelicam tepidè & trepidè ageret, quo sine, procul dubio, inter Zuinglium & Lutherum facilius convenisset. Sed & Oecolampadius de Heroico Principis in Comitijs Augustanis animo, Christiana παῤῥησίᾳ, aperta Confessione, scripsit ad Zuinglium: *Porrò Candidus ille noster* (scis enim Landgravium insinuari) *sua constantia plus quàm heroica, hoc est, verè Christiana, meretur profectò, ut à nostris sanctiùs observetur.* Et alia Epistola. *Lambertus in Hessis, & multi alij palàm nobiscum sentiunt. Landgravius quoque ipse cum Cancellario. Hæc, & id genus Bucerus mihi communicans Tibi significari jussit.* Quanquam non defuerint, qui principijs obstare parati, tragædias excitârint, de quibus *Hartmannus Ybach*, Marpurgensis Ecclesiæ Minister, ad Dionysium Melandrum, Ecclesiasten Francofurtensem an.

Chr. 1530. Scripſiſſem jam dudum ad venerabilem Tuam, optime Dionyſi, charitatem, niſi veritus fuiſſem aures Tuas inamænis Tragœdiæ noſtræ nugis contriſtare. Nunc, cum ſpes adfulſerit ſatis magnifica, Comœdiam magis, quàm Tragœdiam à nobis hic ludi, non poſſum hujus Te ſpei mecum non participem facere, *Qui Lutheranas apud nos partes in re Sacramentaria tuentur, nihil priſtinæ tumultuandi, ac omnia Satanæ tradendi conſuetudinis remiſerunt, etiam poſt convocationem Marpurgenſem &c. Equidem ſummum illud Chriſtianæ doctrinæ non tam argumentum, quàm fundamentum: Sola ſcilicet nos fide juſtificari, & in externis ſalutem non conſtare, pro tenuitate gratiæ mihi collatæ diligentiſſimè tracto, nihil alioqui maledicis meis reluctans.* Nam video, oculos aperiente Chriſto, nihil omnino opus eſſe, ut carnalem Chriſti in pane & vino præſentiam fortioribus telis oppugnemus, quàm hac conſtanti fidei juſtificatricis prædicatione, apud imperitam præſertim multitudinem, quæ ex Papalibus inſtitutis de Cœna Chriſti nihil didicit, aut novit, quàm Chriſtum carnaliter ex prolatione verborum præſen-

rem

tem fieri: Facile quippe credituri ſunt, quo pacto Chriſtus ſuis in Cœna velit adeſſe, qui jam uſum ac fructum Cœnæ verum à fidei ſinceritate perdidicerunt. Ad hanc meam modeſtiam, quâ ſperavi adverſariorum animos nonnihil poſſe miteſcere, potiùs exacerbari magíſque indurari vidi. Cùm enim ſemel externa illa tueri in animum induxerunt, non verentur adverſus fidei juſtificationem, quàm & ipſi profiteri debuerunt, graſſari. Miror autem apud me ſæpiſsime, quî fiat, *ut tantis Viris tam profundus in rebus divinis ſomnus obrepere poſſit, ut ex inſignibus gratiæ præconibus, tam repentè in operum exactores ſint mutati.* Sed hæc eſt hora Satanæ, & poteſtas tenebrarum, quibus adeò comprehenſi ſunt, qui inter nos columnæ videntur, ut nuper die Natalitij Chriſtiani dum cœnam ageremus Marpurgi, noluerint ex manibus meis calicem Chriſti bibere, ut ſcil. coram univerſa Eccleſia me hæreticum, & Sacramentorum, ut vocant, adminiſtratione, indignum traducerent ac declararent. Sed quum diligentibus Deum omnium in bonum cooperentur, factum eſt, ut me Chriſtianum potiùs, ſe ſe verò Chriſtianæ pietatis contemptores, & charitatis fraternæ violatores hoc pacto declara-

claraverint. Nam ex hoc velut ungue totum, quod ajunt, leonem jam æstimantes, non solùm omnes, qui in Ecclesia nostra Christum acceperunt; verùm etiam Princeps noster longè pientissimus, cæperúntque jam carnalis hujus, imò cruenti sensus fructum olfacere. Proinde spes est, Hessiam nostram, ut nihil durius dicam, Luther-Evangelicam hactenus, melius posthac audituram. Nam plerosque jam revocat viros bonos & eruditos Princeps, quos Lutheri Zelus fugârat, sinítque, imò jubet officio suo fungi. *Rectè sapit hac in re Princeps, ac totus jam noster, imò Christi est. Egit autem biduo inter Adamum, Schnepfium & me, utrisque interdicens carnalis præsentiæ in pane & vino mentionem.* Utinam etiam illi sint tam facilè, quàm ego, Principis, imò Episcopi nostri monitis obtemperaturi! Ad privatum colloquium admissum me, comonuit, ut cum mansuetudine, ut hactenus, Cœnæ usum paulatim doceam; se etiam spiritualioris sensus jam asseclam esse, *nisi quòd adhuc nonnihil in clausulis,* Non dijudicans corpus Domini, *hæreat.* Dixit etiam, sese optare, ut Doctorum aliquis apertè è Bibliorum sacrorum textu hanc adfirmationem, Hoc est corpus meum, expo-

exponeret. *Quamobrem velim Zuinglium noſtrum, Oecolampadium vel Bucerum hunc Principis vacillatiunculam ſcire, ut literis aliquando mederentur nobiſcum.* Sed, quod ſupra monuimus, ipſe hac de re Sereniſsimus Princeps Zuinglium conſuluit.

LINDAVIA, jam ante Reformationem, Zuinglio Glaronenſium Paſtori, non obſcura ſingularis humanitatis, & benevolentiæ eximiæ dedit documenta. Anno 1517. M. *Sigiſmundus Roilein*, Brigantinus, Lindavienſis Vicarius amicitiæ cum Zuinglio redintegrandæ fervorem celare non potuit, occaſione cumprimis comendationis, memoriam ei ſuam refricare operæ pretium duxit: *Ne, vir optime, nominis mei quondam familiarium Tuorum albo conſcripti, obliviſci daretur occaſio, has (minutiſſimas licet) literulas præſentium latori Tibi præſentandas commiſi. Vellem profectò, ſemel opportunitas ſeſe offerret, ut Glareanis ædibus præſens, præſentem Te quoque poſſem & alloqui & videre. Sed præſtabit forſan una dies, quod centum negant.* Cæterùm, Heros dilecte, *ſi forſan lator harum Tua ope indiguerit, non deneges, iterum atque iterum*

Lindavia.

iterum rogito: Homo namque est, & vita & moribus integer; doctrina quoque non vulgaris &c. Fuit hic *Sigismundus Rubellus*, sive *Rotlein*, tuba & buccina eruditionis Zuinglianæ, quam qualibet occasione innotescere voluit, & vagari per ora virûm. Id quod tum ex illa *Urbani Regij* patet Epistola, quam suprà jam recitavimus; tum ex alia ejusdem *Regij* Lindoviæ scripta, quæ & ipsa evidentibus se amoris & observantiæ cōmendat characteribus. Audiamus igitur *Regium* tam egregiè de ratione illius temporis disserentem, tum amorem Zuinglio & observantiam testantem. *Nihil scripsi ad Te hoc biennio Udalriche charissime, id quod nolim vel oblivioni adscribi, vel negligentiæ; tametsi procrastinator sim maximus. Quid igitur siluisti, inquies? Institueram Turregum visere, ut aliquando patronos meos adirem toties peramicè invitatus, sicque viva Epistola rem omnem coràm melius transacturum me sperabam. Verùm sors rerum mearum vocabat aliorsum, feliciùs tamen jungor Tibi, quàm illi ipsi, quibus intueri Te quotidie licet, nempe animo pio veréque amico:* Non enim

enim dies ulla illuceſcit, qua non Tibi Chriſti gratiam augeri ex animo cupiam. Quo putas jubilo exultârunt Evangelij adſertores, cùm Tu nuper Pſeudapoſtolos cum ſuo Anania, pariete dealbato, Paulino ſpiritu es adortus, deuteroſes conculcâſti, facti rationem piè doctéque ſic reddidiſti, ut Antichriſti ſatellites nihil jam poſsint aliud, quàm frendere: *Hac de re cùm diebus ſuperioribus commentaremur Tui amici, aderat & Sigiſmundus Rubellus. Inſinuari Tibi petijt vir perhumanus, qui Tibi has reddidit, huic quicquid impenderis humanitatis, mihi cæteríſque piè ſtudioſis impendiſti, eóque pede, quo cæpiſti, pergito:* Qui hunc Tibi dedit Spiritum Chriſtus, idem provehet. Quod noſtrum eſt, precibus aſsiduis inſtabimus, ne in vanum cucurriſſe videare. Quæ ego tulerim ob Evangelium, ex Oecolampadij factis intellexiſti, & cum per negotia licuerit, uberius ſcribam. Vale renaſcentis Theologiæ Decus. Ex Lindovv 16. Julij.

LIGNIACENSIBUS, & SILEſijs primam, ut vel ſalutandi officium Zuinglio præſtarent, inſediſſe curam, ex literis *Simprechti Sarg*, Typographi Ligniacenſis, colli-

Sileſia.

colligo, cui Francofurtum abituro à multis Silesijs fuit injunctum, ut Zuinglium adiret, corúmque nomine salutem ei nunciaret; quod cùm per itineris ambages exequi non posset διὰ στόματος, compensavit illud διὰ μέλανος d. 17. Septemb. 52. Sed & literas, gratissimas sine dubio, à Zuinglio rediturus solicitat. Nec verò ijs tantùm, quorum nomine officiosissimam nunciarat salutem, placere Zuinglium; sed & ipsi Principi, idem facit. Et sanè, non præcipitis fuit consilij, quòd, cùm in vicinia *Serenissimus Princeps* haberet, quos novo suo præficeret Gymnasio, ex Helveria tamen eos accersere maluit; qua de re *Oecolampad.* ad Zuingl. *Fabianum hunc, virum doctum & pium, à Christianissimo Ligniacensium Duce, ad nos missum, ea, qua soles verè fratres, humanitate excipies, & commendatum habebis. Desiderat Princeps ejus eruditos quospiam, eósque insignes, ut sint Gymnasij, quod instituere illic decrevit, moderatores. Ad me nominatim scribere dignatus est, quo major huic fides habeatur. Equidem nullos hîc indicare potui, qui aut velint, aut possint tantam*

subire

ſubire provinciam. Fortaſſis iſthic, ut major proventus eſt, erit voti compos. Tu circumſpicies, quos indicare poſſis. Tam fidelibus enim fratribus, ubi licuerit, morem non gerere, in charitatem peccatum foret.

MEMMINGENSIS Eccleſia Zuinglij fidem adeò exploratè habuit perſpectam, ut Miniſterio per eum proſpici ſuo voluerit: Qui verò publico ibi fungebantur munere, nihil non Reformatoris curæ & prudentiæ comiſerunt. Prioris veſtigia ſolicitudinis & amoris extant in Epiſtola *Capitonis* ad Zuinglium noſtrum reſponſoria d. 19. April. 1529. *Quòd Senatus Memmingenſis, virum doctum & prudentem requirat, gaudeo. Ventres enim ignavi ſpem in herba veluti enecant ſuis intempeſtivis ſimulationibus. Sed talium virorum rariſſimus proventus eſt. Quotus enim quisque cum pietate, comparatam lectione multíſq; experimentis eruditionemo cnjunxit:* Unum duntaxat Zuinglium Tigurum habet. *Quod verò me illis ceu talem deſignâris, ſuaviter riſi, quòd ſciam, quàm nôris meam ſimplicitatem, quæ morbis continuis magis atq; magis obſcuratur: quanquam fortaſſis interim*

Mem-minga.

quadam pro hujus Reipublicæ modo tacitus prævideam, tanquam qui mores istorum domesticè pernôrim, quos probitas hoc tempore hostes habet acerrimos. Neque aliud *ambio, quàm prodesse, paratus quolibet locorum commigrare.* Verùm, mihi videor sine contumelia Christi hanc nostram Ecclesiam, me deserere non posse, præsertim cùm se minæ aperiant eorum, quos hactenus occultos osores, tulimus. *Audis, opinor, prolixè, quid pariant turgidi dudum mystagogi: Proinde gratiam Tibi habeo, quòd mei memineris, ubi deliberatio super viro probo incidit. Jacobum Otterum brevi mittemus, virunculum cordatum, & solidè pium, illius opera uti poteris aut Salodori, vel Memmingæ.* Nam Mantellus, venerabilis senex, si ducem Veibi dederis gnarum, comitem præstabit sequacem ac fidelem. Latent apud nos pectora constantissima, & tamen vix ausim illis tanta initio concredere, etsi non dubitem, inauguratos ali ubi nullius, etsi magnificam, spem esse falsuros. *Tu circumspice, an uspiam supersit locus mediocribus, sed pietate confirmatis ingenijs. Ad Memmingam fortassis auderem*

derem aliquem talium intrepidè abmandare; qui Simpertum ſuſpiceret in cæteris, licèt non inferiorem. Non ingratus fuit Simpertus (Vogtius, niſi fallor) Memmingenſibus, quem aliò illi vocatum, ſerio ſunt revocare anniſi. *Johannes Gebentinger*, Sangallenſis ad Zuinglium: Die von Memmingen ſtellen wider nach Simperto. Dann die Gemeind will ſchlechtlich die warheit / vnd das Gotts wort haben/vnd hand haben. *Poſterioris* illuſtre documentum ſupereſſe voluit *Chriſtophorus Sertorius*, Memmingenſium Miniſter an. Chr. 1525. Totam ab oblivione vindicare placet ejus ad Zuinglium Epiſtolam familiarem, quę ita ſonat: In Chriſto pacem & ſalutem: *Binas ad Te, fratrem meum candidiſſimum, ſuperioribus diebus tradidi literulas, quibus ut potui, Tuis in me effuſis munuſculis, gratum pro Tua munificentia oſtendi me; ſed & fraternam piámq; abs Te illic, de quorundam capitum jam jam paſſim emergentium implicitis nodulis, petieram reſolutionem; utpote* Euchariſtiæ veritate, atque rei continentia, quo nonnihil inter Te, Lutherúmque diſcriminis adparet multis, de Baptiſmi uſu, quo ſimiliter per diametrum à Tua adſertione D. Balthaſar

 apertè

apertè distat: denuo lapidem de imaginum statuarúmque demolitione, diversum abs Te atque Carolstadio agitari, plurimi suspicantur. *Verùm summis adeóque varijs negotiorum Te agitatum procellis, neutiquam dubitârim, unde non est, ut Tibi, Clarissimo viro uspiam succenseam: Imò potiùs, quòd Tuarum me lucubrationum participem reddidisti, mi Huldrice, commentarium de vera falsáque religione transmittens, laudem Deo, Tibi confratri unicè gratiam habeo amplissimam. Et multis Tecum ut hoc agam, imò obtundam virum alioquin in rebus Christianis occupatissimum, non est scribendi locus aut tempus, adeò & nos, quantumvis parvuli, creberrimis obruimur periculis*; Evangelij doctrinam, crucis verbum, nedum Ministri à Deo Legati; sed & plebs infima hominis viam sulcantes, extremis viribus, at sinistris, simul iniquis armis (*de rusticorum seditione loqui videtur*) jam jam in unum, quo nescio Spiritu, coeuntes, fovere, tueri, atque manu tenere passim satagunt. *Audientes enim, atque scientes se ipsos, proavos*, denique posteros gentili ritu, ac judaica hypocrisi,

præter

præter modum in diſpendium & animæ, & rerum omnium deluſos, extenuatos, onere ac jugo iniquo oppreſſos, & quaſi in ventum miſerè datos, animo in ea ſervitute vivere omnino nolunt, onera Chriſtiano indigna ferre renuunt, ſervire dijs, ut eſt in proverbio, alienis reſpuunt, voce una omnes clamant, *reclamant, ſua potiùs quærentes. Et ut eſt hominum genus, pravum atque iniquum, Deo oportebat magis, quàm homini obedire. Magiſtratibus item reclamantibus, & Præpoſitis, Sanctiſſimo, ſcil. præcellentiſſimis, atque ipſorum Ducibus, hominibus ſcilicet Chriſtum & manibus & pedibus impugnantibus, etiam in omnibus obtemperare debere.* Jam tandem in ancipiti re pendente, nec Evangelium, nec pietatem, nec æquitatem denique illam præ ſe ferunt, ſed feroci animo armis alterutrum in ſeſe digladiant ſanguinolentis: *Hinc caſtra, Monaſteria domóſque exteras metentes, atque ſpoliantes, bona quæque diripiunt: Illinc pagos, villas ac viculos incendio perimunt; ſcilicet juſtitiæ prætextu vindicantes ſeſe absque habena ullo moderamine, atque manſuetudine Spiritus.* Hoc malum poſtquam ſerpere dixiſſet

 per

per Bavariam, Palatinatum, Franconiam, agrum Wirtenbergicum, ipsas quoque Civitates; subjecit: *Breviter, commixta, confusáque sunt omnia. Hinc timor, dolor, mæror, & tremor, angustia, ac tota tribulatio. Etsi dies calamitatis & miseriæ, dies apud impios tenebrarum & caliginis, dies Domini succensa quasi caminus, ut clamare & ululare ipse quoque possim cum Propheta:* Aspiciamus in eam, & ecce tenebræ, ululatus. *At meritò isthæc, majoráque justè patimur, peccavimus enim insigniter, Deum & hominem justum, Dei verbum, Christi Jesu Evangelium atque doctrinam sanam, sinistrè impatientésque amplectentes. Restat, mi Huldrice, fusis è corde lachrymulis, apud Deum misericordiarum, & totius consolationis Patrem, indulgentiam quæramus, ne scilicet cum Sodoma & Gomorra increduli pereamus omnes. Bis tecum, nacto otiolo, ludere placuit; ut vel nobiscum commiseratus mala, quibus sumus circumdati, ut parturientes,* deplores cum Tua jam renata Ecclesia, atque nos mœstos, anxios, cæcitatísque caligine percussos, Tu, miles Christi, strenuè,

ac minifter fidelifsimus cum Tuo Leone manfuetifsimo, confratre noftro candido aliquid, & quidem ocyus, literarum munimentis lætificares, confolareris; Denique in vias Domini, Scripturæ luce, qua tactus es, errantes oves reduceres.

MOGUNTIAM, fecundo Rheno, delati, *Hedionem*, Moguntinum jam concionatorem habemus, aliófque, qui Zuinglij conatus probant, ad profequendum inftitutum eum excitant, faciem rei Evangelicæ depingunt, alijsque oftendunt documentis, fe Zuinglio multum tribuere. Et prima quidem *Hedionis* Epiftola, jam an. Chr. 1520. fcripta talis eft: *Tametfi longè à Te abfum chariſsime Zuingli, volo tamen præfens effe modò, præfentibus literis.* Moguntiam me vocavit Capito, ubi fum à facris concionibus, donec redierit à coronatione Regis, & fortafsis deinde quoque fi vifum fuerit Chrifto. Nam Capito renunciaturus eft officio, factus à confilijs Domini Moguntini. Quàm profit in ea conditione, vix credis. Lutherus in hoc diftrictu dudum effet combuftus, Lutherani ἀποσυνάγωγοι, nifi is aliter perfuafiffet Principi. Miram tragædiam recenfuit nobis heri Bufchius, qui à Colonia advenit. *Reuchlinus condemnatus eft*

Mo-guntia.

Romæ in gratiam Monachorum, triumphant superbissimè, schedulis affixis nullibi non Coloniæ in portis, in Ecclesijs, &c. neque temperant à convitijs. Condemnationis summam linguâ vernaculâ adjecerunt, in qua traducunt Episcopum Spirensem, & quosdam alios magnates. Id fit præsente Episcopo: nam jam agit Coloniæ. De Luthero Bullam misit Papa, verè bullam, ut audio. Angelos cæli, B.Petrum, Paulum, omnem creaturam prorsus excitat in Lutherum & adhærentes: Trucidentur, comburantur, & hujusmodi. Quòd si talis est Bulla, qualem ille nobis depinxit, parùm habet Apostolici pectoris, vel lenitatis Christianæ. *O liberam Germaniam, ubi nostra libertas? Nec lingua libera est.* Latitat Huttenus, cui à Romanensibus paratum fuit venenum, subordinati qui caperent, vinctum Romam ducentes, aut trucidarent. Nec tamen diu latebit, quod Monachi sentient, quibus hæc provincia fuit commissa. *Princeps Saxoniæ magna liberalitate utitur in doctos: Tu nihil cessa, adesto bonis viris, adesto pietati Christianæ apud Tuos, ubi plurimum potes. Monachi nihil non tentant.* An. deinde 1523. & silen-

ſilentium ſuum pertinacius excuſat, & tum ſtudiorum, tum periculorum & laborum ſuorum facit mentionem, albo, ad acta Zuinglij cum Adverſarijs, addito calculo. Sed quia dulciùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ, ipſam Hedionis afferamus Epiſtolam: *Sive hoc occupationibus adſcribam, quæ tamen mediocres ſunt, ſive tabellarÿs, quæ communis eſt excuſatio, certè jam diu nullas ad Te literas dedi, neque Tu contrà ullas ad me, Zuingli, in Chriſto frater chariſſime. Neque verò tam infirma eſt amicitia noſtra, ut hujusmodi adminiculis egeat* apud eos cumprimis, quos eadem profeſsio, & idem miniſterium arctiſsimè conglutinat. Nulla mihi obrepſit oblivio Tüi, neque Tu patiebaris, ſi & hoc ambiviſſem, proditis in publicum aliquot eximijs libellis, partim Germanicè, partim Latinè ſcriptis. Legi de delectu ciborum, Legi Architelem contra Conſtantienſem bullam, Apologeticon videlicet: Supra modum placuit. Ubi olfacere potui quid Tu περὶ κυανοχαίτε. *Nuper verò amici Baſileenſes ſcripſerunt, decretum per Senatores Tuos, ut concionum Tuarum publicam reddas rationem, ínque hoc vocatos*

Constantienses: Neque hoc displicuit; quandoquidem scio, Te lubentissimè hoc facturum, vel Petri præcepto. Et est, quòd sperem inde plurimum utilitatis toti Germaniæ. Erit hoc pulchrum exemplum & alijs civitatibus. *Passim enim sunt, qui Christum asserunt, & hujus nomine, seditiosi, irreverentiales hæretici, & hujusmodi convitijs sexcentis traducuntur. De me nihil dico. Hostes habeo pertinacissimos, qui nullum non movent lapidem, quò me perdant, non aliter, quàm Amasias contra Prophetam Amos agebat; sed frustra, inquit ille, sine viribus ira.* Κύριος ἐμοὶ βοηθός. *Rursus verò non desunt, quibus sum bona fragrantia. Vocatus fui superioribus diebus ad aliquot conditiones, non minùs honestas*; tamen animus est adhuc hîc docere; si ita visum est Domino; quando hîc Metropolis, & prima Germaniæ Cathedra, etsi ubique Christi bonitas & misericordia, cui mea industria nec vult nec potest modum præscribere. Tu, quod facis, fortissime vir, (NB) leva signum, prædica, & noli celare. *Cur enim & perpetui operarij isti iniquitatis mœrere faciant os justi mendaciter,*

quem

quem Dominus non contristavit, & confortant manus impij. Gratia Deo, qui talem Spiritum in Te suscitat. Rogaverim Te, per Christum, ut seriem disputationis Tuæ mihi scribas futuris nundinis. Avidissimè hoc scire cupit Ecclesia fratrum hîc, qui omnes (NB) Zuinglium amant, venerantur, & adorant; Ego verò inprimis. *Inscitia Constantiensium jam olim mihi perspecta. Ego qui nihil sum, haud magis curem istos, ὡς ἔι με γυνὴ βάλοι, ἢ παῖς ἄφρων. Eximium virum, Conradum Fabri, haud dubiè à partibus Tuis stantem, M. Leonem Juda, & quotquot invocant nomen Domini, ex me salvere jubeas. Christus Opt. Max. Te diu nobis incolumem servet.* Acta postea Zuinglij accepit, de quibus etiam, eodem anno quid sentiret, & amicè aperuit, & animum, ut quo cæpit pede, pergeret addidit. *Typographus* (hæc Hedio ad Zuinglium) *portavit acta Tua, quæ libenter admodum vidi ac legi.* Video, invictam rem esse veritatem, ut mendacium contra res est, plus quàm imbellis. *Jam verò quis non defleat infelicitatem istorum hominum, vel magis rideat insaniam, qui sic excæcati sunt, ut clarif-*

clariſſimam Evangelij lucem videre nolint, & cùm perniciosè errant, doceri, vel in viam reduci renuant? Non deſunt hic iſtorum ſimiles, qui non alio nomine averſantur Evangelium, quàm quòd eſt contrarium cupiditatibus ipſorum. Satis diu impoſitum eſt ſimplici ac ſequaci populo, hypocriſi & peſsima doctrina: Tempus inſtat, ubi detrahenda eſt larva, & aſinis iſtis Cumanis leonis exuvium. Pulchrè Tu mi Zuingli & fortiter. Faxit Chriſtus, ut hoc exemplum imitentur & aliæ Germaniæ urbes. Rogo frequenter ad me ſcribas, ſi modò licet per nuncios: Nam ſolatium eſt audire, quòd Chriſtus feliciter herbaſcat apud vos. *Si quicquam in Acta, dum declamares Tuo clero, collegeris, gratum faceres id, quicquid eſt, communicando.* Quæ ſupra de reſignato apud Moguntinos munere concionatorio Capitonis retulit *Hedio*, id ipſum poſtea 1521. *Capito* Reformatori noſtro per literas narravit. Et quia alia nonnulla, quæ non authoritatem modò Zuinglij confirmant; ſed & reformationis incunabula pandunt, Epiſtola illa nunciat, eam quoque, bona cum Lectoris gratia, heic inferemus. Ita autem habet: *Memoria Tui majo-*

majorem in modum me ſolatur, ubi tam varias perturbationes videro exortas prætextu fidei. Nam ex animo es inter raros Chriſtianus, neſcius fuci. *Nihil hic audis, niſi facias utrinque.* Reverendiſsimus Cardinalis Moguntinus quantum poteſt Evangelium ut prædicent, præcipit, citra perturbationem vulgi, ſynceriter, absque tam atrocibus affectibus. Nec vult, ut quiſquam clamet in Lutherum. *Nuper venit Provincialis Ordinis Minorum, inſtructus magna authoritate, petijt auxilium, ut dicebat, Principis mei, & literas, ut poſſit concionari, per Diœceſes contra Lutherum. Quid ad hæc Princeps meus? Cordatiſſimè reſpondit, ſibi non probari hujusmodi inſtitutum: Non eſſe ſic mutuis convitijs debacchandum. Neq; eam ſibi viam ad tranquillitatem videri, gratum tamen admodùm ipſi, ſi firmarent purè & ſimpliciter dicere Evangelicam veritatem, citra atrocem notationem; ſuapte ſponte, veritatis luci ceſſuras tenebras erroris. Nihil ſe prius in votis ducere, quàm audire, qui ſinceram Chriſti imaginem inculcarent, alieni ab impudentia fratrali, plus quàm cynica. Id verbi*

verbi tamen ego adjeceram; approbante Principe. Caterùm, diversificantur, discinduntúrque varias in partes asseclæ Lutherij. Novum Sophistices genus invehunt, omnia partim rapiunt ad quæstiones, ad contentiones verborum, partim ad furiosos affectus; præsertim Fratres, quo consequitur; ut bona pars vulgi eos aversetur. Tu perge; mi Zuingli, Tuo more; syncerè dicas & lenitate summa; quâ Christus de mundo splendidè triumphavit. *Cessi officium Concionatoris; fortè haud paulùm cocu patior, quàm olim, tot curis undique distringor.* Hæc scripsit Hallis in Saxonia, ex arce Magdeburgensi 4. August. 1521.

Norimberga. NORIMBERGAM ubi deventum fuerit, videbantur quidem initio Theologi in Zuinglium & Oecolampadium, paulò duriores, usq; adeò, ut etiam libri eorum impunè emi, aut comparari non potuerint; nunquam tamen deerant, quibus & rigor ille improbaretur, & qui Ecclesię fatū & statum deplorantes cū Zuinglio se facere non diffitebantur. *Franciscus Kolbius*, Rœtelensis Marchicus, Monasticam in Suevia vitam aliquandiu sectatus, Norimbergâ jam an. 1526. Zuinglio

glioſcripſit, quàm ſibi nova ubiquitatis Theologia diſpliceret. *Optime frater, congratulor veritati; per quemcunque triumphet. Pius Deus tandem ab omni ſeductione Anti-Chriſti nos eruat; Amen. At timeo, quòd caput hoc forte ſerpentum non facile ſe ſinat terere ſine Chriſti ſanguine. Næ ſicut ſanguinem credit, ſic ſanguinem ſitit. Quid Tuum ad Senatum noſtrum expediverit ſcriptum, neſcio, hoc certè ſcio, quòd gravi mulcta inhibitum ſit librorum venditoribus, ne apicem vel Jota ſcripti Tui, aut Oecolampadij* (hinc procul dubio Epiſtola illa Zuinglij T.II.pag.295. ad celeberrimum quandam Germaniæ civitatem) *vendant. Clamant fortiùs contrà, quàm clamârunt unquam concionatores noſtri: Verbum Domini, verbum Domini clarum eſt, & ſimplex: Ubique eſt, & carnem aſſumſit, & ſecum ubique habet. Nolunt Chriſtum hîc vel ibi, nec etiam ad dextram Patris demonſtrari; ſed ubique. Timeo, mi frater, quòd Dominus Deus valde velit confundere nos. Timeamus igitur omnes, & ne gloriemur in his, in quibus plus timere*

mere oportuit, & humiles gratias agere. Hoc mihi in omnibus nobis valde est detestabile: Clamamus quotidie, nihil innitendum Patrum vel Sanctorum scriptis, Canonibus non adprobatis, quòd errârint Sancti aliquando, & errare potuerint. At nullus nostrum ullo convinci vult errore. *Timeo verè futurum illud* Jesajæ c.29. Peribit sapientia à sapientibus ejus &c. eo quòd populus ore appropinquat, & labijs glorificat, cor autem longè sit à me, dicit Dominus. *Quare futurum æstimo, sicut in prima institutione Ecclesiæ, quòd suscitaturus sit Deus Idiotas, & mundi stultos, qui confundant doctos, & in fide nos faciant unanimes. Quanto studio in pluribus locis sacræ literæ frequentantur, Linguæ quoque exercentur, at, instar ædificantium Babel, confundimur, contendimus, & carnales invenimur. Est mirabile apud me judicium, & in silentio secretum: Reliquum scripsi Berchtoldo Bernensi, quomodo degam in otio Nurenbergæ, si mea egeat ope, paratus sim venire ad se. Esset mihi satis bene provisum cum alijs fratribus meis, qui Dominis resignârunt clau-*

ſtrum cum omnibus bonis. Sed quòd non poſſum convinci ut credam ; quod multi, cogor, neſcio quando ; iterum deſtinari in exilium. *Datum Norica.* Sed & *Johannis Haneri,* prolixæ ſunt ad Zuinglium literæ, de veritate potiſsimùm carnis Chriſti, & modo præſentiæ corporis in Cœna Domini Norimbergâ perſcriptæ. Ambagibus nos ſubinde iſtis à tramite ; & compendiaria abſtrahi via ; libenter fateor , quando verò ſemel alea eſt jacta, & quod jam ingreſſi ſumus iter ; non facile repetere deinceps licebit ; vitio nobis,ut ſpero, nemo vertet, ſi ex eadem lectori opera geminum refundamus pretium. Vindicamus nempe ab interitu doctiſsimorum ſuperioris ſeculi virorum literas , intricatas ſæpe , perplexas, excſas ; & easdem ordine ſimul ſuo ita diſponimus,ut Hiſtoriæ non minus inſerviant veritati , quàm honeſtæ & laudatæ animi curioſitati. Et hac quidem occaſione palàm reddimus , quæ Zuinglium undique occupârint & circumſederint pro Republica Chriſtiana curæ. Teſtes inſuper ejuſmodi ſunt literæ magnæ ἐπιεικείας, quam,noſtris Eccleſijs, & Norimbergenſes & alij , etſi in articulo de Cœna diſſentientes, probârunt. Prima Epiſtola , quam è Nerobyrgo, ut vo-

cat, dedit Hanerus d. 18. Decemb. 1526. hujusmodi est: *Jam tandem post diuturna mea desideria reddita sunt mihi literæ Tua,* (ipsæ illæ, nî fallor, quæ habentur in Epist. Zuingl. l. 3. pag. 114.) Zuingli eruditissime, quibus cæptam inter nos amicitiam, gravibus aliquot sententijs confirmas; Eam opto nobis in Christo fore perpetuam: *Quoniam autem Te semel votis meis permisisti, non dubito, crebriorem Te mecum literis futurum, modò temporis simul & nuncij opportunitas hoc ferat. Quod autem mea illa priora usque adeò volvis & commendas, non merentur illa tam candidum calculum; neque ego hanc laudem agnosco, ut qui didicerim me mea metiri umbra.* De Luthero quod scribis, expecto ex Te & fratribus; siquid fortè in hunc adornas, missurus contrà; si quæ in publicum ille protruserit. *Audio autem, hunc totum in Oecolampadium incumbere; mißione data Auditoribus, ut omnes ingenij nervos huc solum intendat.* Ego omne hujus causæ pondus & argumentum in eo situm esse arbitror, sit ne corporalis piorum cum capite Christo unio, utpote quæ non tantùm

rùm conſtat unitate Spiritus in vinculo panis; ſed & reali ac corporali carnis & ſanguinis Chriſti communione, ut ſcil. nemo ſit membrum de corpore, niſi caro ſit de carne ejus, & os de oſsibus ejus, etiam corporaliter participatis. Verùm, ſi hoc ita eſt, quomodo, quæſo, Chriſti Corpus myſticum erit, & Eccleſia res omnino ſpiritualis, ac tota in Spiritu? Deinde, qualiter quæſo hac ratione Sanctus Domini corruptionem in membris non ſentiet, ſi hujus caro realiter & corporaliter illis unita eſt? *Docet quidem Apoſtolus & precatur, ut per fidem Chriſtus cordibus inhabitet*, cæterùm de corporali & reali hujus immanentia nihil, quod ſciam, meminit. *Et hac ſunt humaniſsime Zuingli, qua hodie etiamnum me morantur, præſertim, quòd videam, nullum fructum corporalis præſentia Chriſti in Sacramento redire ad fideles, niſi neceſſe ſit, ponere realem & corporalem membrorum cum capite Chriſto unionem, de quo Tu videris.* Cæterùm, de noſtro argumento, quoniam multum per occupationes non datur, ſaltem paucis illud ac leviter attingam, de eo tamen poſtea acturus fuſiùs. *Agnoſcimus nos duas in Chriſto na-*

turas, eáſque in una hypoſtaſi unitas profiteamur, verbi ſcilicet & carnis, ſic tamen, ut per illud neque permiſceamus naturas; nec proprietates earum confundamus, alioquin cecidiſſes Tu à cauſa Sacramenti. Sequeretur enim, verbum eſt ubique. Ergo caro quoque Chriſti ubique eſt. Cæterùm inductiones has non admittimus: Cauſas ejus Tu nôſti. Eſto ergo, Chriſtum Deum confiteamur & hominem, per hoc tamen non ſequitur, ut quod Deus eſt, homo ſit; ſic neque è contra, quòd homo, ſit Deus. Sic pariformiter, quæ Dei ſunt, hominis non ſunt, nec de homine propriè, ſed ſolùm per alloæſin dici poſſunt. Cæterùm, communicatio hæc Idiomatum, ut naturas non miſcet, ita neque proprietates confundit. Deinde, quoniam naturarum illa unitas in ſola verbi ſeu Filij Perſona, hypoſtaſi eſt; & fides vera in ſolum Deum feratur, hinc eſſe dicimus, quòd vera fides non aſſumtum à verbo hominem, niſi ratione hyſtaſis Perſonæ, Verbi; ſed verbum caro filium adorat. Vides ergo, qualiter vera pietas in ſolum Deum aſſurgit, carnis tamen

men infirmitate propter nos indutum. Non ergo hæc immemor eſt collata in nos gratiæ, neque tam injuria Chriſto, ut carnem ejus aſpernetur, quam agnoſcit promiſſum ſemen &c. & ingens divinæ pietatis myſterium. Sentit ergo illa magnifica quæque de Chriſti carne, ita tamen, ut virtutis eminentiam perpetuò deferat Deo, atque interim non obliviſcantur veritatis carnis, adeóque aſſumtæ formæ ſervi. Ut enim hæc ſingulari nobilitatis prærogativa peccati noxa caruit, ſpeciem tantùm carnis peccato obnoxiæ habens: Ita negari non poteſt, quin vera caro fuerit, & infirma caro, utpote quæ alſerit, frixerit ſudaverit, eſurierit, mœſta fuerit, obnoxia paſſionibus, cæſa ſcil. flagellis, ſuffixa cruci, ac tandem verè mortua, quo fit, ut nihil de Chriſti carne ſupra carnem, quod fidei ratio non admittit, ſentiendum putamus, ne ſcilicet, ſicubi hac parte fuerimus immodici, non ſolùm nonnihil decidat gloriæ Beati Dei, ſed & carnis veritas hinc poſſit vocari in dubium. Ut ergo carnis veritas neque neganda ulli eſt, neque extenuanda,

 utpote

utpote quam fatemur benedictum ſemen, ac promiſsionum, ac legalium etiam corpus & complementum, ac peccati hoſtiam; Ita in Chriſti carne atque adeò in aſſumto homine, quicquid uſquam eſt inclytum, auguſtum, ſacro ſanctum & adorandum, id omne fatemur in & per Deum eſſe. Deus enim fuit in Chriſto, Mundum & cuncta reconcilians erga ſe. Quod ergò in Chriſto humile & infirmum eſt, id omne de noſtro, & imbecillis carnis eſt, quæ verò potentiæ in eo ac virtute Dei, ea Verbi ſunt, & conſubſtantialis Filij Dei. *Intra ergo cujusque Naturæ præſcripta manendum eſſe cenſeo, earúmque terminos nequaquam confundendas eſſe.* Quòd ſi Scriptura per ἀλλοίωσιν loquitur, ad ſchema advertendum eſt, ut propterea nihil de veritate mutandum. Nam ut non ſtatim unum quodque eſt, quod dicitur; Ita per Scripturæ ἀλλοιώσεις Naturarum vel ſubjectum vel proprietas neque permiſcetur, neque confunditur. Et hæc ad præſens ſatis. Aliam bene longam anno ſequenti 1527. d. 17. Maji ad Zuinglium ſcripſit, quâ & corporalem præſentiam penitus tollit, & ſpiritualem, realem eſſe, confirmat. Ita enim inter alia: *Sed hic, Tu fortè mihi*

mihi dices, quo raperis Hanere? Ego de corporea Christi carne loquor, Tu verò aliam mihi de Christi Spiritu cantilenam canis. Et ego, mi Zuinglij, de corporali Christi ac Physica ejus ratione nihil Tecum contendo; ſed de Corporis Christi veritate, hæc autem Spiritus eſt &c. Quid verò piaculi erit, dicere, pane per Verbum tradito corpore nos verè paſci, verè, inquam, per fidei verbum, μυστικωτέρως autem per Symbolum, panem, cùm verbum veritas ſit, paſcens omnia. Hanc carnis veritatem, optime Zuingli, quæ à verbo promiſsionis eſt, & Spiritualis eſt, eadémque hodie quæ olim, ſicut & Christus hodie & heri, ſolùm urgeo, & à fidei Elencho & hypoſtaſi non deflecto, nihil interim eorum curans, quæ vel craſſa ſunt aut phyſica, ubi ſi Tu eadem ſimili ſtudio effeceris, non dubito, brevi pacemredituram Eccleſijs, &c. Craſſam, phyſicam, corporalem Chriſti in Cœna præſentiam, alijs, & ejuſdem anni, in Martio ſcriptis literis idem non modò profligavit Hanerus, ſed & pugnam Sacramentariam ſublatam eſſe optat. *Id genus*

 diſſi-

dißidij, inquit, *bona cum pace finiri optarem, maximè quòd videam, plus hinc imminere periculi, quàm putatur, plus etiam subesse contentionis, quàm est fortè sanioris doctrinæ: Præsertim partibus sæpe numero tam concorditer convenientibus, ut interim sola logomachia discrepent. Nam de crassa corporis physici opinione vel nolunt sensisse adversarij, vel certè stationem jam deserunt.* Ut autem animum Tibi meum parte aliqua prodam in hac causa, non tam ad symbolum respiciendum puto, quàm ad promißionis sermonem, qui, cùm sit veritas, simplicem illi ac credulum animum afferre oportet, certi, quòd is, qui promisit, verax est, & mentiri nescit, atque ut tales nos in hoc Sacramento præbeamus, facit, non solùm promißionis veritas, sed & opus, & factum Christi unde nobis, procul dubio, voluntas illius certè proditur. *Duo igitur nobis in hoc Sacramento advertenda sunt, Symbolum scilicet, & promißionis sermo: Symbolum mysticam rationem habet, promißionis autem sermo, veritas est; qui, quatenus non solùm ad nos fit, sed & Symbolum designat, primùm mysterium*

ſterium agnoſcere facit, deinde ſignificatum per panem corpus, pane, Symbolicè & in myſterio edi, verè autem ac vivificè in verbo, nos commonefacit & docet: Et intra has ſimplicisſimè fidei res mihi conſiſtere ſatis puto. Quòd ſi quis hos terminos promoturus eſt, videat, ne quo modo impingat. *Ego Chriſtum in pane quærendum non puto, niſi modo quodam ſymbolico, & in myſterio, ídque tunc ſolùm, cùm panis eſt ſymbolicus, & per promiſſionis ſermonem deſignatur: Nam aliâs panis communis eſt panis; cæterum quatenus promiſſionis habet ſermonem, & ego hunc fide arripio, non dubito, quin pane per verbum, Chriſti tradito corpore paſcar, & fuſo ejus ſanguine irriger ac expier; ídque verè per promiſſionis ſermonem,* verùm μυστικωτέρως καὶ συμβολικῶς κατ' ἄρτον. Verbum enim ut omnia poteſt & facit, ita quoque omnia portat: Fides contra omnia ſuſcipit & habet: proinde ſive ad promiſsionis ſermonem reſpiciat quis, certè nihil hîc aliud, quàm Spiritum, quàm vitam, quàm denique veritatem reperiet, ſive etiam ad fidem quis attendat, & deprehendet

hendet, hanc Scripturæ testimonio ἐλπιζομένων ὑπόστασιν. *Ut ergo dubium non est, quin verè ac vivificè edat, qui promissionis sermoni credit, juxta id protritum Augustini: Crede, & manducâsti: Ita nemo negabit, si promissionis sermoni, panis scilicet ac vini symbola addideris, quin potius, si hac ipsa per promissionis sermonem designaveris, corpus traditum pane, & fusum sanguinem vino sumi, sed in mysterio, maximo Christo ita volente & instituente.* Et hæc est breviter fidei meæ ratio, simplex & sana, quam si communiter omnes amplecteremur, non fortè tantum opinionum olim, non tantum dissidiorum hodie esset in Ecclesia, de quo etiam nonnihil ad Oecolampadium scripsi. Cupio autem & ex Te cognoscere, num hæc mea sententia Tibi probetur, an secus. *Excussi hactenus Tua omnia, simul & aliorum diligenter, & placet, quod super profliganda illa corporis Physice crassa opinione id operis susceperis: Video enim & hac parte languere adversarios.* Cæterùm hic cave, ne simul nobis Spiritum, vitam atque adeò ipsam corporis veritatem de cæna

na ſufferas. Nam quod de commemoratione mortis ac gratiarum actione dicitur, partim fratres, partim nos attinet, ſed ita, ut interim de veritate nihil nobis deſit; niſi enim prior quis manducet, atque ideo operis redemtionis traditique corporis guſtum ac ſenſum intra ſe deprehendat ac experiatur, idque juxta elenchum fidei, quomodo, quæſo, dignè commemorabit? quomodo fideliter communicabit? Quomodo denique gratus tantum hoc beneficium acceptum feret Deo? *Proinde, ut ſemel finiam, pro fidei ſimpliciſſima ratione ſatis eſſe puto, ſi quis verbo promiſſionis credat, atque adeò propter promiſſionis ſermonem, qui veritas, eſt, non dubitet, corporis traditi veritatem, Symbolico pani adeſſe in myſterio: Certus interim, carnalem ſenſum, ac craſſum, quòd is ſpiritui & vitæ reclamet, etiam à Chriſto rejectum eſſe.* Habes, optime Zuingli, quid in hac Euchariſtiæ controverſia ſentiam, Tu ſi quid diverſum habes, liberè mone, & quatenus cum Deo fieri poteſt, lubens conſilium recipiam. Exegeſin illam Tuam avide expecto. Bilibaldus noſter Oecolampadio reſpondit amarulentiùs, quàm vel amici ferre poſsint.

Luthe-

Lutherus totus in vos incumbere dicitur, proditurus, ut ajunt, nervis omnibus. *Ego malè metuo, ne, quod hactenus verbi potentia destruxit, diverso Zelo reædificaturus sit.* Tu intra verbi præscriptum mane, & cave veritati verbi simul, & energiæ fidei quicquam detrahas. Deinde ad symbolorum mysteria adverte, juxtáque Tua omnia πρὸς ἀναλογίαν τῆς πίστεως. attempera, & non dubita, quin conatibus Tuis pijs aderit Deus. Video, multos Hilarij sententiam mordicus arripere, & tueri, *quâ naturalem nobis cum Christo unionem per hoc Sacramentum probat.* Cæterùm, si hæc vera est; Patres simul & Prophetæ, deinde nemo ex nostris infantibus erit membrum de corpore; & nescio annon perperam ac impiè facimus, quòd illis, veterum exemplo, Eucharistiam non infundimus. Tu si monitore hic opus habes, vide Franciscum Picum, qui transsumtum hoc in Decreta caput, commentario explicat. In quo argumento si adversus Te evicerunt æmuli Tui, causâ excidisti. Vellem; Te Bessarionis libellum, quem de Eucharistia ad Græciæ Episcopos scripsit, vidisse; etsi non putem, hunc Te hactenus latuisse. *Ego, quatenus cum Christi*

Chriſti gloria fieri poteſt, ad Eccleſiarum pacem Te adhortor, moneóque, ut ſpiritualis Chriſti regni, quod reſurgens etiamnum carne ad gloriam immutata induit; & habet, memineris, utque à fidei hypoſtaſi neutiquam excidas. *Juxta quam non puto vel abſurdè vel impium fateri corporis traditi veritatem, modò tamen ἐπιϛασίᾳ, καὶ πνευματικῶ; pani ſymbolo per verbum adeſſe; modò nihil hic corporale; nihil denique craſſum ſomniemus. E Nerobergo 1527. Cal. Martij.* Quæ vera & genuina ſemper Zuinglij de præſente in Cœna Chriſto fuerit ſententia; quámque nullam agnoverit Domini Cœnam, ubi Dominus non & ἑςιάτωρ eſſet, & cibus, ſuo tempore, volente Deo, plen[illegible] proponemus; videantur interim noſtra[illegible] *[illegible]t. Heidelb.* p. 178. Quia verò ſemper ille metuit, ne obſcuritas phraſium ipſis quoque rebus tenebras offunderet, apertè & candidè, quid in amicis deſideraret, monuit. Et in hac quidem *Haneri* Epiſtola quædam à Zuinglio eſſe obſervata, quæ lucem flagitarent, ex Apologetico Haneri, quod tanta ſolicitudine, vehementi, tamen non effudiſſet, niſi ad amicum ſcripſiſſet, & ad eum, cujus gratiâ excidere noluit.

noluit. Integram Haneri Apologiam vel ideo addam, ut quàm conſtanter corporalem præſentiam Norimbergenſis ipſe, deſtruxerit, quamque familiariter noſtro uſus fuerit Zuinglio, hoc etiam condocefaciat teſtimonium. Ea verò talis eſt: *Heri allatæ ſunt mihi ex Te literæ, Humaniſſime Zuingli, una cum Exegeſi, & libello vulgari recens à Te in Lutherum editis; quorum nomine gratias Tibi habeo ingentes, etſi utrumque prius è Francofordia ab amicis acceperim, tui tamen illi gratiores ſunt, quòd à Te & animo, & authore, muneris loco profecti ſunt.* Scribis autem inter alia, Te variè poſtremas meas literas affeciſſe, quòd prioribus Chriſti divinitatem ſic adſtruxerim, ut metus Tibi fuerit, humanitatem me omnino abjectu[illegible]m; tunc autem prolixiori Epiſtola hoc [illegible]m egiſſe, ut caro Chriſti in Cœna à Te poſsit eſſe ſecura: *Ego, optime Zuingli, ut Te de animo meo nihil celem, ſtatim ex hoc diuturno Tuo ſilentio conjeci, proximas meas literas non perinde arriſiſſe Tibi.* Cæterùm, quid Te in ijs offenderit, nondum video, niſi, quòd Tuâ veniâ dictum volo, fortè adfectus aliquis Te transverſum rapuerit; homines enim

enim ſumus. Oro autem Te per Deum, velis noſtra ſedatus, animóque tranquillo legere, & puto Te nihil offendet. Nam, quod ad Chriſti humanitatem attinet, ut hanc ſuſpicionem primò omnium Tibi eximam, huc ſolùm pertinet, quod & priores meæ abundè egerunt, NE INFIRMÆ CARNI FIDEREMUS, SED DEO; non enim fidei objectum caro eſt, ſed Verbum, DEus, carne olim pro ſalute noſtra indutum. Deinde quod carnem quidem, pro mundi vita datam legimus; cæterùm carnem, mundi vitam eſſe non legimus. Eſt enim caro peccati hoſtia; Verbum autem lux & vita hominis: Et hæc priores noſtræ literæ habuerunt, ubi ſi quid Te moratur; fac intelligam & quicquid ſupereſt ſcrupuli, lubens ac volens Tibi adimam. Verùm, quòd ſcribis, proximis literis me totum in hoc fuiſſe, ut caro Chriſti in Cœna à Te poſsit eſſe ſecura, id quatenus ego urgeo, & cum veritate licet, facile recipio, etiamſi nihil tale in literis meis indicare poſsis. Sed fefellerunt te, optime Zuingli, N. numeri, id quod Tibi neutiquam accidiſſet, ſi ad verba mea paulò attentiùs reſpexiſſes. Noſtra enim ſic habent: Cæterùm, hic cave, ne nobis ſimul Spiritum, vitam, atque adeò ipſam veritatem

tem corporis adimere satagas ; quæ certè δὶς διὰ πασῶν à Tuis variant, & hic oro unum illud à Te impetrem, ut scilicet nostra cum Tuis conferas, & puto deprehendes, quàm absque causâ nostris fueris iniquior: *Nam, quòd Te de corporea Christi carnis præsentia malè habet, meum non est defendere. Ego simplicissimam fidei meæ rationem transmisi, quæ nihil physicum, nihil carnale, addam etiam nihil corporale, in se habet. Viderint alij de suo illo crasso corporeæ carnis figmento, mihi non alius, quàm fidei sensus est.* Proinde desultoriam hanc fraudem, cujus literæ Tuæ mentionem faciunt, non agnosco. Et hæc satis sint pro defensione priorum. Nunc ad alia Tua venio. Scribis Tu, fabulam esse, quicquid de corporeæ carnis præsentia in Eucharistia perhibent quidam : ubi nihil contendo. Cæterùm, vis contemplatione mentis Christi corpus semper adesse Christianis, hæc quoniam confessa à Te sunt, excutiemus modò, quis nostrûm vero sit propior, ego, qui carnis veritatem dono energiæ fidei per verbum ; an Tu, qui defers corporis præsentiam sola mentis contemplatione. Hîc, si, positis adfectibus, judicare velis, statim dice-

dicere habes, plus nos debere dono Spiritus, quàm potentijs carnis ac animæ viribus, gratuita enim naturalibus longo intervallo anteſtant. Hic ſi nihil aliud addam, puto conſtare Tibi, ubi hæreas. Si enim noſtræ mentis contemplatio, quantùmlibet alacris fuerit, torpida tamen & ignava, ſi ad ſpiritus vehementiam contuleris, Chriſti corpus præſens nobis facere poteſt, cur non magis, quæſo, interna verbi illuſtratio, & Spiritus Domini, fides ſcilicet: nequaquam enim puto languidam noſtræ mentis aciem, vel in virtute & potentia verbi, aut cum energia fidei, ulla ratione committendam eſſe; quin hoc ipſe inde infero, ſi res abſens poteſt contemplatione, imagine præſens animo fieri, multò magis credentibus, quæ videntur abeſſe (vident enim per ſpeculum in ænigmate) verè adſunt, non ſolùm certitudine fidei; ſed & virtute verbi, cujus opera in veritate ſunt? Non enim otioſæ mentis phantaſma, non cordis viſionem, non capitis ſomnum, non vanam opinionem, fidem eſſe dicimus; ſed donum juxta & opus Dei, longè quid firmius, ſtabilius, certius, vivacius, quàm ſit perplexus & hæſitans cordis noſtri aſſenſus, ubi nihil vana imaginatione fit; ſed certiſsima veritate, nihil item per ſpecies & inania

 phan-

phantasmata, sed re vera, quantumlibet per speculum videamus in ænigmate. Est enim fides rerum, quæ sperantur, hypostasis; & elenchus eorum, quæ non videntur, quod ut apertum Tibi fiat, ordiemur rem paulò altiùs. *Apostoli nobis authores sunt, Christianum novam esse creaturam, destinata Patris voluntate, sermone veritatis, qui idem est sermo, seu verbum Dei viventis, tanquam ex immortali semine renatum. Quid hic, quæso, dicemus? Num ne sic opinabimur? Ministri sermo aure nostra exceptus, censitus judicio, & voluntate nostra admissus nos regenerat ac novat, ut sic vel ministri vocem, vel mentis nostræ verbum pro sermone veritatis, ac verbo Dei viventis accipiamus? Absit: Hæc enim regenerandi ac novandi divina vis, neque in ministri voce, neque in cordis nostri assensu posita est, verùm sic credimus & fatemur, præordinatos ad vitam, ad externi verbi Ministerium, illustrari internè per Patrem luminum, ingenerarique verbum, quo ceu semine immortali renascantur credentes, & in cognitum Dei per verbum voluntatem transformentur: quæ vitæ novitas, ut à verbo*

à verbo hominis non eſt, ſed Dei; ita nihil hic agit cordis noſtri aſſenſus; ſed Domini Spiritus, fides, ſed ſola. quo fit, ut nihil vel ficti, vel picti fides noſtra habeat; ſed ipſiſsimam veritatem, & tamen tale aliquid de ea ſuſpicari daretur, ſi vel à cordis noſtri adſenſu, aut à ſola Miniſtri voce gigneretur. Omnino enim, quod natum eſt ex carne, caro eſt, & cor hominis pravum & inſcrutabile eſt, deinde omnis homo mendax. Ergo non verbo hominis, neque infirmo elemento aquæ tantùm, ſed verbo veritatis & lavacro Spiritus Sancti, fitque hoc ipſum non noſtræ mentis opinatione; ſed veritate fidei. Dei enim opera cum noſtris operibus non conferimus; ſicut neque Dei virtutem cum noſtris viribus, aut fidei certitudinem, cum noſtri capitis ſomnijs confundimus unquam. Scimus enim veritatis ſermonem non excidere. Scimus & fidei certitudinem minimè impingere, proinde nunc rurſus dico, ſicut verbum fidei, quod dicit, facit, & quod promittit, verè donat; ita fides tam opus, quàm donum Dei verè ſuſcipit: verè inquam, quòd non vana mentis imaginatione, ſed certitudine ſum-

 ma

ma & ipſiſsima veritate; ſic dicimus Spiritum Chriſti credentibus verè dari, imò Chriſtum per fidem habitare in cordibus credentium, nòn quaſi cùm quis abſentis amici imaginem ſomniat; ſed verè, veritate & potentia verbi, & ùnitate Spiritus, &c.

Palatinus. PALATINATUS Electoralis, ut Eccleſijs Helveticis, per Zuinglium purgatis, grata ſemper recordatione perfectiorem religionis emendationem tulit acceptam; ita initio ſtatim operis laudatiſsimi, cùm Sacramentaria controverſia gliſceret, fama percrebuit, Palatinatum Zuinglij & Oecolampadij ſententiæ de Cœna Domini accedere. Ita enim *Capito* 1525. ad Zuingl. *In Palatinatu ſunt, qui ſubſcribunt ſententiæ Tuæ, qui puriſſimè ſentiunt de Cœna Domini.* Et eàdem Epiſtolà: *Palatinus Elector cum tota ditionis ſuæ nobilitate pro Verbo decrevit, liberúmque fecerunt & loquendi & agendi juxta Scripturam.* Anno ſequenti 1526. *Heidelbergæ & paſſim emergunt, qui in Euchariſtia carnem quærere omittunt.* Felix cumprimis Poëta ille, *Hermannus Buſchius*, non vivum ſolùm Zuinglium, & cùm res ejus florentiſsimæ eſſent, coluit, ſed & mortuum, ludibrio

ab

ab alijs, Collegis etiam habitum, vindicavit. Illius veſtigia extant in Epiſtolis ad Zuinglium ſcriptis, quarum unam ex autographo, eámque συςατικὴν, ſubjicere placet: *D. Johannes Breuviler, is qui has meas Tibi reddit, fortè me in ſympoſio Baſileæ acceptum, dixit, ſe ad Tuam dignationem poſtridie profecturam, rogavítque me aliquid ſibi literarum ad Te darem. Negavi me facturum,* quod ex tempore nihil dignum ad Tuam præſtantiam ſcribere poſſem, *& ille ſtatim literas efflagitaret: Cùm autem eò magis ille inſtaret, exui pudorem, arreptóque calamo, incondita hæc pauca effudi veriùs, quàm ſcripſi;* fretus, humanitate Tua ſingulari etiam incompta boni conſulente, *quò & illi, non omnino indocto (ut mihi viſus eſt) viro gratificarer, & Tibi hoc qualicunque officio oſtenderem, me Tuæ humanitatis, Baſileæ mihi nuper exhibitæ, memorem eſſe.* Rogo itaque Zuinglium meum, omnibus egregijs dotibus ornatum, *ut hunc, qui reddit illi hanc meam infantem Epiſtolam* ſuo more, hoc eſt, humaniſsimè tractet, *vel ob hoc, quòd mea hac balbutie ab eo oneratur, hoc maximè*

mè tempore, quo minimè oportuit, simúlque persuadeat, Buschium, etsi indoctè ad Zuinglium scribat, magnificè tamen ubique de Zuinglio loqui & sentire. *Nova si quæ delectent Te, gustavimus hic duntaxat porcellum lactentem pauci sacerdotes in Dominica palmarum. Hinc Sophistæ cum suo Antistite tantas excitârunt tragadias, quantas centum homicidia sacerdotum non commovissent.* Hæc in ferijs Paschalibus ad vivum Zuinglium: quid de cæso eodem senserit, suo loco audiemus. Non est contemnendum hoc de Zuinglio Buschij sive judicium, sive testimonium. Præclarum enim hujus, ob eximiam eruditionem, fuit nomen, usque adeò ut etiam Heidelbergam, ad politiorem revocandam literaturam fuerit accersitus. Sui admiratores ubique habuit, qui & ejus gratia nonnunquam longiùs excurrerent, & remotiùs dissitum de successu Evangelij redderent certiorem. Inter *priores*, ille etiam esse voluit, qui Anabaptismo postea rem Christianam multum turbavit, *Balthasar Hubmejer*, Fridbergensis, vulgò *Pacimontanus*. Ipsius superest Chirographum ad *Johannem Adelphium, Medicum Schaphusanum* 1522. quod vel propter

Συγχω-

ζυγχρονισμόν amittere hoc loco nolumus. Quod jam multo tempore (*ita Hubmejerus*) nihil dederim ad Te literarum, nimiæ occupationes tum domeſticæ, tum etiam literariæ in cauſa fuerunt, doctiſsime Doctor: Idq; inprimis, quòd in Epiſtola Pauli, ad Corinthios ſcripta, nunc ſudo, abſoluta ea, quæ eſt ad Romanos. Ea de re, ut collectanea D. Mattheï Beyr, quę à Philippo collegit omnia, cures ut ad me veniant, quibus relever in labore. Sed forte quæris quid Friburgi & Baſileæ egerim diebus exactis? Accipe paucis. Deſcendi Baſileam, ubi Buſchium acceſsi, hominem verè doctum, & Glareanum: Item Eraſmum ſalutavi, multa cum illo de Purgatorio contuli, ac ſuper ijs duobus paſsibus Johannis 1. neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Eraſmus aliquandiu de Purgatorio continuit ſe; ſed tandem umbratilem adducens reſponſionem ad multa alia, & varia quidem properavit. Liberè loquitur Eraſmus, ſed anguſtè ſcribit. Sed de ijs tecum. Veni & in Friburgum, quod longè aliter, quàm nomen ſonet, offendi. Planè liberum non eſt; ſed captivum: diſcordijs & factionibus cum profanis tum ſacrilegis onuſtum. Dein rurſus in liberam Baſileam migrans, optimos comites meos Baſileenſes & ego recomita-

tus sum. Tractavimus multa in itinere & docta, & profunda. Cum Pelicano non multa nugatus sum, qui tardè rediit ex capitulo suo. Verùm multos interim fratres amisit: Hoc idem patiuntur Johannitæ, Augustiniani & reliqui. Nobilis quædam de familia Flachsland, Nonna, viro nupsit studenti, quod ubi pater rescivit, ingressus est Monasterium S. Claræ, cujus professionis hæc erat, eam alapa verberavit: Ipsa tamen adeò docta Patrem allocuta est: Pater quid me cędis? Causas nuptiarum prudentissimè enarrans, ut nihil mirius dici possit; quibus adeò se purgavit, genitoris iram mitigans, ut nihil supra. Sunt & ejusdem farinæ matrimonia multa; sed adhuc clandestina Basileę. Libellos Lutheri sub utraque specie & de Cœna habeo: Judicium Tuum de libello sub utraque specie exopto à Te. Vigil. Baptistę 1522. Ex posterioribus est *Doctor Lamp.* qui a. Chr. 1529. Coloniâ ad Hermannum Buschium nonnulla retulit, quæ non modò authoritatem Hermañi confirmant, sed & initia repurgatæ veritatis apud Colonienses, sanguine obsignatæ, enarrant. Jucundæ potiùs; quin & necessarię, Epistolicę ejusmodi; sunt digressiones, quàm vel molestæ vel otiosæ, utpote quibus magnorum virorum προσωπογραφία

πογραφία aliud agendo traditur, sicque de una fidelia duo dealbantur parietes: Conſultius proinde videatur, nos nonnunquam peccare μεταλήψει, transpoſitione, quàm ἐλλείψει, & omiſsione, indéque futura, quæ inter tot Mſſ. documentorum Chiliadas facilè poſſet obrepere, oblivione, Indicis, ſuo tempore, beneficium monſtrabit, nihil nos, quod otioſum ſit, aut Reformationis Hiſtoriam non illuſtrârit, obtruſiſſe. Doctoris Colonienſis Epiſtola hęc eſt: *Audio Marpurgi, Vir doctiſsime, ab Heſſorum Principe, ſummis illis rei Sacramentariæ factionis capitibus, Martino, Oecolampadio, & Zuinglio conventum eſſe indictum, ut coram Principe conferant, & contentionem ipſam, hactenus non ſine* Reipublicæ Chriſtianæ detrimento agitatam, dirimant, atque in unam ſententiam, ſi ſaltem fieri poſſit, coeant. *De ea re rogo ut mihi ſingula perſcribere non graveris. Ego rurſus, ne erga Te minus officioſus videar, Tibi lamentabile hoc nuncium perſcribo; duos illos, hîc Coloniæ, ob veritatem Evangelij diu carceratos, tertio Calend. Octob. fortes Deo reddidiſſe animas, flammisq; exuſtos.*

 Sed

Sed ut scias rei seriem, quonam modo carnifices illi sancti, rem quam hactenus ob populi timorem conficere non poterant, perfecerint, utcunque potui, ex tempore hic congessi. Scis, quales sint Sancti illi, & cujus sint ministri; itaque cùm etsi sanæ doctrinæ & veritati nihil officere possent, quin potius magis se ludibrio exponerent, tandem optimam nacti occasionem, ex sudatorio illo morbo, cùm repentè homines ex eo morerentur, & nondum vera reperta essent remedia, inculcant miseris, morbum hunc immissum à Deo, qui Lutheranos omnes (ut ipsi pios quosque vocant) perditos vellet, suadent, pœnitentiam ut agant, ut supplicationes publicæ parentur, confiteantur, sumant Eucharistiam, sequantur ritus & ceremonias Patrum suorum. Quòd nisi fecerint, minati sunt pejora. His næniis populus territus, concurrit ad Confessionem auricularem, miserum conscientiarum laqueum. Quantam credis hîc illos hausisse mentiendi auctoritatem, quas irretiverint sibi hominum conscientias. Hic pater eorum jecit hujus tragædiæ fundamenta, qui ab initio mendax est & homicida, hunc sequuti, dementantes populum mentiti

titi rurſus ſunt , ob illos duos morbum immiſſum. Hæc ſedulò inculcantes mulieribus, quas noverant in maritos exercere imperium. Itaque territus Senatorum ordo: Nam ſcis quantum illi quandoque trepidant ad arundinis umbram, & magis inter illos, ſeniores indulgent Theologis ac Monachis. Illi rurſus Prætorem ſtringunt, quem mox puſillanimem factum in ſuam ducunt impietatem , non ſine ſuſpicione corruptionis pecuniariæ. Iterum oppugnatur die præcedenti Senatus, vincunt homicidæ illi Sancti: Jubent quidam Senatorij omnia parari, pollicentur ſuos miniſtros fore præſentes, ne quid tumultus creetur. Manè ſequenti paratur actus ille , ubi pij illi duo viri ſentiunt , ſe jam morte addictos, in ipſo tetro aut obſcuro carcere in domo adhuc Præſidis, ſonora voce canere cæperunt hymnum illum: *Veni Sancte Spiritus &c.* Deinde aliquot Pſalmos. Tum ad horam nonam ducuntur ad carcerem propè curiam majoris Eccleſiæ, in quem malefici, pro more, jam ſoliti ſunt includi: Mox pulſatur campana , ut populus ad tam horridum ſpectaculum properaret, educuntur pauperes ad tribunal , nihil formidantes. *Adulphus ille, ut ſenior, alloquitur blandè cives,*

cives, multa ex Scriptura adducens, de regno Dei, de justitiâ, de via ad Patrem. Nonnunquam alter, Petrus, subridens, consolabatur astantes, dicens, hanc esse viam ad patriam. Sic oportere sequi Christum. Ubi jam sistuntur ante tribunal, interrogavit Adolphus, ubi nam essent accusatores, ubi judices, qui eos condemnarent? Nam judices, quos Scabinos vocant, aut numero deficientes, aut aliâs de illa causa judicare noluerunt. *Hæc certò scio, quosdam ex illis fuisse, qui in mortem illorum non consenserunt.* Verùm, hæc nihil ad rem. Ut constitutum fuerat, sic oportuit fieri, sive jure, sive injuria. Itaque mox præter morem judicij, festinantes educunt eos ad locum supplicij: Concurrit undique plebs, audit Adulphum, mirantur hominum constantiam. *Inter eundum nunquam cessavit Adulphus à prædicatione Evangelica. Petrus, comes illius, nonnunquam adhortatus est populum adcurrentem ad audiendum Adulphum, dicens, hæc est via prædicationis Evangelij. Sic oportet prædicare Evangelium. Mirum est, quâ animi*

mi conſtantia ambo rogum aſcenderint. Petrus jubet Præſidem redire domum, & ad innocentiam ſuam manus ſuas lavare, quemadmodum Pilatus fundens innocentem Chriſti ſanguinem fecit; cujus ipſi hodie teſtes eſſent; mox eo dicto ſtrangulatur à lictore, ne plura diceret. Adolphus, oratione & Symbolo dicto, flammis obruitur. Fortes illi ſic felices animas reddiderunt Domino, quam conſtantiam & Dei cognitionem nobis Deus per Chriſtum in hora mortis concedat. Die ſequenti, qui fuit Michaeli Archangelo ſacer, convenit populus in majorem Eccleſiam, ut fieri ſolet, malè precantes omnes Theologis & Monachis, dicentes præterea, injuſtè damnatos illos viros. Qui in mortem illorum non conſenſerunt, palàm gloriantur: Jam nemo eſt, qui audeat ſe conſcium confiteri rei, tremunt & pavent, ubi quid de his commemoratur. At Sancti illi homicidæ mendacijs conantur adhuc ex Cathedra peſtilentiæ ſuis concionibus omnia obnubilare.

Sed ne RAVENSPURGum vicinum Helvetię noſtræ oppidum circa initia Reformationis

SPURGum abire voluit ἀσύμβολον, aut Zuinglium dimittere inhonoratum. *Humelbergius* plenum solicitudinis pectus pro Zuinglio supra jam ostendit; pag. 236. Amicitiæ ejus æstimium & pretium graphicè depinxit, pag. 309. aliaque eidem; quæ non nisi à familiarissimis expectari, nec alijs, quàm probatissimis, & à quibus libenter dependemus, committi solent, tribuit. Et quia nihil, meo judicio, vel ad terendum cum commodo tempus; vel superioris seculi exactam acquirendam notitiam, opportunius esse videtur, quàm rediviva veluti literatorum vox, quid tergiversemur adeò pios manes subinde solicitare, & ut, quid ferrea nostra ætas vel à superioris recesserit moderatione, certiùs discamus; Antecessores nostros; etsi in Domino defunctos è scriptis loquentes audire? Cùm Archetelem suum emisisset Zuinglius; quibus ille tripudijs fuit exceptus ab Hummelbergio; Ravenspurgensi Ministro? *Archetelem Tuum,* scripsit, *obvijs ulnis excepi, vir candidissime: Nemo mihi gratior fuit hospes Archetele Tuo. Quòd Cajapham istum fictitium adeò dignis tractat modis, adeò aptè suis depingit coloribus, est quod valde placuit. Na,*

sic

ſic acri aceto perfundendi ſunt, qui ſuas ſordes ipſi non detergant. Et qui nimium ſibi ipſis placent, rectè interdum audiunt, quibus diſplicent: ut vel hoc modo, ſi fieri poßit, ad meliorem deducamur frugem. Si nunc ſapit, deſinet ſibilare vipera, deſinet coaxare rana, deſinet inſanire mataologus. Porrò Archeteles jam meus, ſtatim ut fuit à me ſalutatus, abijt, VVittebergam profecturus, ubi meis Tuiſque verbis Adoleſcentem illum Tuum Melanchthoni & Blaurero diligentiſsimè commendabit. Alter verò, qui fuit P. Hyrus, Archeteles, heri alij adhærens comiti, Auguſtam Suevorum conceßit, Viros C. Peutingerum, & Adelmannos fratres ſalutaturus, & ſummum illud Tigurinorum erga refloreſcentem, divino munere, Chriſtianiſmum, ſtudiū decantaturus. Alibi, & año quidem 1522. famam Zuinglij ultra Acronium lacum velociter volâſſe profitetur, ut illius exemplo Chriſto abhęreant viperarum progeniem vitent. *Non alia cauſa*, inquit, *opinor quàm ut non ſinamus τὰ τ' ἐχιδνῶν γεννήματα nos à recta fugare, nempe à Chriſto, qui unica noſtra*

eſt

est via & veritas, & vita. Contra quem, ejusque fidei veros, assertores nec inferorum portæ prævalebunt: Ut interim insaniant & rumpantur ἀσεβεῖς σοφισαὶ, togati Vulturij, & mitrati arietes. Nec possum aliter appellare Magistros istos, qui hominum doctrinas præferunt doctrinæ Dei, & pro Scriptura, id est, Evangelica veritate somnia & nugas Scholarum crepant, propter ambitionem, avaritiam, & luxum omnia confundentes, ante homines cælorum regnum recludentes, nec tamen ipsi introeuntes, nec alios intrare permittentes. Φεῦ κακὴ τύχη τῶν καθ' ἡμᾶς. Cùm librum postea Zuinglius edidisset *de vera & falsa religione*, quàm promti erant Ravenspurgenses encomiastæ? *Ludovicus Siguinius* quàm, hac occasione, Epistolam dedit ἐπιεικείας καὶ συμπαθείας nomine conspicuam? *Accepimus hisce diebus, Ulriche optime, in manus nostras, libellulum Tuum, cui titulus*, de vera & falsa religione est, *quem non solùm graviter & acutè, sed & piè salubritérque ex Scriptura depromsisti. Habebis Tu profectò à præmiatore, qui in cælis Pater noster est, repositam*

coro-

coronam, quòd charitatis manſuetudiniſque cujusdam Chriſtianæ fervore Te adeò ſedulò nobis, præcipuè in re tam Sanctâ, adcommodas. Atque utinam noſtri Theologi, qui Te modò ad ignem deſtinatum vellent, hujusmodi Tuum libellum auribus defæcatis, naſo extento, erectóque mentis judicio legerent! Et ſic fortè vulgum non à veritate ad mendacia, à Spiritu ad literam, denique à pietate ad impietatem, adeóque Idololatriam impellerent. *Hoc autem non ſolùm de invidis Papiſtis loquor, ſed de illis, qui, de Cœna Te perperam loquutum eſſe, clamitant; ad eundem modum verò de pane iſto loquuntur. Quaſi nusquam liceat verè Chriſtianum agere, niſi ubi corpus in Cœna reperiatur, quum tamen nihil uſquam inveniunt, neque in veteri, neque in Novo inſtrumento*, quod ad impanatum Chriſtum pertineat. Bone Deus, quàm applaudunt ſibi ipſis, qui ſolum id rectum & pium putant, quod ipſi primum docent & jubent, tanquam ſcilicet tantæ Doctrinæ Principes ac Auctores! *Summa eſto: Quantumvis inſaniat adverſa pars, quo jure quaque injuria tueantur hanc ſuam opi-*

 nionem,

nionem, quanto cum odio desaviant in nos & Lutherani, quos vocant, & Papistæ, tamen non possumus aliter, præsertim absque conscientiarum nostrarum periculo, dicere & sentire, quàm quod Scriptura, quæ manifestè carnem nec tantillum prodesse sentit. Cernimus equidem, quàm superstitiosè in hominibus regnârit panis hujus cultura. Quanta securitate hic Christum adorârit etiam totus mundus. Et Papisticum regnum adhuc sustentet, stabiliatque esculentum hoc fundamentum. Igitur reluctantibus etiam inferorum portis, illis id respondere cogimur, quod & Christus discipulis suis (qui simili modò carnaliter, carnem ejus manducandam intellexerant) respondit; Spiritus est, qui vivificat, caro nihil prodest. Eo autem modo prodest sua caro, quando spiritescit: Tunc utilis, imò omnium rerum utilissima est, quia panis ille est, nempe spiritualis, qui de cælo descendit, qui vitam dat mundo, qui bonis replet esurientes, divites quoque dimittit inanes: Non corporalis, quò ut memoriali passionis Christi utimur. *Habes, quo pacto Tecum sentiamus, Udalrice amantissime: Inducti in Tuam sententiam nulla levitatis nostræ ratione*

ratione; Non ſic promotam Christi gloriam volumus, non cogere, torquere, ut ajunt, Scripturam: ſed ſic omnibus commendare Christum, quoniam fidelis eſt, ut ſpiritum nobis ſuum impartiatur. Spiritualium enim Deus, ſpiritûs tantùm obſervator eſt; Carnalia quæque deſpicit Sic autem ſpirituales, qui nihil humani verbis Christi addunt, Carnales, qui ſuis verbis denuo Chriſtum incarnari volunt. Sed utinam, quæ ſpiritualia forent, noſtri intelligerent Theologi, qui nullo non tempore ſpiritum jactant! Scripſimus ad Te, Frater, non ut graviſſima Tua noſtro confirmaremus teſtimonio: nam non ſufficeremus tanto negotio; ſed quia familiaris ille noſter, qui has Tibi perfert literas, Tigurum ſe ire ajebat, nolumus eum ad Te vacuum venire, quoniam charus es nobis propter Evangelium Chriſti. Boni igitur conſulas rogo. Claudimus hanc ſeriem alia adhuc Humelbergii Epiſtolâ, IV. Non. Novemb. 1522. ſcriptâ, cum inſigni de laborum quorundam Zuinglianorum elogio. Salutem in Chriſto Jeſu: *Literas Tuas & libellum*

de certitudine Verbi Dei mihi nuper Constantiæ reddidit consobrinus meus, Menlishoferus. Quod ad literas attinet, certò persuasum habe, non me Tua probare, ut Tibi vel tantillum blandiar, hoc enim à me est alienissimum; sed ut verum perhibeam testimonium veritati. Erasmus lenis est & mansuetus, quia caro timet capiti, ne periculo illud subjiciat, nec minus timet amiculis, quod præcipuum amoris indicium est, & singulari illius benevolentiæ tribuendum. Sed quantum bonus ille hactenus, blanda hac lenitate χριστιανισμὸν promoverit, tute vides, vel nihil, vel parùm admodum. *Quod verò ad libellum ipsum, ut primum recepi, Augustam misi, à me nec dum pellectum: Commodùm, ut reddebatur, ad manum tabellio erat, Augustam profecturus,* per hunc Adelmannis Canonicis August. transmisi, qui Tuę cùm eruditionis, tum pietatis sunt studiosissimi, strenui reflorescentis Evangelij propugnatores. *Apologeticon, quem mihi dono miseras, ego VVittenbergam Melanchthoni & Blaurero misi, per adolescentem illum tantopere à Te & me commendatum. De adolescente hæc inter alia ad me rescripsit Blaurerus:* Adolescentem verò

verò cur non ultro amplecteremur, qui tam liberali & præſtanti indole præditus, longè etiam exuperat commendationes veſtras. Igitur de eo, quod nobis optimum videbatur, Lopadio Munſterlingenſi, homini planè literato & commodo adjunximus, apud quem, non dubito, ſic proficiet, ut neque expectationem veſtram, neque ſe ipſe decipiat. *De Apologetico verò hæc:* Habemus Tibi gratiam pro dono, quod mittebas: Laudamus Zuinglium, hujus muneris authorem, ut qui ſuas partes nusquam intermittat. Deus corroboret hominem, augeátque vos omnes, quibus Chriſti Evangelium cordi eſt, ut tueamini. Libellum *Lutheri in Anglum Latinè ſcriptum ſi non habes, faciam te ejus lectionis participem. Interim hæc lege Melanchthonis de duplici Magiſtratu themata, & videbis, quàm confuderint cum temporario ſpirituale miniſterium Papiſtæ.* Nerobergæ Cardinalis Salzburgénſis & Apoſtolicus legatus adverſum Lutherum magna moliri feruntur. Legatus coram Ferdinando I. dixit, Pontificem quatuor conari, Cæſaris & Pompei concordiam, Lutheranæ cauſæ extinctionem, Eccleſiæ Reformationem, & adverſus Turcam bellum. Pontifex Romanus Eraſmum hæreticum decla-

 râſſe

ralle fertur. Tigurinos Tuos multa in Republica sua reformâsse ajunt; Si potes, formulas ejus reformationis mihi depingas, si non omnes, aliquas saltem. Fabricium & reliquos Tuos, qui in Evangelij Dei verba jurârunt, ex me salutato. Ravenspergi.

Slestadium.

SLESTADIUM amantissimum Zuinglij appellare jure possumus. Certè, quicquid eruditorum; ut literatorum Emporium fuit ditissimum; initio Reformationis aluit, vel cum Zuinglio vivere, vel ad amicitiam se ejus applicare amavit. De Beato Rhenano, Bucero, Sapido, Frabenbergio dubitare nos, ea monumenta, quæ ad manus sunt, minimè sinunt. *Beatum Rhenanum* sæpius jam audivimus loquentem, tum ipsum, tum ex ipsis alios, Cervinum atque Bucerum, qui & ipsi, quanti Zuinglium Rhenanus faceret, ejusve æstimaret amicitiam, supprimere non potuerunt. Quantus verò ipse Rhenanus? *Beatus Rhenanus plurimum* (ita Guilel. Nesenus ad Zuinglium) *Te salvere jubet; vir talis, ut numero dicam, qualem vix alterum nostra habet Germania.* Unam igitur, superioribus judicijs, arctissimæ amicitiæ subjungam adhuc tesseram, Epistolam jam anno 1520. ad Reformatorem nostrum datam. *Beatus Rhenanus*

Zinlio

zinlio ſuo: Apud librariam tabernam me heri ſtantem invenit Petrus hic Frabenbergius, & cùm de diſceſſu cogitarem, perendie ſe reſpondit initurum iter. Poſtremò petijt à me, ut ſe Tibi literis commendarem. Enim verò mi Zinli, videtur mihi Petrus digniſsimus, cui non ſolùm Abbas ipſe, verùm omnes vos impenſiſsimè faveatis, vel hanc ob rem; quòd tanta celeritate iſtuc non dico profectus eſt; ſed volavit potiùs, rebus ſuis hic non finitis, ſed abruptis. Noluit enim vos diutiùs ſui deſiderio cruciare, qui ſciebat, ſuam præſentiam eſſe vobis omnibus optatiſsimam. Spero autem veſtrum erga eum amorem indies magis augendum, tametſi nunc haud dubiè maximus eſt, ubi videlicet hominis mores, quibus optimis præditus eſt, plenius cognitos habebitis. De ejus doctrina quid attinet multa dicere, cùm illius non obſcurum ſpecimen nuper apud vos ediderit differendo, prælegendo, declamandóque? Hoc dico, doctrinam eum habere minimè vulgarem. Quam æquat, aut penè ſuperat judicium, quod in eo ſum mirum in modum admiratus. Animadverti enim ex colloquijs, quæ & modica & pauca cum eo mihi intercesserunt, minimè craſſum hominis judicium. Id quod totum Sletſta-

dio debet, quòd cùm satis obesum accepit, nunc dimittit sagacem: *præsertìm Sapido, qui mira libertate veram doctrinam deprædicat in conciliabulis, in convivijs, in foro, in templo. Vis scire, qualis sit Sapidus inter disputandum? Talis omnino est, qualis est Glareanus, quantum ad vehementiam dictionis ac παῤῥησίαν attinet: Cæterum ingens est discrimen. Nam Sapidus tantùm de serijs sermocinatur: Glareanus alienis plerunque nationibus insectandis multum verborum insumit, non memor Paulinæ sententiæ: Sive Græcus, sive Barbarus, & quæ sequuntur: Atque adeò liberè non nunquam Sapidus loquitur, ut VVimphelingius illi Inquisitionem, aut delationem ad Inquisitionem hæreticæ pravitatis, sæpe minetur, per juramentum, inquit, quod feci in licentijs meis, ego cogor id non silere.* Nam non potest Wimphelingius pati, ut quisquam contra ceremonias loquatur. In summa, quantum ad doctrinam attinet, non dubito, quin Petrus omnium vestrum calculos sit meriturus. Porrò, retulit mihi Sapidus dixisse hîc Leonem in convivio, cui non interfui ego, monendum

nendum eſſe Eraſmum, ut D. Abbatem alicubi in monumentis ſuis celebret. *Videtur mihi non ſatis intelligere Leo, quantus ſit Eraſmus: unum fortaſſe è nobis putat. Non venit communi decempeda metiendus Eraſmus, qui humanum faſtigium quadantenus eſt ſupergreſſus.* Minus mihi dolet, quòd vos deſerit Myconius, poſtquam illum audivi Ludum apud Lucernates aperturum: Doluiſſem maximè, ſi extra Helvetiorum fines ſe aliquò contuliſſet. Orationes de decimis, atq; item artem inquirendi ſparge, quantum potes, *contemnens paululum pecunia, cujus nunquam cupidus apparuiſti, ut plurimum proſis bonis literis, maximè verò noceas earundem hoſtibus.* Sletſtadij IV. Id. Jan, 1520. Sapidi ſapidum in Zuinglium defunctum extat carmen, ſuccique plena ad eundem ſuperſtitem Epiſtola: *Dominus Jeſus ſit cum Spiritu Tuo, mi Zuingli. Sed à quo auſpicarer, niſi ab eo cujus negotium tam fideliter exequeris, & cui, quem habes Spiritum, debes? Is itaque, quod agis, faciat perpetuò agas, & quia in Dei negotio to-*

tus versaris, commendo Tibi hunc juvenem nescio probiorem dicam an doctiorem? Juratissimum amicorum meorum, qui Spiritu, eóque, ne dubites, Sancto impellente, à factione Johannitarum, quos vocant, ad verum confugit Christianismum, dignus, qui resipiscentia sua à Te & Leone nostro, viro pariter sancto, solatia percipiat: Fac ut sentiat Christianum, à Christiano, Christiano, fuisse commendatum. Legi acta Tiguri inter Te & Fabrum: Gratularer Tibi, nisi Tu, quicquid id est, Christo, non Tibi acceptum referres. Quem Christum spiret animus Fabri, vel bubulus intelligit. Valeas in eo, quem confiteris Christum. Salutes amicos & maximè Leonem meum, 1523. d.10. Aprilis.

Ulma. ULMENSIUM Ministri, cum ipsa statim Reformatione Zuinglio faverunt, & ejus opera sæpius usi non obscura, suæ cum nostris amicitiæ documenta reliquerunt. Quid in usum & commodum Ecclesiarum Suevicarum Lindoviensis, Ravenspurgensis, Eslingensis, Augustanæ, Ulmensis Reformator præstiterit, vel Epistolæ ejus loquuntur impressæ. Quanti verò vicissim, qui *Ulmæ* in Dominica vinea laborârunt, fecerint Zuin-

Zuinglium, scire desideras? Jam anno 1522. Oecolampadius totam primæ Reformationis καταστροφὴν Zuinglio retexuit. *Salus frater. Si bene isthic omnia geruntur, gaudemus. Isthic sanè cuncta, Deo propitio aguntur, rectè quidem, sed perquàm lentè. Multos dies in solis concionibus, cùm in urbe, tum in agro absumpsimus, expectantes Bessererum, superioris anni consulem,* virum annis, authoritate, consilio, ac rerum experientia venerabilem, sine quo Senatus nihil attentat. Ubi autem de summa rerum omnium collocuti sumus, quas in articulos octo & decem constrinximus, vocati sunt, seorsim omnes Sacerdotes ac Monachi, & rogati, quid nam de illis sentiant, & num pro Christianis an pro hæreticis habendi, Senatum edoceant? Satis autem declarati erant per Bucerum. *Sed ferè omnes fatebantur suam imperitiam, tametsi nulli non, antea, nostros ut hæreticos vitâssent, traduxissent, & convitijs discerpsissent.* Duo præ alijs voluerunt resistere; Pastor Ecclesiæ Gislingensis, & Prior Prædicatoriæ factionis, nihil aliud objicientes, quàm quod solent, *Ecclesiam, Cæsaris edictum, non licere de fide disputare coram laicis,*

tametsi

tametsi nulla disputatio exigeretur, protestabantur item, se equidem scriptis acturos; sed judicium suum Universitatibus submissuros. Effugia illa Consul prima oratione omnia abstulerat, sed impudentes ac miseri ad eadem frustra confugiebant arma. Satis & majore quàm merebantur patientia auditos, Senatus; sic voce eos, qui huic negotio præerant, dimisit, qui postea de singulis constituendis, sequentibus diebus familiariter nobiscum egit, & ea majori Senatui exposuit, qui omnibus facilè subscripsit. *Itaque Missa in urbe ablegata est in perpetuum exilium. Imagines & altaria hoc triduo in præcipua AEde Parochiali diruuntur: Unde & in alia templa opifices descendent.* Consensum est in censuram Ecclesiasticam & civilem. Ceremoniæ nostrarum Ecclesiarum ritibus maximè erunt conformes. Monachi in ordinem redigentur, Scholę & Linguarum studia instituentur. Vocatus est ex Heidelberga Martinus Frēchtus, qui sacras literas, quas illic professus est, hîc prælegat. *Ulmensis est, piè eruditus, satísq; facundus & Linguarum non ignarus.* In rure non possunt principio omnia commodè institui. *Plebs enim rudior ac superstitio-*

ſtitioſior, ab indoctiſsimis ſacrificis dementata fuit. Examinati ſunt omnes, & pauciſsimi ad Miniſterium verbi idonei inventi: unde fideles operarij aliunde ad meſſem vocandi. Et Tu, ſi quos eximios nôſti vacantes, oramus, ut Conrado noſtro indices, quo impulſore accerſantur. Certè nihil eſt, quod in Senatu deſideretur; adeòque bona ſpes eſt, etiam cum Chriſtiana noſtra Civitate conciliandos non pœnitenda neceſsitudine. Bucerus Apologiam & conſtitutionem nunc meditatur, quibus approbatis, ſperamus nos domum remittendos. N.N. frigidiores, utpote ditiores: *Memmingenſes, qui etiam nos quotidie accerſunt, ferventius Evangelium amplectuntur.* Salutant Te ac Symmyſtas Blarerus, Bucerus, Somius ac Frechtus. *Saxones & Norici à nobis adhuc abhorrent; Suevicæ civitates non item.* Sed & Capito Zuinglium horum ſucceſſuum gnarum eſſe voluit. *Ulma* (ita 4. Julij 1531. ſcripſit) *nihil non ex ſententia ceſſit. Martinus Frechtus, ornamentum Heidelbergenſis Scholæ, prælegel illic ſacra. Vocatus eſt Græcus ab Ingolſtadio, juvenis timens Deum, ſi verè noſtri*

stri testantur, & reliqua ad literas bonas quoque adjumenta ibi instituta sunt. Repurgata sunt omnia templa in urbe, in agro, quem amplum habent, & omni eorum ditione; similiter Missa missionem inhonestam accipiet, aut fortè accepit interim. Nam octo fortè dies intercesserunt, ex quo Bucerus scripsit. Cras abibunt, qui ad exemplum urbis, agrum expurgent. Apologiam adversus adversariorum subdolam criminationem, quam subodorantur, scripserunt nostri, quæ editur nomine urbis; Senatus enim annuit. Facti ratio dum redditur, similiter stabilietur veritas. *Sacrificos habent mirè indoctos, qui se ferè Senatui permiserunt.* Nesciunt enim illud, justus sua fide vivit; fide Senatus vitam ac ventrem isti sustinebunt. Gislingensis Doctor confutationem Principum, vel Cæsaris potiùs, imò Eccij, adactus per Senatum, tandem obtulit. Cui nostri sermone responderunt; scribere fuisset molestius, & in re tam protrita tædio plenum. Et *paulò post* d.18. Julij ejusdem anni. Bucerus Ulmâ redijt, constituta illic feliciter Ecclesia. *Nam ut proximis scripsimus, ad nostrum morem eo loco antiquata sunt omnia Papistica, restituta vera religio.*

Quia

Quin & ipſe poſtea *Bucerus* domum reverſus Zuinglio ſcripſit, cauſámque Evangelicam, ſi fortè Ulmæ ex Eccij impudentia periclitaretur, commendavit. *Hodie* (Buceri verba repeto) *ſub horam decimam redditæ mihi literæ ſunt Chunradi Somij, Eccleſiaſtæ Ulmenſis, qui ut veritati ſeriò ſtudet, ita eſt Tu[illegible]bſervantiſsimus. Is ſignificat, ſe Tibi ſcripſiſſe, ſe ab Eccio ad congreſſum diſputationis provocatum. Interim autem Eccij literæ ad ſuum Senatum ſibi lectæ ſunt, quibus nihil aliud agit, quàm convitiatur impudentiſsimè & de Te*; der gottloß Zwingli alß der ſchuldig / hette nicht dörffen gen Baden kommen: *De Oecolampadio verò, Intercesſionem eum ſanctorum conceſſiſſe.* Petijt verò à Senatu, ut Minoritam ejectum, eo quòd fidei ſuæ rationem coram Senatu reddere noluerit, reſtituant, & ejiciant noſtrum hæreticiſsimum, qui auſus fuerit coram Senatu negare præſentiam carnalem Chriſti, quòd, niſi faciant, minatur, ſe coram Cæſare ipſos accuſaturum. Senatus noſtro literas ardelionis legit, & rogavit, quid ſibi faciendum putent, qui reſpondit, petere ſe, ut evocetur Ulmam audaculus ille, ſe paratum non ſolùm coram illo, ſed univerſis Theo-

Theognostis semel fidei suæ rationem reddere, quum sciat toto mundo, non tantùm strophis Eccij fortiorem Christum. Super hoc tum Senatus deliberet, si dies vociferatori illi dicatur; *petit noster virum Linguis & scripturarum scientia instructum, in tempore se diem indicaturum.* Sed nobis nemo ejusmodi est; si decernatur illis congressus: *Tuum erit (NB) adesse fidissimo Christi Ministro. Consolare virum, sanè egregiè in Domino fortem & constantem, cui, non dubito, Eccius nihil adimet, & de Eccio fac, quod Tibi fuerit consultum.* Habes, quæ amici nomine Tibi scribenda duxi &c. Quid, quòd ipse Ulmensium Consul, D. *Besseerus* prolixas ad Zuinglium die 3. Octob. 1531. adeóque paulò ante obitum, dedit literas, quibus & gratias Deo agit pro Papismo feliciter hactenus destructo, & Sacellanum ei suum, Tigurinum, vel Helvetium saltem, commendat, varijsque documentis affectum suum in Reformatorem nostrum exprimit. Quàm verò impensè Reformationem Zuinglius Ulmensium sibi sitgratulatus, quid in ea desiderârit, ex illa, quæ ad *somium* extat Epistola, lib. 4. p. 172. 6. Lector facile colliget.

Wirtenberga.

Quod verò vel magnificentius vel illustrius

ſtrius Zuinglius WITTENBERGA expectare potuiſſet elogium, quàm quod ipſe ei impertitus fuit Lutherus? Libro, quem de Sacerdotum conjugio conſcripſit Juſtus Jonas, Lutherus Epiſtolam præfixit, in qua *Zuinglium fortem Chriſti athletam* appellavit. Nempe γνησίῳ Reformatorem notavit χαρακτῆρι, quem alij poſtea conſtanter illi tribuerunt: Unde Bucerus fortiſsimum & cordatiſsimum eum vocare amavit. Hornbeckius etiam noſter *cordatum* καθ' ἐξοχὴν appellavit, præfat. ad Lector. Inſtit. Theolog. Quid, quòd Johannes Brunnerus, ex Apoſtata Profeſſor Ingolſtadienſis, literis 1574. ad ſuos ſcriptis, Zuinglium fortiſsimum appellavit civem, ſive conterraneum, eúmque precharum.

VVirtenberga. SERENISSIMus Princeps WIRTENBERGicus, Huldricus, & frequenter, & familiariter noſtro ſcripſit, tum de alijs, tum de ijs etiam, quæ ad reformatæ Eccleſiæ ſalutem communem ſpectare videbantur. Autographa ipſa, veluti κειμήλια, in Bibliotheca noſtra, juſto ſatis numero, aſſervamus; quibus cum conferri poſſunt Epiſtolæ Zuinglij typis vulgatæ.

Gallia. L. GALLIAM, ut vicinam noſtris ſitu, Zuinglio à primis reformationis fundamen-

tis fuisse propitiam, multis comperimus monumentis. Illud illustre opinamur, quod, ex autographo, tale est: Jesus Christus! Gratia & pax à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo. Antonius Dubletus, vir utrique nostrum, imò pijs omnibus in Christo conjunctissimus, à vobis rediens Tuas mihi reddidit literas, plenas pij veréque Christiani affectus: *simúlque nobis aperuit, quantum per Te Sanctum Evangelium suum promoveat, quam ut in Te, optime Zuingli, gratiam sua miseratione Deus per Christum confirmet, indiésque augeat, quàm enixissimè obsecramus. Equidem dicere non possum, quanto gaudio, quantáque consolatione exultaverit, liquefactáque sit anima nostra, dum accipimus, Principem Helvetiorum pagum, Tigurinos tuos, bellis cædibúsque natos, ferasque potiùs quàm homines conjunctam hanc sceleratissimæ crudilitati sceleratiorem avaritiam ad sincerùm Evangelij verbum semel exuisse, bonáque fide, (eo præsertim tempore, quo ex funesta hac exercitatione uberrimus quæstus rediret) Christo Domino veræ pacis authori Sacramentum dixisse. Verè potens*

est

est Deus, ex lapidibus istis suscitare filios ipsi Abrahæ. Hócque inprimis mirabile in oculis nostris per verbum suum Dominus effecit: Quanquam quid mirabile esse potest, immensam illam bonitatem reputanti, præter ipsum mirabilium effectorem Dominum? Cæterùm, illud impletùm nos videmus, ut primi sint, qui erant novissimi: Ita in nobis ludente, stultúmque faciente prudentiam hominum, Deo, apud quem, quod hominibus sanctum, excelsumque est, abominatio, detestatióque habetur: Minore negotio tuorum, quamlibet inquinatas, fraternóque sanguine stillantes manus, Verbum Domini, quod omnia purificat, emundavit. Facilius in efferatos bellis animos gladio utrinque incidente penetrabilior vivus sermo Dei trajecit; quàm in nostrorum civiles mores ceremonijs, ritibúsque superstitiosis speciosam vitam irrumpere potuerit. Væh, væh justitijs nostris, impiæque pietati nostræ. *Cum tota nostra Dæmoniaca prudentia, cum superstitiosa religione tot cænobijs, tot Scholis, tot templis, simulachris, ritibus, Jejunijs, votis obduramus in iniquitatibus nostris, Deúmque exacerbamus, quique nos Abrahæ filios*

lios exiſtimabamus, & gloriabamur, videmus ab Oriente & Occidente congregari, qui cum Abraham & Iſaac accumbant, nos autem excludi foras. Quódque vehementiſsimè dolendum eſt, tanta hypocriticæ hujus juſtitiæ vis, tam craſſum, ſpecioſúmque tectorium eſt, ut noſtrorum oculi latentem ſub his impuritatem, pervidere non poſſint. Tam multos præterea Romanenſe illud Idolum ſatellites omnis generis ſibi apud nos comparavit, ut nuſquam aut plures, aut potentiores, aut verſutiores, quos tametſi Deus contriturus ſit cum illorum principe Antichriſto, plurimum tamen Chriſto, ex Ægypto redeunti, negotij exhibent, eóque rem adduxere, ut (quæ ſumma certiſsimáque Chriſtiano ſpes eſt) nihil hac in re ab homine quoquam expectari poſsit. Interim, nihiloſecius ſuæ Domino reliquiæ ſalvæ ſunt, indiéſque credentium numerus augetur, qui pro ſe quisque, quo adlicet, Chriſti negotium promovent, in omnéſque occaſiones intenti; qua feneſtra aperitur; ſacrum hoc incendium vibrant, quámque poſſunt latiſsimè ſpargunt. Supereſt, optime Zuingli, ut Tuis Tuorúmque nos exhortationibus precibúſque adjuves. Nóſque

que viciſsim Deum Patrem obteſtemur, per Jeſum Chriſtum, ut magis ac magis verbo ſuo ſucceſſum in ſuorum cordibus præbeat. ſalvere jubebis in Domino Leonem, Myconium, Eccleſiámque quæ apud vos eſt. Oſculantur Te in Domino Michael Aranda, Eleemoſyn. Alencon. Sagiens. Dampetrus, Sevinus, Matthæus, præſes Aurelian. Petrus Amicus, vir egregiè doctus & Chriſtianus, omnéſque qui ſunt Chriſti. Gratia & Pax Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Non. Octob. Lugduni. *E re Chriſtiana eſſe Dubleto & mihi videtur, ſi Ludovicæ Andium Cenomanorum Anglolismorúmque Duci, Chriſtianiſsimi Regis matri, librum de vera & falſa religione, quem ſcripturum Te recepiſti, dicaveris.* Quas cauſas florentiſsimum Galliarum Regnum publicè compellandi Reformator habueris, ipſe in Præfatione expoſuit. Encomium certè, quo Papilio, memoratâ modò Epiſtolà, Regiam ornavit aulam, non poſtremum eſſe poterat argumentum, id ſolenni teſtandi προσφωνησιν, quod longa annorum conſuetudine erat obſervatum. Hæc enim de Galliæ Proceribus Papilionis erant verba. *Quod ad Regem ſpectat, excellenti*

quidem

quidem non minus ille judicio est, quàm fortuna: Verùm (ut nunc est rerum status) multitudine negotiorum obruitur: Ad hoc, quod plerisque omnibus nostrum ingenium est, foro utitur: impotentiaq; Behemot illius cedere cogitur interdum: quanquam si mihi ea esset authoritas (quam Tu fortè existimas) apud illum: prius, me authore, súsque déq; omnia misceret, profundasque maris voragines pedibus ingrederetur, Christum Ducem unum sequens omni in illum unum spe projecta: quàm ad Pharonem illum vel tantillum respiceret. Affuturum tamen non desperamus Dominum, qui quod in Christianissimo Rege capit, perficiat. Nam & Clarissima mater rectè sapit, supráque fœminarum nostratium consuetudinem superstitionibus vacat. Soror verò Regis, Alenconij & Biturigum Dux, nescio an quenquam parem habet; ita me Deus juvet, ut in illa vigere, vivere spiraréque illum existimo, existimantque, qui Dei sunt apud nos. Monitus ergo & invitatus Zuinglius pio & sancto illicio Galliam initio statim Reformationis attrahere,

re, & melioribus vindicare voluit ſtudijs: Cur verò Filio potiùs, quàm Matri inſcriptum voluerit egregium *de vera & falſa Religione* tractatum, ex illis facile eſt conjicere rationibus, quarum ipſe meminit Zuinglius, T. II, p. 589. b. ad Johannis Fabri non transmiſ. Epiſt. reſponſ. *Galliarum Regi non mea impudentia confiſus; ſed fidei ſimul & fidelium amore motus ſcripſi. Incitârunt me homines boni & prudentes, qui quantum boni hinc conſciturum ſit, probè nôrunt. Hoc ipſum nunc quidem tu ignoras, ſed brevi fortaſsis re ipſa experieris.* Cúmque, ut literis non minùs ſu ſemper fuerunt oſores, quàm literatis περίεργοι roſores, illicitum muneris aucupium dedicationem illam Faber interpretaretur; *Commentarios meos* (reſpondit Zuinglius) *Galliarum Regi, non ut coronatos ab illo venarer, dedicavi. Si enim hos reſpicere voluiſſem, unâ horâ plus accepiſſem, quàm Tibi intra ſexennium à Ferdinando numeratur. Sed lupi mihi ingenium referre videris, qui cùm carnibus mirè delectetur, omnia reliqua animalia ijſdem veſci arbitratur.* Papilionis Epiſtolæ oſtendimus affinem al-

teram, quæ in ipsis habetur Zuinglij Epistolis l. 4. p. 19. Doctæ nempe & amicæ Zuinglij ad Gratiano-politanum Ministrũ, *Petrum Sebiuillam*, satis probant a. Ch. 1523. exaratæ literæ, quanti Petrus non modò; sed & *Annemundus Coctus*, Vir ut genere doctrináque clarus, ita pietate humanitatéque longè clarior, Reformatorem fecissent, quidque de eo sibi essent polliciti. De *Lamberto Avenionensi*, ex annalibus nostris constat, Tigurum eum concessisse, ut cum Zuinglio de religione conferret. Præcessit *Berchtoldi Halleri* comendatio an. Chr. 1522. eaque talis: *Singularis Tua humanitas, cujus omnes implevisti erga me numeros, & hujus boni fratris Franciscani sanctum concionandæ veritatis institutum, quasi suo jure aliquid literarum à me exigere videntur, quæ mei memoriam apud Te foveant, nec tam planè apud Te frigescere patiantur. Mea autem cautio esse debet, ne diutiùs quàm par est, Te hominem, ut audio, occupatissimum obtundam. Itaque rem ipsam in pauca conferam.* Pater ille Franciscanus, & nihil minus quàm Monachus, Concionator tamen Apostolicus & Generalis Conventus Avenionensis ad quinquennium jam fermè docendæ

cendæ veritatis Chriſtianæ officio functus, Gebennis, Lauſannæ coram Epiſcopo, Friburgi, & jam Bernæ, Latino tamen ſermone concionatus eſt noſtris ſacrificulis, nondum ex omni parte in re Chriſtiana ſanis, de Eccleſia, Sacerdotio, Sacrificio & Miſſa. Rurſus de Romanorum Pontificum Epiſcoporum traditiunculis, de ordinum & religioſorum fatuis, & plenè hypocriticis ſuperſtitionibus, cæteriſque multis, quibus omnibus nonnihil profuit. *Non quòd hæc à nobis aliena ſint, verùm, à tali homine, Franciſcano, obſervante, Gallo (quæ omnia in mare ſuperſtitionum confluere faciunt) inaudita videbantur. Is igitur totam peragrabit Germaniam, & itinere ad Tigurum accinctus, petijt ut Tibi eum commendarem.* Non dubito, quin pro Tua in me humanitate, eum humaniſsimè ſis tractaturus. Ipſe mox videbis cujus ingenij, doctrinæ & eruditionis ſit. Illa cumprimis ſcopo noſtro, poſt Papilionis ſuprà recitatam, inſervit Epiſtola, quam anno Chr. 1525. *Farellus* ad Zuinglium exaravit. Gratia & pax à Deo Patre noſtro. Si unquam ſeſe obtulit lætitiæ & gaudij ratio, propter perſecutiones, ejectiones, & ficta in pios mendacia ob Chriſtum, nunc quàm maximè. Nam quid,

 quæſo,

quæso, intentatum relinquunt impij? Scire velim vel unam rimulam superesse, qua pios aggredi possint, quam non sint perscrutati. Verùm, si Deus pro nobis, quis contra nos? *Gratulor Tibi hanc Tuæ fidei probationem, & perseverantem in Te Christum, per quem stas, in quo æternum perdures, gratiam agnoscens, quanta in Te sit, ac Tuas vires Christo & divinæ gratiæ, quod suum est, tribuas, Tuisq; viribus quod oportet.* Ut sit Deus, Deus; & homo homo. Ea sunt tempora, ut ab amicis sit quàm maximè timendum, Per inimicos pius nunquam dejicietur: quicquid sævi moliuntur hostes, nobis in bonum cedit, nec contumelijs superbit, nec intenta sibi morte se fidit. Suspirare ad Patrem docent persecutores, unde mira Dei & bonitas, & clementia in filios agnoscitur, qui cum pretiosum illum gestent thesaurum in vasis fictilibus, pressuris adiguntur, ne temerè pergant; quas qui fugiunt nolentes Christi crucem ferre, quid, malum, cæcitatis & impietatis non incurrerunt? Videmus, quàm fædè non pauci à Christo ad Antichristum defecerunt, dum ventri magis & quieti student, quàm gloriæ Dei: Prius horrenda ob oculos erant, quæ & nunc sunt divinæ ultionis iræ exem-

pla,

pla , de quibus an reſipiſcentiæ aliqua ſit ſpes, neſcio: Videmus, quid ſit veritatem diſsimulare , Deo & hominibus unâ inſervire velle, in quot protrudat fœdiſsimos lapſus. Quid denique non ſuſcipiat defendendum, quàm difficile errorem aut fateatur aut agnoſcat nominis parandi amor, aut retinendæ authoritatis ſtudium. Sunt quos nemo non putâſſet ipſiſsimum Spiritum, qui tamen toti in carnem abierunt , ſecum non paucos pertrahentes in perniciem, &c. *quòd, cùm Te non fugiat, fratres ad mone non efferri, ſed cum timore verbum miniſtrare, reputáreque apud ſe, quid alijs obtigerit , ut omni cura videant ne cadant, quod non dubito Te & facere, & facturum. Adnitere, quæſo, pro viribus, ut hac via miſera Galliæ aliquid ſuboriatur lucis.* Et an. Chr. 1528. Chriſtophorum Gallum Zuinglio commendavit, ut in ijs quæ Miniſterij ſunt, hominem inſtrueret. *Poteris* (ita inter alia) *& hujus admonere Bertholdum, ut à multis inſtructus aptior veniat, quo unanimes ſic diſſeminemus verbum ad multorum ſalutem. ut barbara hac gente, quod ſupereſt cultioris Galliæ, ad pietatem provocetur. Quandoquidem ſic aſſolet magnus*

gnus orbis Rector à desperatissimis exordia sumere. Alijs opus esset Ministris; sed extrudet eos Dominus, in, qua re, si eos juvare potes, labora quæso. Evangelium reciperent multò plures, nî comes crux esset. *Vale, Vir Dei, & semper clariorem, gratia Dei, quæ Tibi adest, redde Ecclesiam.* Christophorus Ballista Parhisiensis; qui *amicus, frater, humilimus discipulus Zuinglij* appellari voluit; ubi Tigurum venit, salutandi Zuinglij veniam sequenti formula rogavit. *Ardens, summúmque desiderium me rapit videndi Tui, doctissime Uldrice, cùm ob publicam famam, quâ jam pridem edoctus sum, esse Te mirificum Evangelicæ veritatis propagatorem, tum quòd tuo mihi consilio opus est, ad rem quampiam, quam paro. Tui candoris erit Germanique animi, me quantumvis Gallum & barbarum in Tuum colloquium admittere, tempúsque præfigere, quo citra ullam Tuorum & studiorum, vel domesticorum negotiorum jacturam convenire Te possim. Id ut facias etiam atque etiam Te hortor. Hominem me agnosces absque ullo fuco niveum, & aperti,*

aperti feneſtratique pectoris. Vale & vive felix. Ut ex alia ejuſdem colligo Epiſtola, obtulit ille ſuam in Profeſsione Philoſophica operam; poſtea à Farello ad præconium Evangelij vocatus. Ante jam, cùm adhuc in Eremo viveret Zuinglius, fama ejus ita Lutetiam penetravit, ut non æſtimatores tantùm ibi eruditionis & humanitatis haberet, ſed & admiratores. Magiſter Academiæ Pariſienſis, commendatione Neſeni munitus, Zuinglij amicitiam in ipſa etiam Eremo quæſivit. Neſeni literæ non indignæ ſunt luce, tum ob eruditionis varietatem, tum rerum, quas referunt, novitatem. *Scripſi Tibi* (Zuinglium affatur) *non admodùm pridem literas latiores veriùs quàm doctas, ſed vereor ut ex fide Tibi ſint reddita: Videbatur enim tabellio, cui id dabam negotij, temulentior. Sed ut ut ſit, non vacat in præſentiarum eandem rurſus agere tragædiam. Illud unum ex Te peto, nec tamen pro meo veluti jure accipias velim, ut quoties ad nos commodè Tibi fuerit oblata ſcribendi occaſio, ne illam præterlabi patiaris, hoc namque fiet, ut Udalrici mei refrices mihi ſæpius memo-*

riam

riam, tametsi nunquam non oculis obversetur. Hic, qui ad Te has meas denuo perferet nugas, Magister est Academiæ Parrhisiensis, Vir, quantum cernere datur, non usque quaque indoctus, nec, ut est in usu quibusdam hujusce generis hominibus, moribus illaudatis, petiitque ex me, simulatque inaudiverat, inter nos esse mutuæ amicitiæ commercium, ut non committerem, quin literis Te salutarem, ac hijs ipsis insererem, siquid esset apud vos religionis commendatione præclarnm, ut illius sibi per Te fieret inspiciundi copia, hac siquidem potissimum gratiâ isthic vos adijt, quod Te, qua es humanitate, haud gravatim confido facturum. *Et ipse in vicem referet Tibi bellum hisce diebus proximis in Hollandia confectum, in quo reliquiæ Lancariorum, qui, ut auguror, in hoc ab Helvetijs servati sunt quò turpius perirent, ad unum universa deleta sunt. Vale, doctissime Uldalrice, & si quando Beato Rhenano Germaniæ nostra decori unico scripseris, fac ut me illi quàm diligentissimè commendes.* Quam intelligat superioribus literis Tragædiam, paulò diligentius investigandum videtur. Neque enim lectione indignas censere debemus

bemus, quas non ſine moleſtia, operoſa ſcriptione, viri eruditi dignas æſtimârunt temporum ſuorum Hiſtorias. Agebatur Lutetiæ de abrogatione *Pragmaticæ Sanctionis*, quæ ſudes ſemper fuit in oculis Pontificum, quæ, quo plebis applauſu excepta ſit, ipſe quoque in literas retulit ad an. Chr. 1516. *Genebrardus. Anno* (inquit) 1516. *abrogata eſt in Galliis Pragmatica Sanctio, & Concordata, ut vocant, ſubſtituunt, frement e univerſo clero, Scholaſticis, populo, bonis denique & doctis omnibus.* Eandem & vidit, & prolixè ad Zuinglium perſcripſit tragædiam, ſtylo ſatis eleganti; ſalibus tamen & jocis per mixto. Meretur & hæc Epiſtola, ob Synchroniſmum maximè, cujus hoc loco habeatur ratio. Et quia Cyprianum (Venetũ nî fallor, doctrina magis, quàm celebritate nominis clarũ) eadem Epiſtola graphicè depingit, tantò majorem apud Philohiſto rem gratiã nos inituros ſperamus, *Ita ergo Neſenus.* Quòd me felicem prædicas, cui contigerit ſub Cypriano, viro non literis ſolùm ac morum integritate, verùm etiam rara prudentia, miróque rerum uſu inſigni, mereri, non mea magis eſt felicitas, eruditiſsime Udalrice, quàm meliorum literarum omnium, quibus tantus effulſerit patronus, ut eas à ſitu

&

& Barbaris toto terrarum orbe enixissimè ne effloreſcant, reſiſtentibus, in priſtinam aſſerat libertatem. Nam talis eſt, ut, quod ſentio, tribus verbis dicam, qualem alterum vix habet Gallia, etiamſi Budæus omnium doctiorum calculis primas teneat. Siquidem Cyprianus nullum hactenus edidit ingenij ſui ſpecimen, ob id quoque famæ non perinde celebris. Et hos ego verè doctos exiſtimo, non qui tribus mendis in authore quopiam haud dilutæ authoritatis animadverſis, ſoleant ſuum erga ſtudioſos quaſi exprobrare beneficium, ac ſic geſtire, ſic triumphare, tanquam denuo Babylona cœperint, ſed qui cum divina eruditione, mores conjunxerint pares, &, quod facio plurimi, omni faſtûs nota careant, qui, ſi uſpiam, certè Cyprianus meus eſt. Jam, quod ſcribis, Te ab illorum deſciviſſe opinione, qui fædus cum Gallis veſtris ſperant confore, laudo plurimum. Sed vide, ornatiſsime Udalrice, ne Te quoque ſicut pleroſque Tuæ conditionis Helvetiorum, pecunia tandem tranſverſum rapiat, ac Gallo-Helvetij ad ſuas Te traducant partes: Quem non iſta Tua facundia adeò exquiſita, popularis tamen, exoculaverit? Quem non à recto detorſerit, etiam munitam? Sed aliud longè nobis Tuus pollicetur

tur animus, nullis hactenus precibus, nullis minis & nullo (munerum) reſpectu, ut illis acquieſceret, expugnabilis. Aliud promittit tua humanitas, quę poſsit & velit prodeſſe, etiam immerenti. Ad hæc nimirum intelligis multò melius conſultum Helvetijs, ſi bellis iſtis inſanis renunciantes domi agros colerent, id quod illis tum laudis, tum fructus plus apud exteros conciliaret. Sed ut Tibi quoque remittam literas non uſque quaque novarum rerum immunes, accipe, quem apud nos tumultum hiſce diebus proximis Pragmaticæ Sanctionis concitârit abrogatio. Rex Galliarum, quò ſimili arte (ſic quaſi per tranſennam fore perſpicio) Neapolim Hiſpanis ſubductam, regno ſuo adjiciat, Pontifici Romano efflictim ſic petenti, Pragmaticam ſanctionem obtulit; quam Leo non gravatim recepit, & cùm iſtius edicti tempus appeteret divulgandi, res per publicum urbis Lutetiæ Officialem promulgabatur: Concurrerunt ſtudioſi (ut fit) aliquot, quid præconis verba ſibi velint auſcultaturi, & ſimulatque ſuę ſanctionis acceperunt interitum, eductis gladijs præconem impetebant, ipſe verò hoc in ſolenti vultu admodùm territus, ex aſina delapſus fuga vitæ conſuluit; aſina, quæ tantum

 curſu

teram, quæ in ipsis habetur Zuinglij Epistolis l. 4. p. 19. Doctæ nempe & amicæ Zuinglij ad Gratiano-politanum Ministrũ, *Petrum Sebi. ll am*, satis probant a. Ch. 1523. exaratæ literæ, quanti Petrus non modò; sed & *Annemundus Coctus*, Vir ut genere doctrináque clarus, ita pietate humanitatéque longè clarior, Reformatorem fecissent, quidque de eo sibi essent polliciti. De *Lamberto Avenionensi*, ex annalibus nostris constat, Tigurum eum concessisse, ut cum Zuinglio de religione conferret. Præcessit *Berchtoldi Halleri* comendatio an. Chr. 1522. eaque talis: *Singularis Tua humanitas, cujus omnes implevisti erga me numeros, & hujus boni fratris Franciscani sanctum concionandæ veritatis institutum, quasi suo jure aliquid literarum à me exigere videntur, quæ mei memoriam apud Te foveant, nec tam planè apud Te frigescere patiantur. Mea autem cautio esse debet, ne diutiùs quàm par est, Te hominem, ut audio, occupatissimum obtundam. Itaque rem ipsam in pauca conferam.* Pater ille Franciscanus, & nihil minus quàm Monachus, Concionator tamen Apostolicus & Generalis Conventus Avenionensis ad quinquennium jam fermè docendæ

cendæ veritatis Chriſtianæ officio functus, Gebennis, Lauſannæ coram Epiſcopo, Friburgi, & jam Bernæ, Latino tamen ſermone concionatus eſt noſtris ſacrificulis, nondum ex omni parte in re Chriſtiana ſanis, de Eccleſia, Sacerdotio, Sacrificio & Miſſa. Rurſus de Romanorum Pontificum Epiſcoporum traditiunculis, de ordinum & religioſorum fatuis, & plenè hypocriticis ſuperſtitionibus, cæteriſque multis, quibus omnibus nonnihil profuit. *Non quòd hæc à nobis aliena ſint, verùm, à tali homine, Franciſcano, obſervante, Gallo (quæ omnia mare ſuperſtitionum confluere faciunt) inaudita videbantur. Is igitur totam peragrabit Germaniam, & itinere ad Tigurum accinctus, petijt ut Tibi eum commendarem.* Non dubito, quin pro Tua in me humanitate, eum humaniſsimè ſis tractaturus. Ipſe mox videbis cujus ingenij, doctrinæ & eruditionis ſit. Illa cumprimis ſcopo noſtro, poſt Papilionis ſuprà recitatam, inſervit Epiſtola, quam anno Chr. 1525. *Farellus* ad Zuinglium exaravit. Gratia & pax à Deo Patre noſtro. Si unquam ſeſe obtulit lætitiæ & gaudij ratio, propter perſecutiones, ejectiones, & ficta in pios mendacia ob Chriſtum, nuncquàm maximè. Nam quid,

quæſo, intentatum relinquunt impij? Scire velim vel unam rimulam ſupereſſe, qua pios aggredi poſsint, quam non ſint perſcrutati. Verùm, ſi Deus pro nobis, quis contra nos? *Gratulor Tibi hanc Tuæ fidei probationem, & perſeverantem in Te Christum, per quem ſtas, in quo æternum perdures, gratiam agnoſcens, quanta in Te ſit, ac Tuas vires Christo & divinæ gratiæ, quod ſuum eſt, tribuas, Tuísq; viribus quod oportet.* Ut ſit Deus, Deus; & homo homo. Ea ſunt tempora, ut ab amicis ſit quàm maximè timendum. Per inimicos pius nunquam dejicietur: quicquid ſævi moliuntur hoſtes, nobis in bonum cedit, nec contumelijs ſuperbit, nec intenta ſibi morte ſe fidit. Suſpirare ad Patrem docent perſecutores, unde mira Dei & bonitas, & clementia in filios agnoſcitur, qui cum pretioſum illum geſtent theſaurum in vaſis fictilibus, preſſuris adiguntur, ne temerè pergant: quas qui fugiunt nolentes Chriſti crucem ferre, quid, malum, cæcitatis & impietatis non incurrerunt? Videmus, quàm fædè non pauci à Chriſto ad Antichriſtum defecerunt, dum ventri magis & quieti ſtudent, quàm gloriæ Dei: Prius horrenda ob oculos erant, quæ & nunc ſunt divinæ ultionis iræ exem-

pla,

pla, de quibus an reſipiſcentiæ aliqua ſit ſpes, neſcio: Videmus, quid ſit veritatem diſsimulare, Deo & hominibus unâ inſervire velle, in quot protrudat fœdiſsimos lapſus. Quid denique non ſuſcipiat defendendum, quàm difficile errorem aut fateatur aut agnoſcat nominis parandi amor, aut retinendæ authoritatis ſtudium. Sunt quos nemo non putâſſet ipſiſsimum Spiritum, qui tamen toti in carnem abierunt, ſecum non paucos pertrahentes in perniciem, &c. *quòd, cùm Te non fugiat, fratres ad mone non efferri, ſed cum timore verbum miniſtrare, reputáreque apud ſe, quid alijs obtigerit, ut omni cura videant ne cadant, quod non dubito Te & facere, & facturum. Adnitere, quaſo, pro viribus, ut hac via miſera Gallia aliquid ſuboriatur lucis.* Et an. Chr. 1528. Chriſtophorum Gallum Zuinglio commendavit, ut in ijs quæ Miniſterij ſunt, hominem inſtrueret. *Poteris* (ita inter alia) *& hujus admonere Bertholdum, ut à multis inſtructus aptior veniat, quo unanimes ſic diſſeminemus verbum ad multorum ſalutem. ut barbara hac gente, quod ſupereſt cultioris Galliæ, ad pietatem provocetur. Quandoquidem ſic aſſolet magnus*

gnus orbis Rector à desperatissimis exordia sumere. Alijs opus esset Ministris; sed extrudet eos Dominus, in, qua re, si eos juvare potes, labora quæso. Evangelium reciperent multò plures, nî comes crux esset. *Vale. Vir Dei, & semper clariorem, gratia Dei, quæ Tibi adest, redde Ecclesiam.* Christophorus Ballista Parhisiensis; qui *amicus, frater, humilimus discipulus Zuinglij* appellari voluit; ubi Tigurum venit, salutandi Zuinglij veniam sequenti formula rogavit. *Ardens, summúmque desiderium me rapit videndi Tui, doctissime Uldrice, cùm ob publicam famam, quâ jam pridem edoctus sum, esse Te mirificum Evangelicæ veritatis propagatorem, tum quòd tuo mihi consilio opus est, ad rem quampiam, quam paro. Tui candoris erit Germanique animi, me quantumvis Gallum & barbarum in Tuum colloquium admittere, tempúsque præfigere, quo citra ullam Tuorum & studiorum, vel domesticorum negotiorum jacturam convenire Te possim. Id ut facias etiam atque etiam Te hortor. Hominem me agnosces absque ullo fuco niveum, & aperti*

aperti feneſtratique pectoris. Vale & vive felix. Ut ex alia ejuſdem colligo Epiſtola, obtulit ille ſuam in Profeſsione Philoſophica operam; poſtea à Farello ad præconium Evangelij vocatus. Ante jam, cùm adhuc in Eremo viveret Zuinglius, fama ejus ita Lutetiam penetravit, ut non æſtimatores tantùm ibi eruditionis & humanitatis haberet, ſed & admiratores. Magiſter Academiæ Pariſienſis, commendatione Neſeni munitus, Zuinglij amicitiam in ipſa etiam Eremo quæſivit. Neſeni literæ non indignæ ſunt luce, tum ob eruditionis varietatem, tum rerum, quas referunt, novitatem. *Scripſi Tibi* (Zuinglium affatur) *non admodùm pridem literas latiores veriùs quàm doctas, ſed vereor ut ex fide Tibi ſint reddita: Videbatur enim tabellio, cui id dabam negotij, temulentior. Sed ut ut ſit, non vacat in præſentiarum eandem rurſus agere tragædiam. Illud unum ex Te peto, nec tamen pro meo veluti jure accipias velim, ut quoties ad nos commodè Tibi fuerit oblata ſcribendi occaſio, ne illam præterlabi patiaris, hoc namque fiet, ut Udalrici mei refrices mihi ſæpius memo-*

riam

riam, tametsi nunquam non oculis obversetur. Hic, qui ad Te has meas denuo perferet nugas, Magister est Academiæ Parrhisiensis, Vir, quantum cernere datur, non usque quaque indoctus, nec, ut est in usu quibusdam hujusce generis hominibus, moribus illaudatis, petiitque ex me, simulatque inaudiverat, inter nos esse mutuæ amicitiæ commercium, ut non committerem, quin literis Te salutarem, ac hijs ipsis insererem, siquid esset apud vos religionis commendatione præclarnm, ut illius sibi per Te fieret inspiciundi copia, hac siquidem potissimum gratiâ isthic vos adijt, quod Te, qua es humanitate, haud gravatim confido facturum. *Et ipse in vicem referet Tibi bellum hisce diebus proximis in Hollandia confectum, in quo reliquiæ Lancariorum, qui, ut auguror, in hoc ab Helvetijs servati sunt quò turpius perirent, ad unum universæ deletæ sunt. Vale, doctissime Uldalrice, & si quando Beato Rhenano Germaniæ nostræ decori unico scripseris, fac ut me illi quàm diligentissimè commendes.* Quam intelligat superioribus literis Tragædiam, paulò diligentius investigandum videtur. Neque enim lectione indignas censere debemus

bemus, quas non sine molestia, operosa scriptione, viri eruditi dignas æstimârunt temporum suorum Historias. Agebatur Lutetiæ de abrogatione *Pragmaticæ Sanctionis*, quæ sudes semper fuit in oculis Pontificum, quæ, quo plebis applausu excepta sit, ipse quoque in literas retulit ad an. Chr. 1516. *Genebrardus.* *Anno* (inquit) 1516. *abrogata est in Galliis Pragmatica Sanctio, & Concordata, ut vocant, substituunt, fremente universo clero, Scholasticis, populo, bonis denique & doctis omnibus.* Eandem & vidit, & prolixè ad Zuinglium perscripsit tragædiam, stylo satis eleganti; salibus tamen & jocis per mixto. Meretur & hæc Epistola, ob Synchronismum maximè, cujus hoc loco habeatur ratio. Et quia Cyprianum (Venetũ nî fallor, doctrina magis, quàm celebritate nominis clarũ) eadem Epistola graphicè depingit, tantò majorem apud Philohisto rem gratiã nos inituros speramus. *Ita ergo Nesenus.* Quòd me felicem prædicas, cui contigerit sub Cypriano, viro non literis solùm ac morum integritate, verùm etiam rara prudentia, miróque rerum usu insigni, mereri, non mea magis est felicitas, eruditissime Udalrice, quàm meliorum literarum omnium, quibus tantus effulserit patronus, ut eas à situ

&

& Barbaris toto terrarum orbe enixissimè ne effl orescant, resistentibus, in pristinam asserat libertatem. Nam talis est, ut, quod sentio, tribus verbis dicam, qualem alterum vix habet Gallia, etiamsi Budæus omnium doctiorum calculis primas teneat. Siquidem Cyprianus nullum hactenus edidit ingenij sui specimen, ob id quoque famæ non perinde celebris. Et hos ego verè doctos existimo, non qui tribus mendis in authore quopiam haud dilutæ authoritatis animadversis, soleant suum erga studiosos quasi exprobrare beneficium, ac sic gestire, sic triumphare, tanquam denuo Babylona cœperint, sed qui cum divina eruditione, mores conjunxerint pares, &, quod facio plurimi, omni fastûs nota careant, qui, si uspiam, certè Cyprianus meus est. Jam, quod scribis, Te ab illorum descivisse opinione, qui fædus cum Gallis vestris sperant confore, laudo plurimum. Sed vide, ornatissime Udalrice, ne Te quoque sicut plerosque Tuæ conditionis Helvetiorum, pecunia tandem transversum rapiat, ac Gallo-Helvetij ad suas Te traducant partes: Quem non ista Tua facundia adeò exquisita, popularis tamen, exoculaverit? Quem non à recto detorserit, etiam munitam? Sed aliud longè nobis Tuus pollicetur

tur animus, nullis hactenus precibus, nullis minis & nullo (munerum) reſpectu, ut illis acquieſceret, expugnabilis. Aliud promittit tua humanitas, quę poſsit & velit prodeſſe, etiam immerenti. Ad hæc nimirum intelligis multò melius conſultum Helvetijs, ſi bellis iſtis inſanis renunciantes domi agros colerent, id quod illis tum laudis, tum fructus plus apud exteros conciliaret. Sed ut Tibi quoque remittam literas non uſque quaque novarum rerum immunes, accipe, quem apud nos tumultum hiſce diebus proximis Pragmaticæ Sanctionis concitârit abrogatio. Rex Galliarum, quò ſimili arte (ſic quaſi per tranſennam fore perſpicio) Neapolim Hiſpanis ſubductam, regno ſuo adjiciat, Pontifici Romano efflictim ſic petenti, Pragmaticam ſanctionem obtulit; quam Leo non gravatim recepit, & cùm iſtius edicti tempus appeteret divulgandi, res per publicum urbis Lutetiæ Officialem promulgabatur: Concurrerunt ſtudioſi (ut fit) aliquot, quid præconis verba ſibi velint auſcultaturi, & ſimulatque ſuę ſanctionis acceperunt interitum, eductis gladijs præconem impetebant, ipſe verò hoc in ſolenti vultu admodùm territus, ex aſina delapſus fuga vitæ conſuluit; aſina, quæ tantum

 curſu

cursu non poterat, nec consilium latibula prospiciendi aderat, totam belli calamitatem sola sustinuit. Siquidem simile accidit, quod in passionis Historia Malcho cuidam accidisse dicitur. Postridie, collectis satellitibus, eandem tragaediam excitaturis, obvij facti sunt ex studiosis non ita multi, & tamen ad pugnam nec illo die ventum est, retrocedentibus Ministris publicis, quorum erant numero, quantum conjicere potui, ferè quadringenti. Sed illo ipso die Regis nomine demandabant civibus universis, quo postero die, circa horam diei decimam armis bene instructi pugnæ adessent futuræ: Nam jam tum ad periculum vergere videbatur, confluxerunt ad octo fermè hominum millia, atque sic erat negotij facies, ut ex hoc putarem confore propemodum, ut funditus cuncta Collegia subverterentur; sed longè ipse belli eventus meam vicit opinionem. Fingebam in animo congredientium utrinque furorem, pugnantium clamorem, & denique hastas, gladios, pugiones, sanguine humano, atque adeò civili respersos, fædum morientium aspectum, & reliquam bellantium insaniam; sed quid acciderit, parumper ausculta. Jam instructa erat in foro civium acies, bombardæ suis orbibus refertæ, & procedebat Gallicæ juventutis peditatu

tatus, intermixtis in loco anteſignanis ducibus: at poſtquam ad id loci ventum erat, ubi magna periculi pars iminere credebatur, ex univerſa turba, robore prę alijs inſignes, in primam collocabant aciem, & horũ quoque ora vidiſſes, præ metu lurida, tanquam ſibi eſſet maximè pereundum; ſi exercitus vires in diſcrimen adducerentur: Et fortè accidit, cùm Collegia præterirent, (juſſu Rectoris omnia obſtructa erant) tegula quædam è tecto turbine excuſſa decidit; milites autem putantes, lapides ex feneſtris actos, ſe ſe in fugam conjecerunt. Nec ſatis eorum timiditati turpiter fugiſſe, etſi non erat extra ſortem tegulam, quæ tantis ſe militibus auderet objicere, Deorum inſuper phana, quo tutius fuga ſibi conſulerent, petita ſunt, inter quos non parùm multi muliebriter indignam ſcilicet ſuorum deflebant lanienam; ſed poſtquam ad ſe redierant, atque animum metu paulò minus extinctum reſumſerant, vidiſſéntque fugam unius tegulæ caſu ortam, rurſum cepta eſt acies in ordinem, itaque multò denſius, quàm antea, redigi: nunc quid deinceps factum ſit, brevibus itidem accipe. Agebant Jmperatores per plateas exercitum, & jam nunc debellatum ipſis videbatur, quum armatorum quiſpiam (erant enim viri ex multitudine agreſtium un-

dique circumfuſa ſuffertim conſtipari) mulieris pedem, ſuo, læſerat. Illa illicò digitis, ceu in nodum collectis, manum in faciem ejus impegit, ex quo duntaxat pugno tanta de integro oriebatur exercitus perturbatio, ut parùm abfuerit, quin plures è ſpectantium numero fuiſſent eliſi, obtritique, & totus quoque peditatus fugam acceleràſſet, ni unus animoſior additis militibus manendi animum, fæminea opera factum, ingenti voce clamitâſſet. Hæc ideo huic Epiſtolæ illinere placuit, quo Te aliqua voluptate afficerem, ſimùlque, ut ignaviæ nomen, cum ſcribo contractiùs, deprecarer. Eſt item non minima voluptatum mearum portio, ſtomachum meum ſeu ſerium ſeu ludicrum in amicorum meorum aures exonerare, in quorum calendarium Te, eximijs animi dotibus ornatum, quàm ſanctiſsimè retuli, ut nullis tempeſtatibus inde ſis evellendus. Vale baſilicè, præclariſsimè Udalrice, & me Paullo Bombaſio, quem virum Tecum verſari ajs, omnium Italorum in literis principi (qui tamen & ipſe, ut poſtea audiemus, Zuinglij fuit admirator) diligenter commenda. Saluta, meis verbis quoque Henricum Glareanum, Poetam, ſtrenuiſsimum literarum inſtauratorem. Pariſijs V. Calend. Majas.

Relin-

Relinqueremus Galliam; nisi pedem retraheret mentio Budæi, qua Nesenus Dictaturam ei in literatos tribuit, plerorumque eruditorũ calculo decretam. Neq; verò hæc πρωτεῖα ipse sibi eripi facile patiebatur. Parem certè aut superiorem in juris prudentia ęgrè tulit, ipsius etiam Zasij, æstimator quidem; sed & æmulus. Id quod ex Zasij satis patet Epistola, supra à nobis allata. Et quia ipsum ab eo tempore Budæi scriptum, vitiosum tamen hinc inde, Zasij licet manu alicubi correctum, cui responsionem suam Zasius opposuit, nobis obtigit, ne manca esset amicæ illius concertationis literariæ Historia, eam quoque, antequam Italiam ingrediamur, hoc loco exhibere placet. Sic ergo Budæus: *Guilelmus Budæus Vdalrico Zasio, juris Professori salutem.* Commentarium Tuum legi in legem alteram de origine juris, dono mihi missum à Claudio *Canciuncula, Viro nostri ordinis cumprimis commendando, Tuæ existimationis studioso*, ut ex ejus literis sensi. Quoniam verò Tu ad me eo de opere scripsisti (licet literæ ipsæ mihi nescio quo casu interciderent, eo mihi tempore redditæ, quo nihil minus quàm literas animo cogitabam) nisi ad Te ipse vicissim scriberem, quid sentirem, Tu vel infensum me, vel inso-

lentis similem meritò judicares. Accipe igitur prono & placabili animo meam ea de re sententiam, meúmque de animo Tuo sensum. Si Tu civili quadam charitate ductus, ac juris prudentiæ genio instinctus, liti isti & crimini opponendum duxisti, ne in famoso atque ignominioso reatu destituisse, prodidisséque videreris, eximiæ illius doctrinæ opinionem, *cujus responsis & consultis Orbis etiam rectores suæ Majestatis fasces submittere non gravantur; Imperij absoluti potentiam juris nodis adstringi, summa animi æquitate perpetientes*; fecisti Tu quidem ingenuè & strenuè, acriúmque hominum more. Quos in quaque ipsos arte & scientia non pœnitet, quantum incumbendo, in vigilando, in sudando, in algendo profecerint: Quibus utiq; convenit ipsis, cujus adipiscendę doctrinę gratia genium suum venientibus annis diu ac multum fraudârint, ejus doctrinæ dignitatem tueantur & retineant, certamen nullum detrectare. Proinde si juris civilis Majestas, quam ego etiam aliud agens cupidè conservare solitus sum, ut judicare possint, qui styli mei modum propius inspiciunt, sæpe numero intra fines ejus disciplinæ versantis. *Si igitur ejus Studij dignatio atque judicatura ob illas scele-*

ſceleratas annotationes meas quoquo modo minuta eſt, ob id, quod prima nunc auctoritatis ſcriptores immodica verborum licentia inſectatus ſum, Accurſium etiam ipſum, ejus cohortis ductorem, recentioriſque juris interpretationis columen, fuſtuario (ſi Dijs placet) dignum eſſe proterve acclamitarim, patrocinióque orbata tot annos diſciplina ipſa civilis flagitare, & implorare ſuæ dignitatis aſſertorem, tantæque indignitatis vindicem, Te aut alium quempiam ſingularis ac multiplicis ſcientiæ hominem videbatur, eſt omnino, quod Tibi gratias & habeam, & agam, qui rei indignitate permotus, tamen aculeos eloquentiæ Tuæ nonniſi retuſos in me ſtrinxeris, & innocuos; aliter atque in Vallæ manes, quibus cum egiſti acerbius. Sin illud rurſus ſatis animadvertiſti, temeritatis me crimen fateri & agnoſcere, *quòd in Authores ingenioſos, & recepta apud primos, ampliſſimóſque ordines auctoritatis invectus ſim ferocius omnino, exultantiúsque, quàm par erat*, (id enim conceptis etiam verbis non ſemel in alijs meis ſcriptis etiam teſtatus ſum, incompoſitus, *more* hominis veniam expoſcentis) tamen ne mecum tanto inter-

vallo famosa actione experiere, quasi cum pertinaci, aut inficiatore. Præsertim cùm à nullo dum postulatus, in me tamen ipsum animadvertendum duxerim, sine prævaricatione. Nisi verò pro satisfactione non accipies, quòd tot exemplarium traducibus juvenilem & consultum fervorem per tot provinciarum officinas, tot hominum ora non dubitavi erratum meum retractare; Adde, quòd postrema librariorum editio, etiam reatûs notâ inusta est, ut pœnitentiam præferens: Quam si cum pœnitentibus recognoveris, intelliges & videbis, quorum conviciorum indignitate maximè in me excanduisti. Quæ mihi ipsa præceps animus, & à veritatis conscientia confidentior expresserat in scribendi tyrocinio, ea convitia (prout sub oculos transcurrentes inciderunt, in tumultuaria, & subsultanti recensione) cæsim punctímque à me ipso indignabundo contrucidata esse, ut pudenda & pœnitenda. Atenim non in Budæum; sed in Vallam accusationis Tuæ aciem instruxisti. *Quasi verò obscurum sit, sub Vallæ persona Budeum Te, ut Accursiomastiga Te castigare, nunc pugnis cæcis, interdúmque loris concidere (nimirum ut Vallæ æmulum & sub-*

scripto-

ſcriptorem) quo nomine tantum abeſt, ut magnopere urar, ut etiam agnoſcendum vel mihi crimen, & amplexandum ducam, nedum pudendum aut averſandum. Atqui eam ob rem nunquã me & infenſiore uteris, duntaxat ſi hactenus Juriſconſultorũ recentioris notę perfunctũ eſſe Te patrocinio ſtatuiſti. *Neq; ferè invenias inter homines noſtri ordinis, qui minus invitus faciat, ut fidem bonam agnoſcat, & ſuum cuiq; libentiore animo, æquioréq; reddat.* Proinde cedo Te mihi æquum viciſsim, & ad diſceptationem placidũ. Inficias non ibo, Tuam mihi Te probâſſe induſtriam, candidúmque propoſitum Tuorum defendendi auctorum, cùm perſpicerem; juſto Te dolore permotum, ob eorum ſugillatam ſcriptorum auctoritatem, quorum Tu monumentis in iſtam opinionem dignationémq; creviſti. Tametſi eſt rurſus, quod loliginem animi malè affecti ſuboleat, utique, cùm in commentario Legis Pomponianæ contemptius me interdum & faſtidiosè nomines; ſæpiſsime etiam prævaricabundè nomen meum reticeas: *Tu quidem qui alios alternis verbis & ad faſtidium uſque legentium laudibus in cælum fers, cùm interim, quæ mea ſunt,*

 planè

planè mihi auferas, non sine quodam genere stellionatus : Id quod prætextu fortasse quoquomodo tegere potuisses, si in operis fronte æstimationem operis mei non faceres; *adjecto (si Dijs placet) Erasmi elogio.* Quod cùm feceris ipsum, tam torpentis sensus esse me existimâsti, tuum ut animum non præsentiscerem, totiùsque adeò libri Mimum non perciperem. Quotus enim quisque lectorum, cui res tam perspicua, non statim atque librum evolvit in oculos mentis incurrat? Nec Tu mihi sic quoque persuades, alioquin Budæum Tibi esse invisum, etiamsi annotationes ejus eo nomine despuere Te autumo. Quare conjecturam ex animo meo factitans, haud ægrè mihi impero, hujus stomachosæ scriptionis gratiam Tibi facere. Quam (ut opinor) ipsam non committes, ut aspernatus esse videare, siquidem quàm doctus es, tam bonus esse viderique meditaris. Hujus mei stomachi causa est, quòd non dignitatem propugnandam Tibi causæ fuisse video adauctorum, aliquando etiam meorum (in jure enim annorum aliquot operam lusi, aliud utique agens, & inter studiosos incommodè feriatus) verùm, quum non temerario impetu, sed honesta gravique causa impulsum fuisse Te videam & percitum

ad

ad jurisperitorum authoritatem tuendam retinendàmque, quàm annotationum mearum opinio (quantula eſt illa cunque) labefactâſſe Tibi videbatur. Quicquid hactenus vel dixiſti de me, vel ſignificâſti, non meminiſſe mihi facile perſuaſero, ut quidem de ijs iratior Tibi ſim; *liceat modò mihi cavere, ut lex amneſtiæ in mea etiam cauſa valeat.* Neque autem ullus eſt eorum, quibus negotium aliquando cum literis bonis, bona fide fuerit, cui minus Budæus eo in opere, quàm ſibi placeat ipſe: quæ mihi cauſa fuit, ut quod reſtat adnotationum cæptum & intermiſſum aliquot annos, poſtea, appellantibus me amicis, retractatum & penè profligatum, ita denique adjecerim, ut extremam ei manum addere nec mihi ipſe imperare potuerim, nec homines mei amantiſsimi perſuadere, non ipſi minus juris civilis Majeſtatem, civiliùmque adeò omnium diſciplinarum comiter & eleganter conſervantes, quàm Tu, aut quiſpiam eorum alius, quibus contigit ipſis operam egregiam eidem ſtudio navâſſe. Tu velim ut expendas ac Tecũ ipſe judices, quantò Te alieniorem à me in ſuperiore Commentario præbueris, atque in Antinomiarum explicatione feciſti, vel potius hoc Tibi remitto, dum modò vel mihi de Te judicare

dicare permittas (de quo magnificè alioquin sentio) longè Te ab ingenio transversum esse raptum, præ stomacho vel nimio certè impetu causæ vestræ patrocinandi, quum eum librum scripsisti, qui etiam in eloquentiam invectus, Demosthenem, illud civilium omnium artium decus & ornamentum, *loculejum vocare sustinuisti. Quod instar multorum criminum esse posset, si quis exaggerare rei atrocitatem vellet.* Vale, & si amicè de me sentis, iterum scribe, ut unas saltem literas Tuas asservem, quando priores interciderunt. Parisijs octav. Calend. Sextil. Responsum Zasij habes supra p. 183. Epistolæ verò hujus ipse meminit Budæus ad Canciunculam, p. m. 53. Fuisse an. Chr. 1526. Parisijs viros bonos & doctos, qui Zuinglium non magno modò haberent in pretio; sed & quicquid ejus nôsse intereat, fideliter suggererent, tum Caspari Mosagri probat Epistola, tum Apographum literarum Erasmi ad facultatem Parisiensem missarum, ab eodem submissum. Illa breviter concepta talis est: *D. Zuinglio, Tigurinorum Episcopo, fratri suo charißimo*: Extant binæ adhuc literæ eodem argumento: Unis Erasmus gratulatur reduci Regi, & Galliæ tandem reddito. Mox in his de cerebrosa Bedæ censura & Suroris

tragæ-

tragædia non nihil tractas: Alteris exorat apud Parlamentum, ne Bedæ & Sutoris libri vendantur. Sed quia famæ & nomini Tuo nihil derogant, quod, ut proprium, curæ mihi est, non opus esse, ut transscripta, mitterem, arbitratus sum. *Apud bonos & doctos, quorum non pauci sunt Parisijs, bene audis: à morosis, quibus nihil rectè fit, nisi quæstum sapit, execraris.* Vale, saluta Ecclesiam Jesu Christi. Id. 16. Octob. 1526. *Casparus Mosager, tuus amiculus.* Illud verò ex autographo hujusce modi est: Erasmus Facultati Parisiensi, S. Magnifici Doctores, & fratres honorandi: Equidem sperabam, si pugnans adversus Lutherum defecissem, isthinc mihi venturas suppetias, & si hinc factionis, cum qua decerto, fuissem profligatus, apud Vos mihi, tanquam tranquillum portum, tutúmque refugium. Nunc isthinc veniunt libelli amarulentiores, quàm unquam scripti sunt in Lutherum à quoquam vestrûm. Ego, ut deficerem ab Ecclesiæ consortio, meipsum apud Germanos ex gratissimo feci invidiosissimum, provocavi in me Lutherum, quàm venenatam bestiam, liber ejus, quem ad vos mitto, declarabit. Totius factionis (quæ potentior est, quàm quisquam credat, & indies invalescit) fremitus, minas,

perperior. Aggressus sum provinciam viribus meis majorem: sed morem gero Pontifici, Cæsari, & Principibus, audax facinus, præsertim in hac parte Germaniæ. Quid profecerim, testantur ipsi, qui clamitant, neminem magis obstitisse Evangelio, quàm Erasmum. *Et quasi parùm esset Lutheranorum vim sustinere, cum Zuinglianis, qui in Eucharistia negotio à Lutheranis dissident, bellum erat suscipiendum. Qua quidem in re non instrenuam operam navavi in conciliabulo, quod nuper habitum est in Baden, civitate Helvetiorum: Id indicabunt liber & Epistola, quam mitto:* Ea Germanicè versa, fuit recitata coram universo Concilio, & in hujus urbis item Senatu. Et hæc pro viribus agentem, cùm vestra eruditione sublevari debuerit, à tergo adoriuntur plus quàm hostiliter Sutores & Bedæ, ex quorum libris dici vix possit, quantum animorum accesserit Lutheranis & Zuinglianis. Ex meis libris nullus adhuc factus est seditiosus aut factiosus, & si quid erroris excidit; hominum more, animus certè sincerus est; & facile corrigi poterat, quod offendit. Istos tumultus quorsum attinebat suscitare? Palàm est, rem

agi

agi privatis odijs. Verùm in hac cauſa omnium periculoſiſsimam, conveniebat, ſi quid eſſet privatæ ſimultatis, ponere, donec orbi redijſſet tranquillitas. Quid autem ſibi vult Sutor, Novum Teſtamentum à me verſum, in exemplaria plus centies millia propagatum eſt, per Typographos: Iſta debuit in tempore ſcribere. Porrò, cùm Bedæ cenſuris reſpondiſſem ſic, ùt in multis nihil eſſet ſcrupuli, quo ſpiritu ductus edidit ſuas cenſuras, in quibus ſunt tot evidentes calumniæ, tot manifeſta mendacia, etſi nemo reſpondeat verbum? Quàm exultant Lutherani, dum tales legunt libellos. In Fabrum habebat ex re juſtiorem debacchandi cauſam, & tamen in illum mitior eſt: Ad me cùm ventum eſt, fit cenſor, & nihil crepat niſi blaſphemias & hæreſes: Neque me fugit, quid exaſperet animum hominis, quia colloquium tribus verbis attigit collegium ipſius de putribus ovis. Gravis verò cauſa, cur cælum terræ miſceatur. Si ad iſtum modum nos mutuis motibus laceramus, quid supereſt, niſi ut mutuis vulneribus confoſsi pereamus, juxta Pauli ſententiam? Hæc ſi meam tantùm famam læderent, tolerabilis eſſet jactura; nunc confortatur cauſa Lutheri; & Theologici nomi-

nominis odium exacerbatur apud istos. Beda me magnificè contemnit, idque facit tutò, quia non sum talis, qualem ipse fingit: Quòd si essem, res ipsa indicaret, quantam in orbe tempestatem excitare posset Erasmus. Quòd si per vos isthinc licebit tales libros edere, quales vobis mittit Sutor & Beda (de in me scriptis propriè loquor) & nostra excludentur, certa nimirum penes istos victoria est. Atqui hoc non est coarguere, sed violentia tyrannica obtrudere: à me nihil est periculi, sed vereor, ne tales experiantur illud Evangelij: Qui gladio percutit, gladio peribit. Somniat Beda, profligatam Lutheranam factionem. Utinam esset! Tantùm prooemia sunt, nescio quem finem habitura, si talibus modis res peragatur. Si vestra prudentia pernosceret, quo in statu res sunt per universam Germaniam, judicaretis majore favore dignum, quàm exhibent Sutor & Beda. Lutherani jactitant, neminem esse mortalium, qui posit refellere, quæ congessit argumenta Lutherus de libero arbitrio. Præfationem meam extemporaneam mitto, in reliquo sudabam, perfecturus ante Kalend. Augusti, nî Sutor & Beda suis libris interpellâssent. Ego posthac quietem agam, si tales auxiliares copias mittit

Lute-

Lutetia, qui cùm hostes habeam communes, Ecclesiæ negotium vobis felicioribus, & Christo, commendo, qui vos omnes conservet incolumes, Bedæque & Sutori det mentem magis Christianam in posterum.: Basil. IX. Kalend. Jul. anno 1526. Hæc *Erasmus*, animo satis, ob intestinum Sorbonæ bellum, indignabundo, & ad hastam abjiciendam prono.

ITALIA. M. Qui in ipsa ITALIA emunctiorum narium, aliqua literaturæ politioris restituendæ tangebantur cura, Zuinglium suscipiebant & admirabantur. Et ita quidem de Zuinglio *Bombasius* ille, de quo suprà Nesenum audivimus loquentem. Extat *Guilelmi* cujusdam, nisi me character fallat & stylus, hominis quoque Itali, Legato Pontificis Ennio Phylonardo à Secretis, alijsve officijs, Epistola ad Zuinglium, Glarona 1520. exarata, quæ *αὐτολεξεὶ* ita habet: Recepi literas Tuas, *suavissime Zuingli*, quæ mihi quidem charissimæ fuere: sed multò charior fuisset desiderata Tui præsentia: Veruntamen, quia hora jam appetit, ut conjungamur, conjuncti postmodum, quicquid desideratum est, spero cum fœnore resarcietur: Proin in præsentibus ero brevior, in multis aliâs occupatior, unum tamen

non prætermittam, *eruditissime Zuingli, Guilelmum Tuum illum esse, illúmque semper durante vita futurum. de quo Tibi omnia, quæ à vero amico sperari possunt, polliceri possis & valeas, & hoc pro comperto habeas, si ullo unquam tempore, mihi aliquid obtigit in votis, unum illud alia omnia longè evicit: quàndo Te, cujus desiderio anima mea partem vi à corde sentiebam divelli, ab inferis ad superos cognovi revectum:* Sed hæc coràm, ne videar, quod supra accusavi impedimenti, nunc amore impellente, aliquo pacto inficiari. Quod ad Johannem Herum, antequam Tuæ mihi consignarentur literæ, & salutâram, & omnia mea illi obviis, ut ajunt, manibus, obtuleram: *nunc autem accedente Tuo probatissimo calculo, qui aliâs sagacissimus es perscrutator, nullum est officij genus, quod in eum non velim expendere. De Paulo autem nostro Bombasio nil aliud dicam, nisi quòd proximis ad me ex Urbe suis intellexi, illum genio frui feliciore: Orabis Deum Opt. Max. ut opus continuato, ut dicitur, prosequatur filo, fròn-*

frontémque exporrigat diu hilariorem, quippe qui abs Te venit amandus, quem aliâs ipſe & ſuſpicit & admiratur. Vale &c. ex pago Claronæ d. 12. Jan. 1520. Ubi paulò pòſt ultra alpes Zuinglij Reformatoris fama volavit, ea mox Italia de illo reliquit teſtimonia, quæ & à ſuſpicione ſunt alieniſsima, & tam integræ ſceleríſque puræ vitæ, quàm ſingularis & inſolitæ eo ſeculo eruditionis Zuinglianæ ſunt monumenta ἀναντίῤῥητα. Primus eſt *Egidius à Porta*, Comenſis, cujus Epiſtola d. 11. Decemb. 1525. ſcripta talis eſt: Diu eſt, *Pater pientiſsime*, quod in votis erat ad Te ſcribere. Nempe, non alia de cauſa, quàm ea, de qua & in præſentiarum. Sed, ut verum fatear, veritús ſum ejus viri haud vulgaris ponderis vultum. At hanc ipſam puſillanimitatem in memetipſo modò reprehendo. Quandoquidem recolo Chriſtum ipſum Dei filium, absq; perſonarum delectu humilimos quoſque ſuſcipere ac illuminare, & non confundi facies accedentium ad eum. Qui fiet ut ad ejus Miniſtrum accedere non audeam? Perſequebatur & olim Paulus Eccleſiam, & tamen inter eundum à Domino percuſſus ac proſtratus, audit Dominicum præceptum de conveniendo Anania, déque ſuſcipien-

 do

do ejus consilio, quibus ille auditis mox surgens explevit omnia. *Esto, non sim ego per omnia futurus Paulus, qui nihilominus in manu Dei est, sis tu mihi Ananias, ac verbo dirige errantem in via salutis. Annus nunc agitur quartus supra decimum, quo, Zelo quidem, mea sententia, pio, tamen non secundùm scientiam, subduxi memet à parentum patrocinio, cucullúmque nigrum, quem Augustinianum ferunt, ex animo suscepi: Ratus cum Pelagianis salutem operibus meis mihi posse parare. Dedíque operam, ut si non fierem vel doctus, vel pius, certè pro docto ac pio haberer, in tantùmque egi, ut jam septennio fungar Evangelizandi verbi Dei munere, proh pudor! in quanta bonarum literarum ignorantia? Ego non quod Christum saperet sapiebam: Nihilque fidei, omnia operibus tribuebam. In his confidere audacter ac strenuè docebam:* Et quis recenseat venena, quæ & ego in agro Dominico seminavi? Sed noluit bonus Deus servum suum perire in perpetuum; prostravítque me penitus: Neque amplius lumen oculorum meorum mecum est, neque muta reliquit labia;

labia; quin potiùs ad ravim uſque clamavi: Domine quid me vis facere? *Tandem audivit cor meum egregiam illam lucem: Ingredere ad Huldricum (NB.) Zuinglium, & ipſe te inſtruet, quid oporteat te facere. O præclaram vocem! Senſit in hac voce anima mea pacem ineffabilem. Quæſo, ne me putes ludere. Tu enim; imò non tu; ſed per Te eruet me Deus de laqueo venantium. Ut quid dico ego, me? Quia ſpero fratres aliquot mecum adducere. Hoc eò dixerim, ut pares interea & loca & gentes, à quibus valeamus ſanam doctrinam imbibere.* Nobis & Græca & Hebraica Lingua ſunt omnino abſtruſiſsimæ, atque admodùm parum de Latina habemus. Volumus tamen & illas, ſi fieri poterit, primò tamen omnium Chriſtum addiſcere. Alia deinde Epiſtolâ 15. Decemb. 1526. hunc in modum Zuinglium alloquitur: *Gratiam & pacem, per Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum.* Voluptatem haud quaquam vulgarem cepi ex Tuis literis, mi Huldrice, quòd erudierint me de nonnullis, ſuper quibus jam pridem Te rogâram. Poteris nobiſcum ad Deum preces fundere, ut, quantocyus ſibi placuerit, ſuam ipſius fieri faciat voluntatem. A-

dicare permittas (de quo magnificè alioquin sentio) longè Te ab ingenio transversum esse raptum, præ stomacho vel nimio certè impetu causæ vestræ patrocinandi, quum eum librum scripsisti, qui etiam in eloquentiam invectus, Demosthenem, illud civilium omnium artium decus & ornamentum, *loculentum vocare sustinuisti. Quod instar multorum criminum esse posset, si quis exaggerare rei atrocitatem vellet.* Vale, & si amicè de me sentis, iterum scribe, ut unas saltem literas Tuas asservem, quando priores interciderunt. Parisijs octav. Calend. Sextil. Responsum Zasij habes supra p. 183. Epistolæ verò hujus ipse meminit Budæus ad Canciunculam, p. m. 53. Fuisse an. Chr. 1526. Parisijs viros bonos & doctos, qui Zuinglium non magno modò haberent in pretio; sed & quicquid ejus nôsse intereret, fideliter suggererent, tum Caspari Mosagri probat Epistola, tum Apographum literarum Erasmi ad facultatem Parisiensem missarum, ab eodem submissum. Illa breviter concepta talis est: D. Zuinglio, Tigurinorum Episcopo, fratri suo charißimo: Extant binæ adhuc literæ eodem argumento: Unis Erasmus gratulatur reduci Regi, & Galliæ tandem reddito. Mox in his de cerebrosa Bedæ censura & Sutoris

tragæ-

tragædia non nihil tractas: Alteris exorat apud Parlamentum, ne Bedæ & Sutoris libri vendantur. Sed quia famæ & nomini Tuo nihil derogant, quod, ut proprium, curæ mihi eſt, non opus eſſe, ut tranſcripta, mitterem, arbitratus ſum. *Apud bonos & doctos, quorum non pauci ſunt Pariſijs, bene audis: à moroſis, quibus nihil rectè fit, niſi quæſtum ſapit, execraris.* Vale, ſaluta Eccleſiam Jeſu Chriſti. Id 16. Octob. 1526. *Caſparus Moſager, tuus amiculus.* Illud verò ex autographo hujusce modi eſt: Eraſmus Facultati Pariſienſi, S. Magnifici Doctores, & fratres honorandi: Equidem ſperabam, ſi pugnans adverſus Lutherum defeciſſem, iſthinc mihi venturas ſuppetias, & ſi hinc factionis, cum qua decerto, fuiſſem profligatus, apud Vos mihi, tanquam tranquillum portum, tutúmque refugium. Nunc iſthinc veniunt libelli amarulentiores, quàm unquam ſcripti ſunt in Lutherum à quoquam veſtrûm. Ego, ut deficerem ab Eccleſiæ conſortio, meipſum apud Germanos ex gratiſsimo feci invidioſiſsimum, provocavi in me Lutherum, quàm venenatam beſtiam, liber ejus, quem ad vos mitto, declarabit. Totius factionis (quæ potentior eſt, quàm quiſquam credat, & indies invaleſcit) fremitus, minas,

con-

perpetior. Aggressus sum provinciam viribus meis majorem: sed morem gero Pontifici, Cæsari, & Principibus, audax facinus, præsertim in hac parte Germaniæ. Quid profecerim, testantur ipsi, qui clamitant, neminem magis obstitisse Evangelio, quàm Erasmum. *Et quasi parùm esset Lutheranorum vim sustinere, cum Zuinglianis, qui in Eucharistiæ negotio à Lutheranis dissident, bellum erat suscipiendum. Qua quidem in re non instrenuam operam navavi in conciliabulo, quod nuper habitum est in Baden, civitate Helvetiorum: Id indicabunt liber & Epistola, quam mitto:* Ea Germanicè versa, fuit recitata coram universo Concilio, & in hujus urbis item Senatu. Et hæc pro viribus agentem, cùm vestra eruditione sublevari debuerit, à tergo adoriuntur plus quàm hostiliter Sutores & Bedæ, ex quorum libris dici vix possit, quantum animorum accesserit Lutheranis & Zuinglianis. Ex meis libris nullus adhuc factus est seditiosus aut factiosus, & si quid erroris excidit, hominum more, animus certè sincerus est, & facile corrigi poterat, quod offendit. Istos tumultus quorsum attinebat suscitare? Palàm est, rem

agi

agi privatis odijs. Verùm in hac cauſa omnium periculoſiſsimam, conveniebat, ſi quid eſſet privatæ ſimultatis, ponere, donec orbi redijſſet tranquillitas. Quid autem ſibi vult Sutor, Novum Teſtamentum à me verſum, in exemplaria plus centies millia propagatum eſt, per Typographos: Iſta debuit in tempore ſcribere. Porrò, cùm Bedæ cenſuris reſpondiſſem ſic, ùt in multis nihil eſſet ſcrupuli, quo ſpiritu ductus edidit ſuas cenſuras, in quibus ſunt tot evidentes calumniæ; tot manifeſta mendacia, etſi nemo reſpondeat verbum? Quàm exultant Lutherani, dum tales legunt libellos. In Fabrum habebat ex re juſtiorem debacchandi cauſam, & tamen in illum mitior eſt: Ad me cùm ventum eſt, fit cenſor, & nihil crepat niſi blaſphemias & hæreſes: Neque me fugit, quid exaſperet animum hominis, quia colloquium tribus verbis attigit collegium ipſius de putribus ovis. Gravis verò cauſa, cur cælum terræ miſceatur. Si ad iſtum modum nos mutuis moribus laceramus, quid ſupereſt, niſi ut mutuis vulneribus confoſsi pereamus, juxta Pauli ſententiam? Hæc ſi meam tantùm famam læderent, tolerabilis eſſet jactura; nunc confortatur cauſa Lutheri; & Theologici nomi-

nominis odium exacerbatur apud istos. Beda me magnificè contemnit, idque facit tutò, quia non sum talis, qualem ipse fingit: Quòd si essem, res ipsa indicaret, quantam in orbe tempestatem excitare posset Erasmus. Quòd si per vos isthinc licebit tales libros edere, quales vobis mittit Sutor & Beda (de in me scriptis propriè loquor) & nostra excludentur, certa nimirum penes istos victoria est. Atqui hoc non est coarguere, sed violentia tyrannica obtrudere: à me nihil est periculi, sed vereor, ne tales experiantur illud Evangelij: Qui gladio percutit, gladio peribit. Somniat Beda, profligatam Lutheranam factionem. Utinam esset! Tantùm procemia sunt, nescio quem finem habitura, si talibus modis res peragatur. Si vestra prudentia pernosceret, quò in statu res sunt per universam Germaniam, judicaretis majore favore dignum, quàm exhibent Sutor & Beda. Lutherani jactitant, neminem esse mortalium, qui posit refellere, quæ congessit argumenta Lutherus de libero arbitrio. Præfationem meam extemporaneam mitto, in reliquo sudabam, perfecturus ante Kalend. Augusti, nî Sutor & Beda suis libris interpellâssent. Ego posthac quietem agam, si tales auxiliares copias mittit

Lute-

Lutetia, qui cùm hoſtes habeam communes, Eccleſiæ negotium vobis felicioribus, & Chriſto, commendo, qui vos omnes conſervet incolumes, Bedæque & Sutori det mentem magis Chriſtianam in poſterum. : Baſil. IX. Kalend. Jul. anno 1526. Hæc *Eraſmus*, animo ſatis, ob inteſtinum Sorbonæ bellum, indignabundo, & ad haſtam abjiciendam prono.

M. Qui in ipſa ITALIA emunctiorum narium, aliqua literaturæ politioris reſtituendæ tangebantur cura, Zuinglium ſuſcipiebant & admirabantur. Et ita quidem de Zuinglio *Bombaſius* ille, de quo ſuprà Neſenum audivimus loquentem. Extat *Guilelmi* cujuſdam, niſi me character fallat & ſtylus, hominis quoque Itali, Legato Pontificis Ennio Phylonardo à Secretis, alijsve officijs, Epiſtola ad Zuinglium, Glarona 1520. exarata, quæ *αὐτολεξεὶ* ita habet: Recepi literas Tuas, *ſuaviſsime Zuingli*, quæ mihi quidem chariſsimæ fuere: ſed multò charior fuiſſet deſiderata Tui præſentia: Veruntamen, quia hora jam appetit, ut conjungamur, conjuncti poſtmodum, quicquid deſideratum eſt, ſpero cum fœnore reſarcietur: Proin in præſentibus ero brevior, in multis aliâs occupatior, unum tamen

ITALIA.

Q q non

non prætermittam, *eruditissime Zuingli, Guilelmum Tuum illum esse, illúmque semper durante vita futurum, de quo Tibi omnia, quæ à vero amico sperari possunt, polliceri possis & valeas, & hoc pro comperto habeas, si ullo unquam tempore, mihi aliquid obtigit in votis, unum illud alia omnia longè evicit: quàndo Te, cujus desiderio anima mea partem vi à corde sentiebam divelli, ab inferis ad superos cognovi revectum:* Sed hæc coràm, ne videar, quod supra accusavi impedimenti, nunc amore impellente, aliquo pacto inficiari. Quod ad Johannem Herum, antequam Tuæ mihi consignarentur literæ, & salutâram, & omnia mea illi obviis; ut ajunt; manibus, obrûleram: *nunc autem accedente Tuo probatissimo calculo, qui aliàs sagacissimus es perscrutator, nullum est officij genus, quod in eum non velim expendere. De Paulo autem nostro Bombasio nil aliud dicam, nisi quòd proximis ad me ex Urbe suis intellexi, illum genio frui feliciore: Orabis Deum Opt. Max. ut opus continuato, ut dicitur, prosequatur filo,* frón-

frontémque exporrigat diu hilariorem, quippe qui abs Te venit amandus, quem aliâs ipſe & ſuſpicit & admiratur. Vale &c. ex pago Claronæ d. 12. Jan. 1520. Ubi paulò pòſt ultra alpes Zuinglij Reformatoris fama volavit, ea mox Italia de illo reliquit teſtimonia, quæ & à ſuſpicione ſunt alieniſsima, & tam integræ ſceleríſque puræ vitæ, quàm ſingularis & inſolitæ eo ſeculo eruditionis Zuinglianæ ſunt monumenta ἀναντίῤῥητα. Primus eſt *Egidius à Porta*, Comenſis, cujus Epiſtola d. 11. Decemb. 1525. ſcripta talis eſt: Diu eſt, *Pater pientiſsime*, quod in votis erat ad Te ſcribere. Nempe, non alia de cauſa, quàm ea, de qua & in præſentiarum. Sed, ut verum fatear, veritus ſum ejus viri haud vulgaris ponderis vultum. At hanc ipſam puſillanimitatem in memetipſo modò reprehendo. Quandoquidem recolo Chriſtum ipſum Dei filium, absq; perſonarum delectu humilimos quoſque ſuſcipere ac illuminare, & non confundi facies accedentium ad eum. Qui fiet ut ad ejus Miniſtrum accedere non audeam? Perſequebatur & olim Paulus Eccleſiam, & tamen inter eundum à Domino percuſſus ac proſtratus, audit Dominicum præceptum de conveniendo Anania, déque ſuſcipiendo

do ejus consilio, quibus ille auditis mox surgens explevit omnia. *Esto, non sim ego per omnia futurus Paulus, qui nihilominus in manu Dei est, sis tu mihi Ananias, ac verbo dirige errantem in via salutis. Annus nunc agitur quartus supra decimum, quo, Zelo quidem, mea sententia, pio, tamen non secundùm scientiam, subduxi memet à parentum patrocinio, cucullúmque nigrum, quem Augustinianum ferunt, ex animo suscepi: Ratus cum Pelagianis salutem operibus meis mihi posse parare. Dedíque operam, ut si non fierem vel doctus, vel pius, certè pro docto ac pio haberer, in tantùmque egi, ut jam septennio fungar Evangelizandi verbi Dei munere, proh pudor! in quanta bonarum literarum ignorantia? Ego non quod Christum saperet sapiebam: Nihilque fidei, omnia operibus tribuebam. In his confidere audacter ac strenuè docebam:* Et quis recenseat venena, quæ & ego in agro Dominico seminavi? Sed noluit bonus Deus servum suum perire in perpetuum; prostravítque me penitus: Neque amplius lumen oculorum meorum mecum est, neque muta reliquit labia;

labia; quin potiùs ad ravim uſque clamavi: Domine quid me vis facere? *Tandem audivit cor meum egregiam illam lucem: Ingredere ad Huldricum (NB.) Zuinglium, & ipſe te inſtruet, quid oporteat te facere. O præclaram vocem! Senſit in hac voce anima mea pacem ineffabilem. Quæſo, ne me putes ludere. Tu enim; imò non tu; ſed per Te eruet me Deus de laqueo venantium. Ut quid dico ego, me? Quia ſpero fratres aliquot mecum adducere. Hoc eò dixerim, ut pares interea & loca & gentes, à quibus valeamus ſanam doctrinam imbibere.* Nobis & Græca & Hebraica Lingua ſunt omnino abſtruſiſsimæ, atque admodùm parum de Latina habemus. Volumus tamen & illas, ſi fieri poterit, primò tamen omnium Chriſtum addiſcere. Alia deinde Epiſtolâ 15. Decemb. 1526. hunc in modum Zuinglium alloquitur: *Gratiam & pacem, per Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum.* Voluptatem haud quaquam vulgarem cepi ex Tuis literis, mi Huldrice, quòd erudierint me de nonnullis, ſuper quibus jam pridem Te rogâram. Poteris nobiſcum ad Deum preces fundere, ut, quantocyus ſibi placuerit, ſuam ipſius fieri faciat voluntatem. A-

gnosco nihilominus Tuum istud amicabile pectus, quandoquidem fidelem promittis, si venero, operam. Confido, quia lignum hoc plantatum secus decursus aquarum, fructum suum dabit in tempore suo. *Testamentum praeterea quod vertimus, dubito quin diutius expectabis, quàm voles: à sexcentis enim ferè negotijs praepedimur. Modò namque mittimur ad sordidum quaestum, modò ad horas, ut loquimur, Canonicas, modò huic, modò illi per pagos ac plateas erranti destinamur in ocium: Atque ita bonam temporis partem, in rebus nihili absumimus.* At quo, quaeso, pacto fiet, ut excussum undiquaque mendosum haud exeat nisi Italicus quispiam adfuerit, qui & legat, & quod legit, intelligat? Sed missa haec faciamus. *Excitavit in me Dominus Spiritum suum, quem vult per Te perficere. Ego quod à me requirit impleo, his nimirum scriptis revelando; Tu autem ad sublimiora vocatus videris, nisi quod reliquum est, per Te fuerit fideliter adimpletum.* Mediolanum ac universi fines ejus, ob nimia, quae passum est nuperrimè, bella, eo usque depauperatum est, ut quam pluri-

plurimis etiam ex his, qui fuerant mediocris fortunæ hominibus, nunc non ſuppeditet ad victum ſua ipſorum mendicitas. Taceo de jam pridem mendicis, quorum multitudo fuit innumera. Nullus quoque finis eſt mulierum propter egeſtatem ſe proſtituentium. Denique facta eſt hæc manus Domini adeo gravis in populo, ut impatientia fracti homines ferè ſibi licere putent, quavis injuria mutuo afficere. *Plaga certè admodùm miſerabilis, quam Deus curandam Tua opera providit hoc pacto. Scribes ad Mediolanenſem Ducem, antea Barbonenſem, hortatoriam Epiſtolam, & niſi audierit, comminatoriam, qua diſcat ſibi ſubditis refectionem mentis juxta & corporis providere. Hujus namque, tantam raſorum ac ventris animalium pecuniam (quâ impinguati multi, adverſus Dominum Deum recalcitrent) auferendo, & in plebem, per viros ad id electos, diſpergendo. Illius verò, efficiendo, ut tuto poſſit, quoad in manibus ejus eſt, unus quisque purum Dei verbum prædicare; maximè ſi ſit paratus reddere eorum, quæ dixit, rationem.* Erit quoque hoc haud quaquam

 inuti-

inutile ad excutiendum omnino, siquis scrupulus reliquus fuerit, in priore opere. Attamen, si tanta est hominis infirmitas, quo Deum ad ista connivere velle diffidat, vertat, rogo, oculos ad ipsam jam jam ipsissimo opere accinctam, nempe Germanorum, catervam, nihil magis appetentem. Potest quidem Deus, nullo utens instrumento, hæc & his majora facere: Sed ut debiles, sic enim reor, in fide paulatim solidaret, hujus generis seu fidei homines in unum coegit, veluti propinans ejusdem fidei instrumenta. Adde quod & facilius Antichristi robur enervabit. Confidit nimirum ille in multitudine divitiarum suarum, quibus revera utitur in sui multorúmque perditionem. *Sub hæc confratres nonnulli, Viri certè & pietate & eruditione nequaquam contemptibiles, voto quodam divino æstuantes, efflagitârunt, quotidiéque efflagitant, quo Te non rogarem modò; sed obsecrarem, imò per Deum adjurarem, sicut & facio, ut inter tot ac tantas occupationes Tuas vel horulam quoque nobis accommodandam suffureris. Qua quidem tempore ad nostri ordinis, ne dixerim Sectæ, Rectores scribas Epistolium, rationibus, quibus*

quibus poteris validioribus eoſdem avellens à tantarum Legum ſylva ſeu farragine. Ita tamen cautè, ne videaris eos ignorantiæ accuſare. Sunt quippe faſtuoſiſſimi, ob ídque ſua nervea colla rotarent. Proinde è Scripturis exempla aliqua ob oculos oppone, quibus intelligant, vel quàm Deo arrideat verbum ſuum impermiſtè ſeu purè prædicatum, vel quanta indignatione illud idem adulterantes, & ſua pro divinis indicentes, perſequatur. Húcque ſermonem inflectere poteris; ut ſua ipſorum ſalus à cordis radicibus nullatenus abſcedat: cui nihilominus eorundem quoque damnatio uſque ſit annexa: Itémque penitius expendant irati judicis atrocitatem, niſi valefecerint timori cuidam exitiabili, amittendi ſcilicet bona forinſeca, & alia quæcunque divinus Tibi Spiritus afflaverit. *Sit enim Epiſtola Tui ſimilis, comis ſcilicet ac Zelo fervida.* Verùm, ut quid ſus inſtruit Minervam? Hi, Dominica tertia poſt Paſcha reſurrectionis Domini, in unum convenient, ut quæ corrigenda ſunt, corrigant, ſua verba loquor, & quæ viderint reformanda, deforment, volui dicere reforment. Literas hujuſcemodi, ſi placet, ad nos

 dirigito,

dirigito, ejsdémque hunc in modum superinscribito: Dilectissimis in Domino fratribus, Augustinianis, nominis, seu observantiæ Professoribus, ubicunque fuerint pro suo capitulo celebrando congregatis &c. Postremò fateor, quia erubesco non nihil, cum animo ad munera Tua, quibus jam secundò onerâsti me, adverto, lucubrationes certè, si quid valet calculus meus, divinæ potius, quàm humanæ, nos etsi deficiant, quæ Te deceant, habet tamen Christus, in cujus gratiam opinor ista largitus es, unde rependat. Vale in eodem Jesu Christo, Comi ex Ædibus divi Augustini 15. Decemb. 1526. *Balthasar Fontana*, Carmelitanus Monachus, toti Ecclesiæ Christi Germaniæ inscripsit Epistolam, quæ inter Zuinglianas adhuc reperitur reliquias. Audiamus ipsam Italiam sub jugo gementem, & ad libertatem adspirantem: *O Christi fideles pergratissimi, ad quorum pientissimas manus præsentes nostræ feliciter pervenerint, Salvete, & mendici illius Evangelici Lazari, nec non & humilis Chananææ, saturitatem cupientis de micis, quæ cadunt de mensa Domini, mementote. Ego enim serò famelicus ille David & inermis, ad panes propositio-*

poſitionis & arma Templo dicata, confugio. Ego equidem ſitibundus eorum ad fontes aquarum viventium recurro; Ego itidem ſicut cæcus apud viam ſedens ad luciferentem vocifero. Ego inſuper debilis & infirmus apud piſcinam ſalutem mei & patriæ, toto mentis affectu citiſſimè expecto. Quod igitur ſua gratuita miſericordia Salvator Chriſtus larga manu vobis contulit, ex corde petentibus, quæſo, parce nolite tribuere. Nemo enim, ſi rectè ſapit, lucernam accenſam ſub modio ponit. Quis ille unquam (niſi mentis impos) operariam pecuniam à Domino ſibi creditam abſcondit? *Lachrymoſis ergo ſuſpiriis degentes in tenebris obſecramus humiliter, ut vos, qui titulum, volumina, & ſcientiarum auctores bene nôſtis (certi enim ſumus, vobis datum fore nôſſe myſterium regni Dei) præcipuè opera omnia diviniſſimi Zuinglii &c. nec non & aliorum electorum Doctorum, ſi qui ſunt, ad nos, pecuniis noſtris mediantibus penes magnificum Jacobum Vertmuller transmittere digneimini. Eja igitur, pretioſiſſimi Monarchæ, Sanctæque matris Eccleſiæ cardines, ut Civitas quædam*

Lom-

Lombardia, servituti Babylonica tradita, qua Christi Jesu Evangelium huc usque non novit, liberetur, satagite. Confoederati, conjunctique in expeditionem veritatis tres tantùm numero sumus. At non in multitudine fortium Gedeonis, sed in paucis à Deo selectis succubuit Madian. *Quis scit, si ex modica favilla maximum incendium Deus voluerit* excitare; Seminabimus, plantabimus, Dominus autem incrementum dabit. *Valete felicissime, nostri memores, si placet. Ex Locarno Kal. Martij 1531.* Itali etiam, ob veritatis confessionem, procul dubio, malè tractati, illa manus est, quæ & miserum suum statum graphicè depingit, & dubiorum quorundam solutionem petit. Hæc quoque Epistola, etsi ad plures sive Ecclesias, sive Ecclesiasticos sit scripta, *Zuinglio* tamen, ejúsque apud Italos authoritati, luculentum præbet testimonium. En ἀπορῦντα exitum desiderantem! Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de peccati spirituali malo: Fratres in Christo dilectissimi: *Ego infelix peccator superiori anno clausus teterrimo carcere, eo*

quod

quod laudáſſem doctrinam M. Lutheri: Cùm viderem agi de capite meo, & cenſu univerſo, ſuſtinui abjurare multas Evangelij veritates, confidens in Domino, fore, ut commodiore forſan opportunitate, erepto è faucibus impiorum patrimonio, & certior factus; de veritate Euchariſtiæ, de qua audieram, magnam eſſe diſceptationem inter Eccleſiæ Claſſicos; & ego valde ambigebam, quorſum animo inclinarem, quanquam proclivior ad Zuinglium, & nondum lectum Oecolampadium, & ſubinde etiam mecum in anguſtijs tantis reputabam: Quid enim ad ſalutem, ſive adſit, ſive abſit à pane & vino caro & ſanguis Chriſti? fides Te ſalvat. *Aggrederer forti animo oblatum hoc martyrium. Quùm etiam viderem ſimpliciſſimum, & inermem Grammatiſtam ab impijs & verſipellibus ſophiſtis circumventum, neque ſcirem evidentioribus argumentis cauſam meam tueri, quam tamen juſtiſſimam eſſe arbitrabar, imò in plerisque ſuccumbere viderer;* Decrevi tandem, invocata ſæpius divina miſericordia, utcunque elabi, elapſus ſum; ſed hac conditione, ut pro ſuggeſtu ad populum palàm

làm revocarem, & palinodiam benedictorum canerem: Cecini, sed ita obscurans & involvens orationem, ut rude vulgus, in quo ago, penè nesciat hujus negotij summam, nedum capita. Clausum est mihi os, & indictum silentium, ne quid de hujusmodi rebus proloquar, id est, ut Evangelium prorsus abdicem. Inquisitor Prædicatorius arbitrium sibi reservat, sententiam, ubi videatur, mutandi, de bonis meis, quæ & fisco addixit; permisso mihi jure (ut ipse ajt) de mera misericordia sua, quoquo modo, pro victu meo alienandi. *Alienabo, si Deus aliquandiu vivere mihi dederit, neque in manus harpyarum devolventur. Sed non hac tantum fluxarum rerum conditio me malè premit, quantum animo malè sedet, quod subinde missare coarctor; quo procul avertam, quicquid in hæreticos dici & fieri consuetum est.* Et licet hoc nulla sordidæ mercedis expectatione efficiam, quia, si quid præter spem, pecuniolæ offeratur, illico in egenos erogem, videor mihi tamen nescio quid minus præstare, quàm egregium & magnificum deceat superstitionum contemptorem. *Sed quid agam? Quò me vertam? Vivo quartum & quinquagesimum*

ſimum ætatis annum ægritudine laborans incurabili : Sunt mihi pupilli duo, & mulierculæ itidem duæ, quos omnes gratis ſuſceperam alendos, cùm antehac proſperiore uſus & valetudine, & rerum fortuna, Grammaticen profiterer : hoſne deſeram? Quid autem nonne hos Chriſtus citra Tuas ſuperſtitiones alere poterit? Tune igitur, cùm non longè terra Canaan arrideat, ultrò duriſsimam hanc Ægypti servies ſervitutem? Quid verò etiamſi ad domeſticos fidei proficiſcare, in commune proderis, idiomatis germanici & Linguarum ignarus? Tu ne ſuſtinebis cura & ſumtu fideles onerare? Sed quid? morieris inultus? Nonne ſemel Chriſtum fortiter & palàm profiteberis, ac mox collectis ſarcinulis ſolum vertes? An potiùs aliquid ſcribes morti proximus, quod legant poſteri? Num ſi velis ſolus & trivialis Grammatiſta quicquam de religione diſcere, illico conſilium tuum inopis confundetur, & deſtitutis familiaribus, ac peſſundato peculio, cum Chriſti etiam ignominia ad incendium rapiere? *Cum Chriſti ignominia dico, fratres Chariſſimi, eo quod ad Sophiſtarum captiunculas, quædam non ſatis exacta reſponderim*

derim &c. Ita quotidie incertum animus meus fluctuat. Necesse est & missare, vel missantibus interesse, aut hæreseos stigmate inuri. Quòd si vobis consultoribus missare liceat, non defuturæ sint eleemosynæ, quibus Ecclesiolam meam domesticam commodiùs alere queam: nam aliunde in præsentia non reperio, qui victum suppeditem: tenuis est census, & præ adversa valetudine multitudini docendæ non amplius sum idoneus. *Audio in Germania alicubi missari illustrium consilio, rursus alicubi eversam prorsus Missam præstantium virorum decreto. Super* hoc negotio nihil legi, præter opusculum Zuinglij de vera & falsa religione, & contra Emserum Antibolon, & duo item Oecolampadij opuscula, Expositionem verborum Domini, *hoc est corpus meum*, & Anti-Syngramma. *O quàm gratum mihi futurum sit, dilectissimi, si quis vestrum scribendi provinciam obeat, quo more, quibus verbis, quali specie, quanto numero Eucharistiam frequenteris, quid mihi faciendum censeatis, quos parandos libros, ut plenius de revelata tandem veritate instruar.* Supersedeo plura

plura ſcribere, quoniam hic meus tabellarius me intus & in cute novit, ex quo diligenter interrogato, poteritis non obſcurè deprehendere ingenium & conditionem meam, quibus plenè exploratis, poteritis, ſcio enim & voletis, conſilio veſtro, fideli videlicet & Chriſtiano, mihi, tam anxiè laboranti, & opem, hac in re ſeria, veſtram efflagitanti, perbenignè adeſſe; quod ut faciatis det Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cujus ſit ſemper Spiritus cum Spiritu veſtro, Fratres, Amen. *Ego & aliquot alij Sacerdotes inter miſſandum immutamus verba, quæ ſonant, ſacrificium eſſe cœnam illam Dominicam: neque aliud agnoſcimus ſacrificium, quàm corporis & Spiritus contribulati & laudes, &c.* Hæc verò quis ex Italia expectâſſet?

Ex BELGis multorum loco ſit *Abbas* ille *Gandavenſis*, Couſardus, cujus eximium de Zuinglio judicium videſis ſup. p. 264. Alius, qui Zuinglio commendari voluit, meminit Oecolampad. ad ipſum Reformatorem: *Qui literas reddit Batavus eſt, φιλόχριστος, ut à fratribus commendatus eſt, & omnis ſermo ejus manifeſtat. Expedit Evangelij negotia, ut ijs qui ſincerè collo-*

Belgium.

quium nostrum petunt, nos ultrò illis humaniter offeramus, quo calumniatoribus pessima quæque in nos convitia congerentibus, & Evangelium sic remorari frustra cupientibus, ora per veraces amicos aliquatenus obthurentur. Sed & Belgæ fuerunt, quibus explicatio Zuinglij de verbis institutionis in ipsis statim Reformationis incunabulis placuit: qua de re *Lavat.* Hist. Sac. a. Chr. 1524. Et ut ne plures commemoremus, ex primis fuit Belga, qui & Helvetię propter Zuinglium, Glareanum &c. adeóque reflorescentes literas, ausus fuit gratulari; & illum ad publica scripta excitare. Incidi, præter opinionem, his diebus in magni Erasmi Epistolam χειρόγραφον, quę hanc primiceriæ laudis Zuinglianæ Belgis tribuit prærogativam, ut ab eo tempore mutui, nationis ὁμοιοπαθοῦς, minimè obscura relicta sint affectûs vestigia. *Erasmus Roterodamus Huldrico Zuinglio, Philosopho ac Theologo cumprimis erudito, amico fratris vice dilecto.* Majorem in modum me delectavit & Tuus tam propensus in me animus, *& literarum Tuarum festiva juxta ac erudita argutia.* Quibus si parùm respondeo, non mihi debes supputare; sed hisce laboribus, nunquam opinor finien-

finiendis, per quos cùm ſæpe numero cogor eſſe parùm humanus in eos, in quos minimè velim, in me ipſum tamen ſum longè inhumaniſsimus, genij vim exhauriens, quam me quinta quidem ſarciat eſſentia. *Lucubrationes noſtras Tibi probari, Viro tam probato, vehementer lætor, & hoc ſanè nomine minus mihi diſplicent. Gratulor Helveticæ Genti, cujus ingenio peculiariter etiam faveo, quam Tu Tuíque ſimiles optimis etiam ſtudijs ac moribus, & expolietis & nobilitabitis, principe & anteſignano Glareano, qui mihi non minus ob eximiam ac variam eruditionem eſt gratus, quàm ob ſingularem vitæ morúmque ſanctimoniam & integritatem, homo toto pectore Tibi deditus.* Nos ſtatim à feſto Pentecoſtes Brabantiam reviſimus, ſic enim res flagitavit. Ab hoc cælo non libenter divellimur. *Fac, mi Huldrice, ut obiter & calamum exerceas, optimum dicendi Magiſtrum: video favere Minervam, ſi acceſſerit exercitatio.* Hoc ſcripſi à cœna impulſore Glareano, cui nil negare poſſum, etiamſi nudum ſaltare jubeat. Bene vale, Baſileæ. Hæc ad Zuinglium, Glareanum adhuc Paſtorem. Perrexit deinceps Zuing-

lium & amare, & ad Evangelium præconiandum excitare. Postquam verò seriò Reformator agere, superstitionem arietare, salibus nonnunquam inertem clerum, adversariorum jejuna & frigida ratiocinia perspergere, doctrinam cumprimis Sacramentariam, aliter, quàm vel Scholis, vel receptis consuetudinibus placuisset, tradere cæpisset, acrimoniam primò Erasmus sugillavit, postea laudem in bello Anti-Zuingliano quæsivit non obscuram. *Illud* testantur literæ ad Zuinglium familiares; *hoc* Apologia ad Facultatem Theologicam Parisiensem. Prioribus, ægrè tulisse se Editionem Apologetici, quam, ut suo tempore audiemus, optimi & eruditissimi quique maximi fecerunt, vel ideo dissimulare noluit, quòd existimaret, paulò clementiùs tractandos Adversarios. *Eruditissime Zuingli. Legi paginas aliquot Apologetici Tui. Obsecro Te per Evangelij gloriam*; cui scio Te unicè favere, *& omnes, quot quot Christi nomine censemur, favere debemus; ut si quid edes posthac; rem seriam agas seriò, & memineris Evangelicæ tùm modestiæ, tum prudentiæ. Consule doctos amicos, antequam aliquid edas in vulgus. Vereor, ne ista Apologia*

pologia conciliet Tibi magnum periculum, & Evangelio officiat, etiam in his paucis, quæ legi, multa ſunt, de quibus volebam Te admonitum. Non dubito, quin Tua prudentia ſit hæc boni conſultura. Scripſi enim animo Tui ſtudioſiſsimo ad multam noctem. Bene vale. Natali Virginis Matris, Anno 1522. An juſtam reprehenſionis ſuæ habuerit Eraſmus cauſam, poſtea videbimus; illud monemus, Zuinglium, religioſiſsimum amicitiæ cultorem, ita hanc admiſiſse ἐπίπληξιν, ut ipſum etiam Eraſmum inde habuerit humanitatis ipſius præconem. Teſtis eſt mox inſecuta Eraſmi reſponſio. *Humanitatis mira eſt Tua, mi Zuingli, boni conſulere ſtudium in Te meum. Sed ego multos fruſtra admoneo: Facilè ferrem temeritatem aliorum, niſi hæc res gravaret & bonas literas, & bonos viros, & rem Evangelicam, cui, dum ſtultè favent, officiunt, adeò ut ſi quis cupiat extinctam doctrinam Christi, non poſſit meliorem præſtare operam. Exiit & aliud nugamentum nugaciſſimum de Pontifice. Qui ſcripſit, ſi addidiſſet nomen ſuum, fortiter inſaniiſſet. Nunc periculoſas, nec minus inſul-*

sas nugas absque titulo prodidit. Si tales sunt omnes Lutherani, mihi valebunt quotquot sunt. Nihil unquam vidi dementius his ineptijs. Nisi me Brunus hic alligaret, quovis demigrarem potiùs, quàm hujusmodi nænias audire cogerer. Bene vale, mi Zuingli, & rem Evangelicam prudenter ac fortiter gere. Basil. postrid. concept. 1522. Cùm idem postea an. Chr. 1526. ad Colloquium Badense vocaretur, literis se purgavit, annexa, suæ de Cœna Domini sententiæ, explicatione, in qua adeò ille sibi fuit blanditus, ut ejus veluti trophæi, suo ad Parisienses Apologetico, meminerit. Epistolæ Apographum habes sup. p. 605.

AN-GLIA.

O. ANGLIA & spem Reformationis ostendit, &, maximorum Heroum judicio, Zuinglij dignissima videbatur solicitudine. Ita enim *Philippus*, Hassiæ Landgravius 1530. ad Zuingl. *Audio læta Evangelij incrementa in Anglia: opera pretium esset, si virum illuc mitteres eruditum & pium, bono rei Christianæ.* Id quod & aliâ ejusdem anni repetijt Epistolâ. Aliquid etiam ex Anglia retulit Grynæus, de quo Oecolamp. ad Zuinglium: *Eodem ferè tempore, quo ego ex*

ex Suevia , illo etiam ex Anglia domum redijt Grynæus noſter, qui ibi apud Proceres Regni, viros doctiſsimos, magnam gratiam invenit, & nonnihil invidiæ , qua Evangelium laborat, è multorum cordibus exemit. Nondum enim deplorata eſt opinio noſtri, etiam apud exteros. Proinde occaſionem hanc negligere nequaquam licet. Si forſan olim Rex per Papam deceptus, per Lutherum indigniſsimè tractatus, nos agnoſcere cupiat, nec adulando veritatis negligentes, nec zelando à compaſsione alienos.

P. Quin & ipſa *Luſatia*, Zuinglij doctrinam, veluti Dei verbo conſentaneam , admittere non detrectavit. Et quamvis poſt obitum ejus; ut eò ſe mentes hominum, quò fortuna inclinant; nutare multi cæperint, nunquam tamen defuerunt, qui in agnita ſemel veritate conſtanter permanſerunt. Ita enim *Oſvvaldus Pergenerus*, Zittâ ex Marchionatu ſuperioris Luſatiæ , d. 13. Octob. 1533. ad noſtrum Bullingerum. Gratiam & pacem à Domino. *Poſt infauſtum Martem , quo è medio ſublatus eſt ſanctæ memoriæ vir, Huldrichus Zuinglius, exigua fuit apud noſtrates ſpes, quenquam [illegible]e, qui ejus do-*

Luſatia.

ctrinam, præcipuè de Eucharistia, publicè profiteri auderet, jámque multi ex fratribus meis (nam sciebant, me impensissimè suis adhærere scriptis) me erroneam ovem appellabant, ut puta quia pastor miserè interijsset; cujus interitus sanè maximum multis hic attulit mœrorem. De causa verò mortis, variæ erant opiniones, sed plerunque falsæ; cúmque ego contra tantam turbam solus fermè non sufficerem, tacitus mecum omnia scripta tum Zuinglij, tum Johannis Oecolampadij, viri incomparabilis, sedulò domi incepi relegere. Adjutus tandem his mutis Magistris, impetum adversariorum, qui omnia sinistrè interpretari, quàm dextrè malunt, non valde pertimui. Postea, cùm legatum hujus nostræ Reipublicæ apud Pragenses agerem, anno 1532. mense Majo, incidi Pragæ in domum cujusdam Baronis, Conradi à Krayku mihi etiam familiarissimi, qui & maximè delectatur vestris scriptis, præcipuè Germanicis; is cùm aliquot libros à Bibliopola accepisset, ut eos filio suo Ernesto, cui & Latinæ literæ arrident, traderet, ecce, tanquam virgulâ divinâ offendi

inter

inter eos libellum Tuum verè chriſtianiſſimum de officio Prophetico. Illico convenio bibliopolam, rogabam, num plura exemplaria haberet? dicebat, ſe nonniſi duo habuiſſe, jámque eſſe divendita, neque tum plura in nundinis Lipſienſibus vidiſſe. Rurſus accedo meum Baronem, rogo, ut mihi aliquot dies hoc Tuo libello uti liceat, cùm jam nullus reperiretur apud Bibliopolas; non ſolùm annuit ille, ſed & libellum dono mihi dedit, pollicens majora, ſi poſtularem, daturum: quod & non rarò fecit. Obſervantiſsimus enim eſt Evangelicæ veritatis, veſtrámque aſſertionem, imò Chriſti & Apoſtolorum doctrinam de cœna Domini, unicè complectitur. *Dici non poteſt, quanta alacritate is Tuus libellus me ac fratres meos, qui publicè hac in re mecum ſentiunt, affecit. Scribere non auſim, doctiſſime Bullingere, quantum nos iſto Tuo libello profecimus, & hoc, gratia Dei, neſcio quo fato id fiat, ut etiam reclamantibus hoſtibus libelli Tigurini ad nos perferantur.* Agimus Tibi perpetuas gratias de libro in Symbolum amicitiæ nobis miſſo. Utinam par pari referre liceret! animi noſtri interim benevolentiam & promtitu-

dinem quæso accipe. Consolabuntur ex eo alij fratres, qui partim in alijs Civitatibus. Salutant Te ac alios Tuos commilitones in hac civitate viri præstantes, Wenceslaus Lankisch, nostræ civitatis judex; Fridericus Vigantus, natione Helvetius, vir ordinis Senatorij &c. Vale, vir Christianissime ac pro nobis ora. Datum Zittæ in Marchionatu superioris Lusatiæ 13. mensis Octobris 1533. *Osvvaldus Pergenerus Magister &c. ab Epistolis.* Claudam ordinem relatione *Buceri*, quæ, Zuinglium suos alibi etiam habuisse discipulos, clarè evincet. *Est quidam modò hic* (Argentinæ) *qui fortißimè apud Danos, Suedos & Livonios Lutheri sententiam oppugnavit, nec minus feliciter. Ipse DANORum Rex, & multi ex Ecclesiarum Ministris & Proceribus, cum omni ferè plebe Servatorem jam in dextris Patris adorat. Filius Regis cum quibusdam obstitit, & Pomeranum adscivit, & hunc fratrem, eo quòd laicus esset, ut vocant, regno expulit. Supersunt autem plurimi rectè veritatem edocti. Dedit his diebus quidam ad me literas ex Magnopolensium Ducatu, Civitate VVismariensi, verè in Domino doctus*

ctus, qui palàm Chriſti gloriam à pane vindicat. In Friſia Orientali, regione ampla, in qua plurimi fratres ſunt, puriſſimè Chriſtum prædicantes, pridem impanatio exploſa eſt.

[q] Hanc de Zuinglio εὐφημίαν, non contemnendam, aut fortuitam cenſendam, meritò, appendicis loco, atteximus. Eſt enim hæc beata & benedicta illa Sanctorum recordatio, de qua *Solomon* in Proverb. c. 10. v. 7. *Memoria juſti erit in benedictionem,* quámq; adeò religiosè obſervant etiamnum Orientales, ad omnium, qui non malè ſunt de publico meriti, mentionem. Eſt εὐφημία illa Apoſtolica, de qua 2. Cor. 6. v. 8. ἐν παντὶ συνιστῶντες ἑαυτοὺς διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας, ὡς πλάνοι καὶ ἀληθεῖς. *In omnibus nos approbantes per gloriam & ignominiam, per convitia & laudes, ut ſeductores & tamen veraces.* Eſt gratia illa, quâ, DEO accepti, etiam apud homines pollent. Prout de Apoſtolis legimus, cæteriſque Chriſtianiſmi primitijs, quòd, laudantes Deum, habuerint χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαὸν *gratiam apud totum populum:* quod alibi Scriptura vocat

παντὶ

παντὶ τῷ λαῷ τιμίους, Act. 5. 34. *toti populo pretiosos*; ὑπὸ πάντων δοξαζομένους, Luc. 4. 15. *ab omnibus honoratos*. Prout de Davide dicitur, ἤρεσεν ἐν ὀφθαλμοῖς παντὸς τοῦ λαοῦ *placuit in oculis totius populi*; de Daniele in Histor. Susannæ com. ult. ἐγένετο μέγας ἐναντίον τοῦ λαοῦ *Magnus evasit coram populo*. Salustius, *in ore agent populo . Civitati*. Neque enim negari potest, tot probis probari, dignúmque ad tam eximia præstanda censeri, nec ultimam laudem, nec obscurum presentis Numinis esse vestigium. Ut enim Regum & Principum; sic quorumlibet aliorum corda, Deum velut rivulos dirigere, & in favorem nostri accendere; grato semper fateri debemus animo, nisi ingratissimi haberi velimus beneficiorum divinorum decoctores. Certum est, εὐφημεῖσθαι καὶ παρὰ τῶν πέριξ πόλεων μακαρίζεσθαι, adeóque in gratia esse apud bonos, sedibus venire ætherijs.

V. Atqui *hæc* de Zuinglio pauló operosius & prolixius, tum ut [a] de *magni* Herois virtutibus, donis, laboribus, posteritati *distinctius* constaret, *tum ut* [b] antithesis inter ipsum, Episcopum seu

ſeu Paſtorem reformatum, *&* Pontificios, clariùs pateſceret; tum etiam, ut quæ [c] Eccleſiæ prima Zuinglio prudenti Architecto, deberent fundamenta, oſtenderemus; inſuper, ut vocationis ipſius [d] prodromum exhiberemus; tum denique ut [e] Majorum votis & expectationi ſatis faceremus:

[a] Non ergo una tantùm cauſa eſt, quę rem ab ovo arceſſere, & Zuinglij manibus de novo quaſi parentare juſsit. In *prima* certè enim, multum eſſe ſitum, quis non videat? Ut ex trito axiomate, *Deus & Natura nihil faciunt fruſtra; &, qui deſtinat ad finem, etiam deſtinat ad media*; ita cur donorum cœleſtium menſurā Zuinglio collatā, quàm ut magna prę̨ſtaret, exiſtimemus? Quem vel in Veteri, vel Novo Teſtamento magnis adhibere voluit Magnus Eccleſiæ ſuæ cuſtos, eundem etiam ſingularibus inſtruxit donis. Talia, non vulgaria, domi latentia, obſcura Zuinglij fuiſſe eruditionis, pietatis, prudentiæ Eccleſiaſticæ χαρίσματα, totus, ut modò audivimus, prædicat Mundus. Loquuntur quidem etiam tot ejus poſteritati relicta ſcripta, virum fuiſſe, divinitus excitatum,

tum, divinis & eminentissimis, ad obeundum munus, requisitis instructum; sed &, quæ aliorum, tum de scriptore, tum de scriptis essent judicia, supprimi non debebat, ut alieno ore laudatum, ab ipsis Adversarijs commendatum, talem fuisse malevoli etiam, animadverterent, qualem in Episcopatu, & Apostolica regula, & primitivæ Ecclesiæ praxis poscebat. Præmatura Zuinglij mors erat, neque vel per ætatem adeò altas in hominum mentibus agere poterat radices, ut vel satis memor esset posteritas tot rerum per Zuinglium præclarè gestarum, vel etiam grata, vel gnara denique tot laborum, solicitationum, consultationum, certaminum, judiciorum, quæ in vita Zuinglij, ejúsque vocatione diligenter erant observanda. Ex ijs demum, quæ paulò jam fusiùs deduximus, illi etiam, qui vel mediocri rerum Ecclesiasticarum curâ tanguntur, sine negotio colligent, nullum in orbe Europæo propemodum fuisse angulum, quò eruditionis Zuinglianæ fama non pervaserit: Nullum eruditum, qui Zuinglij amicitiam non seriò quæsiverit: Nullum pro restauranda religione solicitum, qui Zuinglium tanto conatui imparem judicârit; Nullum in divinis & sacris versatum

tum, qui in Zuinglij acumine, Linguarum peritia, proponendi dexteritate, explicandi ſoliditate θεῖόν τι obſervârit. Verbo, quicquid fermè in veteribus auguſtum, laude & æternitate dignum, pietatis nomine commendatum, eruditionis ſplendore erat coruſcum, id ipſum ſuperioris ſeculi eruditorum conſenſu Zuinglio tributum eſſe, ijs oſtendimus documentis, & quæ ἀναντίρρητα ſunt, & ἀξιόπιστα.

Sed & (b) altera ratio prægnans ſatis eſt. Oppoſita juxta ſe poſita, magis elucеſcunt. Tenebræ nunquam lux erunt; etſi non deſint, qui tenebras appellent lucem, *Eſaj.* 5.20. Lux tamen tum demum in pretio habetur, ſi cum Ægyptiacis & Cimmerijs illa conferatur tenebris, quod ne Ægyptij quidem, non duræ cervicis modò, ſed duriſſimi cordis homines, agnoverunt, *Exod.* 10. 21.22. Etſi ergo, qui in denſiſsimis ſuperiorum ſeculorum vixerunt tenebris, Eccleſiarum Antiſtites, Epiſcoporum retinuerint nomenclaturam; res ipſa tamen magno cum Chriſtianorum cætuum diſpendio fuit deſiderata. Poſtquam verò Urim & Tummim, *lumina & perfectiones*, *ſcientiæ* ſplendor, & *conſcientiæ* integritas, per Reformatores in orbem redierunt, cur miremur

mur ex ipſa fuiſſe plebe excitatos, qui pretioſum à vili, æra à lupinis diſcernerent. Zuinglij eruditionem maximi quique ſuſpiciebant, charitatem prædicabant, pietatem publicè commendabant, omnes illas virtutes, quas Apoſtolus ab Epiſcopo poſtulabat, larga manu tribuebant; Quid interea de Papiſmi clero? Illi jam, qui non ſemel, nec ſine ratione erant conqueſti, vix quicquam tum, præter ſuperbos titulos, & inanes ſuperfuiſſe ceremonias, veſtes verſicolores, κεφαλὰς ἄνερ ἐγκεφάλȣ, qui ad gubernacula Eccleſiaſtici ſedebant regiminis; eſſent audiendi. Sed quia alibi jam ſentinam hanc exhauſimus, (vide *Anal.* P.1. de neceſsitate Reformationis, & *Gymnaſ. Theolog.* Cap. 1. Totum præſertim Tomum hujus ſeculi XVI. primum) ſtrictim tantùm & breviter monebimus, quòd, quemadmodum Zuinglij eruditio, pietas, φιλοξενία, φιλοπτωχία utramque fermè pulſavit Mundi domum, vix contrà in orbe reperiatur angulus, ubi non graviſsimæ de miſero & deplorando Clericorum ſtatu motæ fuerunt querelæ. In *Hiſpania* obvius eſt *Rodericus Zamorenſis*, qui ſub Paulo II. circa an. Chr. 1464. *Speculum* ſcripſit *vitæ humanæ*, cujus ſecundo libro ἐγκλήματα cleri

graphi

graphicè depinguntur, à capite ad calcem, à Pontifice ad Monachum. In *Italia* Petrarcha, Dantes, Mirandulanus; concionatores etiam cordatiores, ulcus hoc tetigerunt. Vide *Secul. XVI. P. I. p. 815. &c.* De *Germania* & *Belgio* loquitur hinc inde Eraſmus Roterodamus, in Eccleſiaſte, Moria, Adagijs. Succinctè Chil. III. centur. 3. *Sileni Alcibiadis. Hujusmodi Sileni fuit contemptus & irriſus ille Epiſcopus, Martinus. Tales fuerunt veteres illi Epiſcopi, humilitate ſublimes, paupertate locupletes, gloria neglecta glorioſi. Latitant & hodie boni quidam Sileni*; ſed heu nimium pauci. Bona pars hominum, præpoſterum Silenum exprimunt. Siquis rerum vim ac naturam penitus introſpiciat, reperiet, nullos à vera ſapientia longiùs abeſſe, quàm iſtos, qui magnificis titulis, qui ſapientibus pileis, qui ſplendidis cingulis, qui gemmatis annulis abſolutam profitentur ſapientiam. Adeò ut non rarò plus veræ germanæque ſapientiæ deprehendas in uno quopiam homuncione, juxta vulgi opinionem, Idiota ſimplice ac ac ſemifatuo, cujus mentem non ſubtilis, ut vocant, Scotus, ſed cæleſtis ille Chriſti docuit Spiritus, quàm in multis Theologo-

rum Tragicis personis, ac terque quaterque Magistris nostris, Aristotele suo turgidis, magistralium definitionum, conclusionum & propositionum turba disertis. *Non in omneis hoc dixerim; sed in heu nimium multos.* Item videas, nullos esse minùs Episcopos, quàm qui inter Episcopos primas tenent. Etiam atque etiam rogo Te, lector, ne putes hæc in cujusquam dici contumeliam. Rem notamus, non homines. Optamus esse nullos, in quos hæc congruunt. *Et si tales nunc nulli sunt, quod faxit Christus, tales olim fuerunt, & inposterum fortasse futuri sunt. Atque utinam illud quoque falsum esset, sæpe numero longissimè semotos esse à vera religione, qui titulo, qui cultu, qui ceremoniis legem absolutam profitentur.* Sunt quorum si consideres rasum verticem, venereris ut Sacerdotes; si Silenum introspicias, plusquam laicos reperias. Fortassis & Episcopos aliquot reperias, quorum solennem illam consecrationem si spectes, si novum ornatum inspicias, mitram gemmis & auro nitentem, pedum item gemmeum, in summa, totam illam ἐκ ποδὸς εἰς κεφαλὴν mysticam panopliam, videlicet cælestem quempiam, & homine majorem

jorem virum expectes. Inverte Silenum, nihil interdum invenies, nisi bellatorem, negotiatorem, denique tyrannum, jámque magnifica illa insignia comœdiam fuisse judicabis. Sunt, atque utinam non tam passim obvij sint, quos si quis è barbæ sylva, pallore, cucullo, inflexis cervicibus, cingulo, supercilio, vultúsque truculentia velit æstimare, Serapiones ac Paulos esse dicat: sin explices, meros invenies balatrones, helluones, planos, ganeones, imò prædones ac tyrannos: sed alia via, & haud scio an hoc pestilentiore, quo tectiore, planèque quod ajunt, ἄνθρακας τὸν θησαυρόν. Deinde ex præposteris opinionibus præpostera rerum vocabula. Ecclesiam vocant sacrificos, Episcopos, ac summos Pontifices, cùm hi revera nihil aliud sint, quàm Ecclesiæ Ministri. Cæterùm, Ecclesia populus est Christianus, quem Christus ipse majorem vocat, ut cui tecum beati ministrent Episcopi, obsequio minores, sed alia ratione majores, si modò Christum, ut successione muneris, ita morum ac vitæ referant imitatione, qui cùm modis omnibus Princeps ac Dominus esset omnium, Ministri partes suscepit, non Domini. Omne fulmen torquetur in illos, hostes Ecclesiæ vocantur, ac propemodum

hæretici, qui sacerdotum crumenam nummulis aliquot fraudârint. Equidem non adsum fraudatori; ne quis hoc interpretetur, verùm, cedò, siquidem hostem Ecclesiæ juvit odisse, num esse posit hostis Ecclesiæ perniciosior, aut capitalior, quàm impius Pontifex? Ubi nonnihil de Sacerdotum prædijs aut censu diminutum fuerit, clamatur undique, opprimi Christianam Ecclesiam. Ubi concitatur orbis ad bellum, ubi palàm improba sacerdotum vita, tot animarum millia pertrahuntur in exitium, nemo deplorat Ecclesiæ vicem, cùm verè jam affligatur Ecclesia. Ornatam & cohonestatam vocant Ecclesiam, non cùm in populo gliscit pietas, cùm vitia decrescunt, boni mores augescunt, cùm sacra doctrina viget: Verùm, cùm auro gemmisque lucent altaria, imò cùm his neglectis, prædijs, famulitio, luxu, mulis, equis, sumtuosis ædium, vel magis, palatiorum substructionibus, ac reliquo vitæ strepitu, Satrapas æquant Sacerdotes. *Atque hac adeò videntur recta, ut in ipsis Pontificum diplomatibus inseratur hujusmodi elogium*: Quoniam ille Cardinalis tot equos, tot purpuratos alens domi, vehementer ornat Ecclesiam Dei, concedimus illi quartam Episcopi dignitatem.

tem. Et in ornamentum Eccleſiæ jubentur Epiſcopi, Sacerdotes & Clerici purpura & ſericis veſtiri. O miram Eccleſiæ dignitatem! Quid supereſt poſteaquam etiam vocabula honeſti perdidimus? Neque enim libet interim eorum meminiſſe, qui cenſum Eccleſiaſticum in impios uſus magno plebis offendiculo profundunt. His ſi quid accreverit, gratamur & auctam Chriſti Eccleſiam: cùm verum & unicum Eccleſiæ lucrum ſit, Chriſtianæ vitæ profectus. Blaſphemiam vocant, ſi quis parùm reverenter de Chriſtophoro loquatur aut Georgio, nec omnes omnium fabulas æquet Evangelio. Verùm Paulus blaſphemiam appellat, quoties impijs Chriſtianorum moribus fit, ut Chriſti nomen infametur inter Ethnicos. Quid enim conſentaneum eſt Chriſtianæ religionis hoſtes dicere, cùm in Evangelicis literis viderint Chriſtum ad opum contemtum, ad voluptatum abdicationem, ad gloriæ neglectum hortantem, & è regione conſpexerint, primores etiam ac duces Chriſtianæ profeſsionis ita vivere, ut opum accumulandarum ſtudio, ut voluptatum amore, ut vitæ ſplendore, ut belli ferocia, cæteriſque ferè vitijs omnibus ipſos ſuperent Ethnicos? Intelligit prudens lector, quid hic taceam, ob honorem Chriſtiani

 nomi-

nominis, & apud me suspirem. Sed & cætera quæ subjicit, quid aliud sunt quàm tabula exactissima, quâ status superioris seculi, Apostolico veteri è diametro oppositus, depingitur: quibus, quia publicè illa legi possunt, ne actum agamus, repetendis meritò supersedemus; ad illos properantes, qui vultum *Ecclesiarum Helveticarum* tempore Reformationis propiùs ipsi, testes αὐτόπται, inspexerunt. Cadaverosam verò & vietam illam faciem Bullingerus noster, homo Helvetius, Zuinglij Reformatoris successor, optima depinxit fide. Multa (ita de statu Ecclesiarum Helveticarum circa an. Chr. 1519. loquitur) ab aliquot seculis in religionem & Ecclesiam Christianam irrepserunt superstitiosa, impia, execranda; quæ magis magisque ita invaluerunt, ut nec modum, nec metam habuerint. Unum & alterum proferre liceat. Cùm eo tempore omnes aliquando Decani in Helvetia congregarentur, tres tantùm reperti sunt, qui contextum sacrum legissent: Cæteri omnes fatebantur, se ne quidem Novum Testamentum percurrisse. Unde facilis conjectura, quid de reliquis Sacerdotibus habendum esset. Pauci studijs vacabant; alea, luxu, libidine occupati. Qui paulò

paulò erant graviores, hypocryſi ſe deturpabant. Etſi qui fortè literis aliquid impendiſſent, Scholaſticam illi ſequebantur Theologiam, & jus Pontificium. Plerique mancipia erant ſermologorum; qui excuſas & ſcriptas Monachorum conciones memoriæ impreſſas, populo, ſine judicio, recitabant. Qui inter Concionatores habebantur ἔξοχοι ἄλλων, illi cum Theologia Ariſtotelem miſcebant, aut etiam conciones ſuas ex Magiſtro ſententiarum, Thoma de Aquino, alijsq; hujus farinę Doctoribus adornabant. In concionibus iſtis, de corrupta noſtra natura, peccato, peccatorum per unicum Mediatorem Chriſtum redemtione, juſtificatione fidei &c. nihil audiebatur: id contrà publicè docebâtur, hominem ſuis operibus, veluti meritorijs, vitam æternam poſſe conſequi. Stentorea ubique voce crepabant ſatisfactiones, Confeſsionem auricularem, Indulgentias, Purgatorium. Frequentiùs Beata Virgo plebi, quàm ipſe Servator inculcabatur; Sanctorum invocatio, quàm Chriſti ſacrificium & interceſsio crebriùs proponebatur. Hinc creaturarum invocatio, corruptela religioſæ & ſanctæ adorationis ſolius Dei, imagines Dei & creaturarum. Summâ, omnia abundabant Ido-

 lis,

lis, peregrinationibus religiosis, Idololatria, superstitione. In templis Missa in nundinationem migravit: Quin Sacramenta omnia, & quicquid sanctum habebatur, venalia erant. Cantus in Monasterijs, ut plurimùm, fuit superstitiosus. Ipsa Monasteria turpiter degenerabant: Ne fundatorum quidem, nedum Dei regulæ observabantur: Nova quotidie erigebantur altaria, Idola, præbendæ, peregrinationes. Clericorum numerus immane quantum augebatur, quorum avaritiâ facultates laicorum, Nobilium maximè, devorabantur: Hinc gemitus ubique & querelæ. Fastus enim & libido primariorum Antistitum intolerabilis erat. Doctrina eorum falsa, vita plurimorum turpis, scandalique plena. Et quos superstites miserè vexârunt, mortuos suffragijs suis, septimis, tricesimis &c. planè excoriârunt. Hæc, pluráque id genus superioris seculi onera Bullingerus, alijque recensent. Mittamus jam Pontificem, religionem Romanam, vetustatis fuco illitam. Omittamus odiosa adversarijs nomina, Zuinglij, Lutheri, Calvini; Rem conferamus cum re, causam cum causa. Arborem quæramus cum fructibus: Prophetam cum signis. Exhibeatur alterâ quidem tabellâ corruptus

Eccle-

Ecclesiæ & Ecclesiastarum vel præcedentis seculi status: alterâ verò elogia, & encomia adeò prolixè & liberaliter Reformatoribus tributa, illisq;, qui vel mediocriter in sacris literis, Epistolis præsertim Paulinis, & primitivæ Ecclesiæ praxi, aut Canonibus versati sunt, judicium relinquamus; utri legitimæ vocationis Ecclesiasticæ habeant characteres. Illi, qui rem possident, an qui nominibus superbiunt? qui divinitus sunt notati, an qui humano titulorum fuco signati? Sed de hac re fusiùs, C. 9. proximè, ubi de vocatione Reformatorum agemus.

[c] Tertia nostri instituti ratio est, ut prolixiori hac ostenderemus tractatione; non Helveticas tantùm; sed plures alias, Germanicas, Gallicas; Anglicas, &c. Ecclesias Zuinglium veluti Patrem, qui in Christo eas formavit, id est, reformavit, agnoscere & venerari. Id quod hac occasione obiter indicamus; suo tempore hanc majoris abollæ telam, ubi de Subjecto Reformationis dicendum erit, pertexturi. Interim cur non omnes Ecclesiæ, Zuinglij operâ vel plantatæ, vel rigatæ, etiam num pergant, ἀμοιβὰς ἀποδοῦναι, & eximij illius beneficij memores sibi temperare, ne, ceu degeneres Noachidæ, vel etiam dormienti illudant,

 Geni-

Genitori omnémque acceptorum beneficiorum, exantlatorum laborum memoriam abjiciant? Et quanquam (neque verò immeritò) placere quoque paulatim in illis Ecclesijs, quæ Zuinglium agnoscebant Reformatorem, cæperit Lutherus, nunquam tamen, propter sancta Reformationis initia, displicere debuisset Zuinglius. Quàm antehac Augusta, Memminga, Argentina, vicinæ Civitates Suevicæ grato animo, gratáque mente Zuinglio superstiti, dependerunt sua ubique χαριστήρια, quàm ejus, quoties necesse erat, expectata & honorata fuit opera? Utrum deinceps; vel superstite vel defuncto Zuinglio; causas habuerint prægnantes animum adeò mutandi, ut rigidiores nonnulli benedictiones converterint in maledictiones, reverentiam & amorem in contemptum & odium, illi viderint; quibus vel Naturæ dictare poterat instinctus, illis, qui tot de nobis nominibus sunt meriti, sanctam & benedictam deberi memoriam. Non odiosè exprobrandi, sed amicè monendi animo hæc à nobis tanguntur, ne vel Dei munera per Zuinglium collata turpiter ignorare, vel nota prævaricabundè supprimere videamur. Hanc profectò laudem felici & prudenti Architecto negare

gare non poſſumus, quòd multarum Eccleſiarum magno labore poſuerit fundamenta, quæ vel planè illud ignorant, vel non ſatis grato animo agnoſcunt.

[d] Prodromum inſuper futuræ tractationis, de vocatione Reformatorum, dare placuit non ignobilem, aut indignum. Audivimus plangentem ubique Helvetiam, gementem Germaniam, penè deſperantem Jtaliam, Galliam obſtupentem, omnes ubique Eccleſias periculoſiſsimos, quibus premebantur, morbos apertè confitentes, Zuinglij Medici opem implorantes, per Deum, per ſacra, per ipſius muneris fidem & religionem rogantes, conſcientiam ipſius ſolicitantes, ſingularia eum in finem à Deo conceſſa dona & bona urgentes, ut ne cunctaretur, ut deſperato propemodùm malo medicam adhiberet manum, & nos dubitemus, vel ſtupidè quæramus, quam Zuinglius habuerit ad reformandum vocationem? Diu ſatis ὁ ἄνθρωπος, *quidam, in* via Hieroſolymitana à latronibus malè tractatus decubuit ἡμιθανής. Viderunt Sacerdotes, viderunt Levitæ, vidit totus orbis Eccleſiam laborare, à capite ad calcem; præterierunt, &, ne toties quidem moniti, manum admoverunt, illi, quorum intererat:

num,

num, quòd Samaritanus (homo, qui præpostero adversariorum judicio vocatus non erat;) misericordiâ commotus seminecem accessit, vulnera ejus oleo & vino infuso obligavit, ejúsque curam hospiti commendavit, quicquam designavit vel suo officio indignum, vel à Christo reprehensum? Aliud ex Christi epiphonemate: *Abi & tu fac similiter*, colligimus, *Luc.* 10. *v.* 30. 37. *Sed Roma non vocavit?* Videbimus postea. Sed quid si? an vel felicior si Romana, vel Zuinglii vocatio incertior, quòd divina? Etsi enim de illa verè dici potuerit, quod de Hierosolymis aliquando questus est Jesajas; *Quo percutimini ampliùs, augetis Apostasiam: Totum caput confectum est eadem ægritudine, & totum cor languidum. A planta pedis usque ad caput non est in isto corpore integritas, sed vulnus & livor ac plaga saniosa, quæ neque comprimuntur, neque alligantur, quarum denique nulla emollitur oleo.* Jes. I. 5. 6. Et dicebat: *Sedeo regina, nec sum vidua, nec luctum videbo*; Apoc. 18. 7. Imò, cùm mortua illa esset, dicebat tamen, se vivere, *Apocal.* 3. 1. Quid ergo miremur, cum Christus tum ipse, tum in ministerio suo venerit sanatum κακῶς ἔχοντας

τας malè habentes; vocatum non juſtos ſed peccatores ad reſipiſcentiam, *Matth.9.v.12.13.* quòd non magis de illis fuerit ſolicitus Majorum noſtrorum ætate; quàm ſuo tempore de ſuperciliosis & hypocriticis Phariſæis, quorum ſoboles tum & propago; qui non dogmatum minùs onere; quàm rituum & ceremoniarum phaleris, ijs quàm proximè acceſſerunt; repullulaſcere videbantur?

[e] Id enim omnino à poſteritate expectârunt illi, qui temporis injuriæ cedentes maluerunt tacere, quàm quicquam dicere, quòd tanti viri meritis & exiſtimatione eſſet indignum. Iam an. Chr. 1532. per Myconium, Zuinglij, typis vulgata eſt, ſed brevior *προσωπογραφία*; operæ ergo pretium viſum Eccleſiæ Tigurinæ Miniſtris an. Chr. 1544. ut eadem, ſed prolixior, hæc imponeretur provincia viro in Helvetia tum celeberrimo; ſed maluit illud alio fieri tempore, quo ſera poſteritas magis eſſet admiratura, quæ præſens tum vel invidiâ ſuppreſsit, vel convitiorum & obtrectationum excrementis illevit. Sed ipſam audiamus Epiſtolam: *Ex nuperis tuis, N. doctiſsime, quibus Collegij nomine petebas, ut Zuinglij noſtri (apud ſuperos enim agens etiam noſter*

noster est) vitam describendam reciperem, multo fastidio sum commotus, non modò quòd ei provinciam imponi cernerem, qui par esse labori nec animo, nec calamo posset, sed longè magis, quòd indicandum esse videbam, quantopere à vestra sententia dissentirem, qui per omnia tamen Tibi, tuísque consentio: atque id quidem ut facerem, nec libertate procaci, neq; ulla animi mei fiducia, sed charitate maximè provocavi, cujus officium esse puto, nihil horum eos quos diligimus, celare, quæ recta, quæ honesta, quæque commoda esse judicârimus. Paucis autem, ut, quod sentio, dicam; minimè mihi consultum videtur, ut hoc tempore, tot modis turbulenter, támque infensis animis distracto, & iniquissimis judicijs furioso, Zuinglij vita in literas, quæ mox edantur, referatur. Ut enim dignissima sit omnium cognitione & vita ejus insignibus officijs plena, & eruditio, & pietas, zelùsque ille vehemens promovendæ pietatis, & emendandæ in melius multorum vitę, tamen in eam incidit invidiam, non modò apud impios, quibus Domini verbum intolerabile est; sed etiam apud nonnullos, qui pietatis nomine commen-

mendantur orbi (de illis taceo, qui exuſtum diro elogio proſcindunt,) ut dubium non ſit, quin ſi in præſentia ille meritis modis laudaretur, illi nullo modo laudem illam laturi, Antagoniſtam aliquem excitarent, qui tam noceret vituperando, quàm nos laudando ulla prorſus parte poſſemus proficere: Sed & ejus rei meminiſſe oporteret in illius obitu, quæ res vehementis alicujus animorum alienationis anſam præbere, moroſis hominibus non ſine negotio Magiſtratuum poſſet. Proinde, ſi me auditis, rémque ipſam, ut habet omnem pro ſingulari veſtra & eruditione, & prudentia expenditis, de re in aliud tempus differenda conſultabitis, neque in hoc eritis, ut camino (ut dicitur) alioqui ſatis ſupérque ardenti, & huc illuc ſcintillas ſpargenti oleum infundatis. *Conſultiſſimum mihi videretur, vitam ejus omnem à patria, pueríſque, & reliqua ætate, quibus locis, officiíſque & functionibus ipſam tranſegerit, quibus artibus præſtiterit, quibus moribus fuerit, quos habuerit ex optimis familiares, quid omni in vita potiſſimùm ſpectârit: Ex illis, qui omnium ejus actorum, dictorúmque ſunt probè gnari, animalium more,*

more, simplice stylo & ab omni affectione alieno in hanc referre, & in Archivum Collegij condere, ampliúsque quàm nonum in annum premere, ac tum demum, rebus ut spero, longè melius habentibus, restinctóque amplius æstu illo, quem nuperi incendij nostri favillæ etiamnum alunt, longè maximo cum fructu Zuinglianæ gloriæ in lucem edere. Erunt interim Ammani, erunt Collini, qui eam rem uberrimè præstabunt. Interim & monumenta, quæ editis, quis & qualis ille vir fuerit, testabuntur: quanquam ne in hac quidem parte æqua sint admodùm recentia judicia. Verum enim est illud veteris Poetæ:

Invidiæ morbo præsens malè judicat ætas
Iudicium melius posteritatis erit.

VI. Habuimus Zuinglium Heroëm Virum doctum, pium, fortem, prudentem, iísque, [a] quæ à Ministris Evangelij requiruntur, abunde donis ornatum: Cætera, quæ vel aperti adversarij, vel clandestini obtrectatores affricare ei sunt conati, vel ipse Zuinglius superstes detersit, vel deinceps Ecclesiæ Tigurinæ, aliarúmque Ministri,

ſtri, Gener [c] cumprimis ejus celeberrimus, D. Rodolphus Gualtherus, meritiſsimus, ex intervallo in munere Eccleſiaſtico, ſucceſſor, diluerunt.

[a] Id quod deinceps ad aſſerendam & vindicandam vocationem Reformatorum ζὺν θεῷ, operoſiùs, oſtendemus, ordine demonſtraturi, virtutes, & dona quibus Apoſtolus fulgere vult Epiſcopū, Zuinglio omnium bonorum judicio fuiſſe divinitùs conceſſa.

[b] Ita enim ille Ep. T. I. p. 148. ad Cantones Helvetiæ, Bernæ congregatos. *Non me movent hoſtium calumniæ, quibus hæreſeos nomine me infamare conantur. Hæreticum fortaſſe dicere poſſunt, talem verò me eſſe, nullis argumentis probare unquam poterunt. Si enim hoc unquam potuiſſent, non ſanè illud in hanc uſque diem ſuſtinuiſſent differre. Quare cum veritatis authoritate & teſtimoniјs deſtituantur, ad mendaciorum commenta & calumnias ſeſe convertunt, quas non in hac tantummodò re, verùm etiam infinitis alijs obtrudere ſtudent. Olim enim me Diva Virginis Maria Deipara* blaſphemum

contemptorem esse *prædicârunt*. Quam calumniam peculiari super hac re edito libello, impugnavimus. *Adhæc me* censûs & decimas negare *falsò commenti sunt*. Item mulieri gravidæ permissum esse, *ut adultera facta cum alio viro, quem appetitus concupiscentiæ suadet, congrediatur, me docuisse tradiderunt. Quantam verò mihi* in sacro-sancti corporis & sanguinis Jesu Christi Sacramenti doctrina *calumniam impegerint, quàm horrendam & atrocem blasphemiam objecerint, publicis scriptis committere non ausim: ne fortè simpliciorum rudes animi ea offendantur. Deum enim testor Servatorem nostrum, me tam absurda, imò fœda nunquam, quoad vixi, de corporis & sanguinis Christi mysterio cogitavisse in animo meo, qualia hi impudentissimis mendaciis in me confinxerunt. Quamvis non in Helvetiorum limitibus, sed aliis locis vicinis hoc factum sit, quorum tamen nomini ideò parcimus, ne quid hinc detrimenti bonis & piis civibus oboriatur. Hoc, inquam, & alia hujusmodi infinita de mea doctrina publici*

blicè prædicare ſolent, quæ omnia impudentiſsimè conficta & figmenta mendaciſsima eſſe affirmare poſſem. *Nec interim de vita & moribus loquentes modeſtiores ſunt, quia non minus etiam hîc, quàm alibi ſuæ maledicentiæ permittunt. Sunt enim qui hoc ipſo anno quatuor liberos illegitimo thoro natos genuiſſe dicant. Sunt qui noctu per plateas, canentem, & alijs Muſicis inſtrumentis ludentem, diſcurrere aſſerant. Sunt qui aleæ plus nimio deditum, & publicum ſcortatorem una cum reliquis lenonum proſtibula frequentare tradant. Sunt rurſus, qui Principum muneribus corruptum omnia turbare jactitent. Quæ & ipſa (ut priora hæc) mendaciſsimorum hominum (ſalvo tamen honore veſtro) figmenta & calumnias impudentes eſſe reſpondemus: Quod ipſum quoque veris teſtibus probare poſſemus.* Ita ipſe *Zuinglius*, Op. Tom. 1. pag. 148. ad Cantones Helvetiæ Bernæ congregatos.

[b] Tomo I. operum Zuinglij Gualtherus, præfationem, pro Huldrico Zuinglio & operibus ejus pręfixit Apologeticiam; ubi calumnias & crimina, Zuinglio impacta, hoc

ordine recenset, & diluit, 1. quòd fuerit εἰκονοκλάστης, 2. Sanctorum contemtor. 3. Sacramentorum violator. 4. Quòd de peccato originali non rectè senserit. 5. Impios homines Sanctis annumerârit. 6. Bellator & miles extiterit; de quibus omnibus (ultimo excepto, de quo jam jam) & nobis dicendi campus latior patebit infra, ubi de vocatione Reformatorum erit agendum.

VII. Talis Zuinglij *vita* fuit, honorata & onerata: Mors sequitur, hostibus quidem & Adversarijs Evangelij [a] optata; bonis omnibus tristis [b] & luctuosa; gloriosa [c] tamen, & neque ratione occasionis [d] neque intentionis [e] culpabilis, [f] aut insolita. [g] Quòd si qui ἐπιχαιρέκακοι vel doctrinę hinc reformatę damnum, vel Reformatori [h] opprobrium nasci volunt, neque Scripturæ [i] sacræ authoritatem, neq; [k] Ecclesiæ primitivæ praxin, neque [l] domestica satis attendunt exempla. Illud molestissimum multis fuit, illos etiam, qui comunem Christi causã agerere debebant [m] casum, hunc non satis ęquo tulisse animo.

[a] Vix

[a] Vix enim dici potest, quæ hinc hostium ἐπινίκια & tripudia. Non dissimulare hoc poterat author *Concilij Tridentini* lib. 1. pag. 65. a. *Pugnatum est die 11. Octobris, ínque ea pugna è Tigurinis multi desiderati, in quibus erat Zuinglius, cujus cæde magis quàm victoria, gavisi sunt Catholici. In corpus exanime varijs insultibus & ignominijs sævitum est. Atque ea mors potissima fuit causa pacis denuò per intercessionem constituendæ.* Ita satis moderatè Theologus Venetus. Impudenter nimis mentitus est *Benedictus Accoltus*, Cardinalis, Epistolâ ad Sadoletum, quæ inter hujus Epistolas pag. 294. extat. Cæteri etiam in Germania *Faber*, *Cochlæus*, γλῶσσαν λυσσήσαντες, ansam præbuerunt Bullingero, & Zuinglij manes, & causam Christi, ex casu tristi periclitantem, vindicandi. *Apud Pontificios nostros* (ita *Musculus* Augustâ scripsit ad Bucerum) *tantum est tripudij, ut facilè crediderim in hoc insaniæ illos conjectos, ut quasi certissimum habeant, confecto Zuinglio se se prorsus victores omnium evasisse.* *Iacobus Micyllus* Chronodisticho lusit, quod & Chronico Carionis est insertum:

OCCVbVIt patrIo beLLatòr CIngLIVs ense,
Et pressa est arMIs gens popVLosa sVIs.

Cui doctissimus Poëta, *Hermannus Buschius*, ita respondit

Occubuit justus sævorum Zuinglius ense,
Notus es & larvis, vane Poëta, tuis. *vel*;
Notus es & nugis, vane Mycille tuis.

Quo quidem disticho venerabilis Præceptor noster, D. *Alting*, in Hist. Reformat. Palat. p.m.61. haud obscurè ostendit, jam sub Ludovico Electore in Archipalatiantu; & Heidelbergæ quidem, inter ipsos Professores, Helveticæ Confessionis Assertores fuisse. Ea enim in dignitate erat constitutus *Hermannus Buschius*. Quam etiam, ut ex Actis Universitatis constat, provinciam ambivit *Iacobus Micyllus*; sed ne anno quidem 1532. de Lutheranismo suspectus, obtinere illam poterat. Memorabilia sunt Annalium Universitatis verba: *Jacobus Micyllus instat pro lectura Græca, vir in bonis literis & Linguarum cognitione laudatus: annuatim ipsi Universitas offerre vult 60. florenos; sed non vult contentari, petit sibi 80. florenos dari. Negotium ad Principis consiliarios defertur, qui respondent, nec ipsis nec Principi*

cipi unquam placuisse dogmata Lutheranorum, aliorúmque novorum Doctorum; sed semper cupijsse Rempublicam suam literariam imunem *& impollutam ab hujusmodi doctrinis esse; at quia Micyllus apud Francofordienses aliquandiu versatus sit, & ibidem nunc variæ sectæ dicantur vigere Religionis Christianæ, adeóque verendum sit, ne hic Micyllus harum quoque sectarum sit studiosus, atque cùm assumeretur, in Republica nostra zizanias sit seminaturus, ob has & alias rationes Micyllo negativam responsionem dari debere. Responsio hæc præter Universitatis expectationem evenit. Respondetur Micyllo literis humanissimis, benevolentissimis. Micyllus miratur, cur ipsi præsenti non exposuerint, rem committendam illis hominibus, qui nostro seculo haud usquam ferè de literis liberalius sentiant; se potuisse tunc facilè animo consequi hunc exitum, qui jam secutus sit.* Opportunè hæc oblata aurem vellicant, quàm sæpe spes nos humana frustret. Vix anno elapso purgare se visus est Micyllus à suspicione novitatis; ita appellare solebant emenda-

tam religionem; utque aſſentaretur non minùs ſuperioribus Poëta non infelix, quàm paribus aſſentiretur, manes Zuinglij docto quidem, ſed nimis aculeato, carmine laceſsivit, quo tamen gratiam, quam Maro à Mæcenatibus expectavit, conſequi non potuit. Quanquam rebus Evangelij in ipſo Palatinatu anno 1546. circa bellum Smalkaldicum creſcentibus, Heidelbergam, (quam ſtudiorum ſuorum almam agnovit matrem) redierit, ex pulvere Scholaſtico Francofurtenſi, in quo ab anno 1527. deſudavit, liberatus, & ad Profeſsionem Linguæ Græcæ vocatus fuit. Sed hæc tantùm ἐν παρόδῳ, occaſione obvij ubique, & paſsim (ut Sculterus loquitur) in Zuinglij ignominiam jactati Chronodiſtichi Micylliani.

[b] Primæ hic debentur Fratri & Collegæ in opere Domini conjunctiſsimo, *Ioh. Oecolampadio*. *Non poſſum* (ita Epiſt. lib. 4. pag. 979. 980.) *ire inficias fratres chariſsimi, paſſum me humanum quippiam*, ut accepi Zuinglium noſtrum *in crudeliſsimorum hoſtium manus veniſſe, tantaque ſævitie deſcerptum: non ignarus, quanto cum tripudio Mundi, quantoque cum offendiculo puſillorum rumor ille divulgetur.*

Et

Et conſolabar quidem meipſum, licèt ſubinde calamitas calamitatem exciperet. Cogitabam enim rerum terrenarum viciſſitudinem, & hos, alioquin mortales, potuiſſe vel peſte, vel alio fato abſumi; præceßiſſe quidem, nos verò ſecuturos, etiamſi alio mortis genere. Quæ vulgum offendunt, ea, ſi nullos alios turbarent, me minimè moverent: nota enim mihi eſt virorum illorum erga Deum hominésque fides, quæ non ſinit illis malè eſſe. At dum veniunt mihi in mentem calumniæ, quibus ſimpliciores circumveniuntur & degravantur, unum id maximè dolet, quod Apologiæ nullas aures inveniant, calumniæ omnes præoccupent. Succedit Συμπάθεια *Melanchthonis* διαχέστάτη, ad Bucérum ann. Chr. 1531. *Doleo caſum hominis* (Zuinglij) *& publico & privato nomine.* Magno cumprimis numero ſuum derelictæ viduæ Reformatoris, quem ex inexpectato obitu mariti concepiſſent, teſtati ſunt, dolorem, Theologi non domeſtici tantùm; ſed & extranei. *Bucerus*, literis Germanicis, & cladem univerſo orbi Chriſtiano, ex diſceſſu Reformatoris, juſtiſsimo Dei judicio illatam,

 deplo-

deplorat, & suo, aliorùmque nomine, officia orphanis prolixè offert. Epistola ζυμπαθείας, elogiorum, officiorum plenissima; in qua Zuinglium *Ministrum Christi pretiosum* appellavit, *Dominum & fratrem amantissimum*. Eandem pietatis & charitatis tesseram *VVolfgangus Capito* reliquit. Liceat, bona cum venia, vel unius tantùm & alterius, propter Emphasin, recitare verba Germanica, ad dolorem mitigandum tantò magis apposita, quantò ipsa Dialectus majori se commendat ἀφὑότητι. Ita ergo *Capito*:

Herren Vlrichen Zwinglin seligen Witfrawen / seiner lieben Schwöster in Christo. Myn hertzliebe Fraw / mir ist Ewer kummer vnd leyd hochangelegen / als ihr wol haben zubedäncken. Dann was gemüths vnd wolmeynung wir gegen einanderen gewesen / ist Euch nit verborgen: Auch wie grossen schad allen Kirchen zugeführet worden. Dann vnser gantz Evangelium einen treffenlichen schaden erlitten hat / durch abgang Ewers lieben Ehegemahels. Ihr haben alles leyd / eines mals / vnd vnversehentlich / befunden / wir aber sind so viel beschwerter / daß vns solches leyd auch trifft / vnd immer täglichen schwerers besorgen müssen. Ihr habt Eweren Ehegemahel / den thewren mann / Suhn / Tochtermann / Schwestermann / vnd Bru-

Brüder verloren. Wer wolte nit ein mitleyden mit euch haben? Aber / Gott seye lob / der euch solchen Gemahel geben hat/der noch seinem tod bey aller ehrbarkeit geehrt ist vnd bleybt/ deß nammen Eweren kinden sol zu nutz kommen. Dann man wird sein nimmer vergessen/ vnd die seinen wird iederman lieb haben allwegen. Geben Straßburg 28. Novemb. 1531. Totum cumprimis ſe effudit, Memmingenſium Paſtor, *Simpertus Schenckius* (ita & ſupra p. 515. niſi attriti & obſoleti fallant characteres, legendum) cujus literæ nuper demum, nihil tale expectanti oblatæ, dignæ omnino ſunt, quæ aciem ξυμπαθέντων continuent. Der Vatter alles trosts/erleuchte Sein angesicht mit frewden über euch; Ehrsame/tugendsame/ vnd in Gott meine geliebte: Dann ich nit finden kan jemands anderen auff dem weitem vmbkreiß der erden/er seye joch wer er wolle/der euch in ewerer trübsal trösten könne vnd möge/ weder Er allein: So hochbekümmeret weiß ich euch seyn/als dero wahrlich genommen ist/ das dise gantze welt nit vergelten kan. O deß weynbarlichen vnd kläglichen tags! Darinn der teure Mann / mein lieber Zwinglius / mit so treffenlichen leuthen gefallen ist. Ich solt euch trösten / so kan ichs nit: Dann mein hertz ist voll leyds. Wann ich gedänck / daß solche leuth/ als mein hochliebster Zwinglin ꝛc. mit anderen/

ren / ewiger gedächtnuß würdigen Herren und Männeren / ja sprich ich / mein hertz möcht mir brächen / wann ich nur daran gedänck. Und wann mich das trostlich / heilig / und wahrhafft Evangelium nit tröstete / und das heilig und heimlich urtheil Gottes nit mahnete / und der ewigen unwanckelbarlicher fürsehung der hohen Majestat deß Allmächtigen nit erinnerte; so könte ich es doch nit tragen. Weil ich aber gewüßlich weiß / daß / wie niemand lebendig machet / also auch niemand tödet weder der Herr selbs / und allein wann / wie / wer / und durch wen er will / und seinem willen niemand ein red thun mag / auch nit sol / (dieweil er einem jedem seines leben ziel gesteckt hat / das niemand verrucken wird) sol / und muß ichs / wie auch billich von hand geben / und den Herren loben in seinen wercken: Dann sie sind wahrlich gericht und gerechtigkeit / ohn allen falsch und trug / voll aller barmhertzigkeit und güte. So dem also / so haben die frommen leuth kein unzeitlichen todt erlitten: Dann also ists Gott gefellig gesenn in Christo Jesu: Also sol sein namm durch sie geprieſen werden mit solchem sterben / nit mit einem anderen; auff den tag / nit auff einen anderen / mit so vielen tewren / frommen / und dapferen männeren / nit mit anderen. Summa / der alle ding außwigt nach dem gewicht / misset nach der maß

und

vnd außrechnet nach der zahl / der hat auch (Fromme / liebe Fraw) keiner maß noch gewichts vergessen / vnd der ohn sein vorwüssen nit laßt in ein garn oder netz ein sperling oder spatzen fallen / nit ein härlein von vnserem haupt; wie hette er mögen vergessen Ewers über gold vnd edelgestein edlen mans / seines aber so thewren werckzeugs / der sich in seines Herren Gottes geschäfften so wichtig vnd ritterlich allweg auffrecht / wahrhaft vnd vnverzagt / auch biß in den kalten tod gehalten? Solches thete kein mensch gegen seinem so frommen knecht; vnd Gott solte es thun gegen seinem so thewren diener? Sein Herr/ja ihr aller/die vmb der warheit-bekantnuß auff erden zwang leyden hat etwan in gleichen spilen gezogen/ das ist / den allerschmächlichisten tod vnschuldig vmb der warheit / von den ärgsten leuthen erlitten; darab sich schier meniglich ärgeret/daß einer das/der ander jenigs redten. Einer: Hat Er in Gott vertrawet: ist er; wie Er gesagt; Gottes Sohn / so errette in Gott. Der dritt: Ist er ein König Israel/helffe er ihm vnd vns. Sehet fromme / liebe Schwester / dieweil das vnserem Herren Gott (den vnser gemeiner Zwinglin also thewr/alß einer auff erden

den zu vnser zeit geprediget) vnd vmb dessen wort vnd warheit die anderen vmbkommen/ begegnet / wie vil sind sie vnd wir nit drib? Es hand sich vil an Christus tod geärgeret; ist kein wunder / ob sich mancherley vrtheil erheben werden auch von etlichen / die sich Evangelisch vermeinen. Also ists je vnd je gesyn: dann der glaub ist nit sichtbarlicher / sonder vnsichtbarlicher ding. In sichtbarlichen sind vil Gottes feind / in vil schlachten / auch in diser (alß dise Helden nidergelegt / von den N. N.) mit den frommen einerley tods gestorben / verblütet / vnd erstarret. Aber im vnsichtbarlichen sind die vmb der warheit willen ihr leben dargestreckt / durch den leiblichen tod in das ewig leben eingegangen: Die aber verfolger vnd der warheit durächter gewesen / in Gottes erschrockenlich gericht. Nun sicht die welt nur auff das sichtbarlich: darum es kein wunder / daß sie in vnsinnige gricht vnd vrtheil falt. Sie kan nit bas: So thuts nit anderst. Es sol aber vns nit irren/ auch nit so hertzloß machen / daß wir trauren wollen/wie die Heyden/ die kein hoffnung haben. Wir zweiflen nit an der vrständ Christi; warum wolt mir dann zweyflen an der vrständ zum leben Ewers vnd vnsers gemeinen Zwinglins / vnd der anderen aller / die vmb der warheit ihr leben dargespannen? Ist das haupt Christus durch den tod ins leben / wird lang kein

glied

glied dahinden bleyben. O Fromme / liebe Fraw / seyt getrew! Weder jhr noch wir hand Zwinglin / vnd die anderen verlohren. Dann wer in Christum glaubt / hat das ewig leben. Was wöllen wir mehr? Er hat das ewig leben. Wem mein Zwinglin glaubt habe / bezeugen seine bücher / die biß an den jüngsten tag reden werden / vnd gewaltiger weder deß / N. oder deß edlen Hussen blut. Wem die anderen hochgelobten Ritter / die mit Zwinglin vmbkommen / geglaubt haben / bezeuget die blutig zeugnuß ihres ritterlichen tods / vmb der gerechtigkeit willen. Dann ich sag / wir hand sie nit verlohren. Ist hierum mein vermahnung / wann ihr etwan / liebe Zwinglin / im hauß / bey den kinden / bey euch / an der Cantzel / in der lection / bey den gelehrten nit mehr leiblich finden / so erschrecken nit; sind nit zuvil traurig; sonder gedencket / er seye im hauß Gottes / dem triumphierischen Jerusalem / bey allen kinderen Gottes / da er hört den mund der weyßheit / vnd das gespräch der Englen ꝛc. Ach Gott! was darff es vil wort? wer ist / der eines rechten sinnes ist / der nit weißt / wer Zwinglin gsyn ist? Warum er gestorben ist? Was sein leben / lehr / vnd glauben? Darum ihr dem Herren danck-

danckſagen ſollen / daß er euch zu einem ehlichen gemahel vertrauwet hat den tewriſten menn / den frylich die Eidgnoſchafft je vnd je gehabt / vnd daß ihn der Herr alſo gnädiglich erhalten hat / daß er vnder ſolchem laſt der gaaben Gottes nit gefallen iſt in ein aufblaſen geiſt / oder falſche lehr / wie leider vilen geſchehen. Daß ihn mieth vnd gaab / menſchliche forcht oder gunſt vom rechten nicht vermögt abzuweltzen. Das bedencket/ſo habt ihr vrſach Gott zu loben / vnd im Hertzen frölich zu seyn: dañ wenigen gegeben iſt/daß ihm der Herr biß ins end Chriſtlich verlihen. Wie bedunckt euch? wann der Herr wolte / daß die äſchen deß verbrenten mans auff der N. N. erdtreich das gantz land der N. N. beſäyen vnd beſamen ſolte / alſo daß für ein Zwinglin vil tauſend ſollen auffgehen? Laſſet ſchertzen ligen. Da Chriſtus gecreutziget iſt/eben daſelbſt muß ſein Evangelium außbrechen. So hand frylich die alten heiligen lehrer auß keinem lähren hafen geredt / wann ſie ſchreiben: Der gläubigen blut iſt der gläubigen ſaam. Da

Sam-

ſon ſtarb/erwürget er mehr ſeiner feind/weder da er lebet. Deß Huſſen äſchen iſt zu Coſtantz nach hundert jahr auffgangen. Ich glaub iſt jemands in N.N. deß göttlichen bruffs würdig/ alß ich verhoff vil ſind/ daß vnſers Zwinglins tod wucheren werde. Doch ſtehet es alles zum Herꝛen/deß gericht vnerforſchlich: Wolan der wird nichts an ſeiner kirchen verſaumen: wirds auch nit verlaſſen: Sie wird nichts deſterminder ſighafftig fürfahren/ vnd wachſen: Geſchichts nit in der zahl (dann je der glaub zun letſten zeiten ein thewr ding ſeyn wird) wird es doch geſchehen im weſen. Wo aber Gott ſein reich von N. vnd den N.N. nemmen wird (das fehr von ſeiner barmhertzigkeit ſeye; darumb ich ängſtiglich bitte/ vnd an der Cantzel bitten mache) vnd das einem anderen volck geben wolte/ das ſein frücht zu gebührlicher zeit brechte; oder ob der Herꝛ die welt ſtraffen wolte grauſamlicher weder bißher/ vnd alſo zuvor die ſeinen vor ſolcher ſtraff flöchnen; ſollet doch die Chriſten mit forcht auff den Herꝛen ſehen. Es mag ſeyn/ daß etlich menſchen zuvil auff ihn/ Zwinglin/ gehoffet haben; vnd zuvil ſein leibliche beywohnung geliebet; oder daß mein liebs Zürich ſich ſolcher treffenlichen männe-

 ren

ren übernommen habe / so handlet Gott gnedig / daß er sie decmütiget. Es ist ohne vrsach nit geschehen: Darumb wir gewüßlich vom Herren nidergeschlagen vns deemütheigen sollen / vnd besseren / das der Herr verleihe / Amen. Sonst weiß ich wol / was wir / die wir noch hie sind im jammerthal / an den thewren leuthen verlohren hand / wir werdens noch wol baß ihnen werden: Aber da hilffe kein weinen / sie kommen nit mehr zu vns / wir müssen wol zu ihnen / wie David sagt / da ihme sein Sohn starb. Darumb nichts bessers / dann daß wir embsig bitten / daß der Herr ander vil Zwinglin / vnd wie die anderen gsyn / sende / redliche leuth vns erwecke / das er wol kan / vnd so wir je würdig / es thun wird. Ihr habt noch zu Zürich meinen lieben vatter *Pellicanum*; Deßgleichen die Gottsgelehrten / trewen vnd hertzlichen männer meine geliebten Herren vnd Brüder *M. Leo Jud*, *Myconium*, *M.* Binder / Amman / weiß nit / wie sie alle heissen / fromme leuth / die der barmhertzig im himmel denen von Zürich zu einem saamen gelassen. Ich weiß ihr hertz vnd eyfer für Got-

Gottes ehr; Sie werden manlich handlen: Will Gott trewlich für sie bitten. Ich habs nit minder lieb weder mich. Behüte vnd tröste euch selbs mit euweren kinderen der barmhertzige liebe Gott / vnd verleihe euch stercke im heiligen Geist/alle trübsal im Herren zuüberwinden / Amen. Begrüßt seyen vnd von Gott getröst alle obgenamte / vnd die in kummer vnd leid sind/ Amen. Der Himlisch Vatter behüte Euch / Euwere kinder vnd gantzes Zürich von dem bösen/ Amen. Lasset mich vnd mein Memmingen euch gegen Gott in euwerem gebett befohlen seyn: wir thunds heimlich vnd an offener Cantzel alle tag zweymahlen mit müh/fleiß vnd ernst/damit Gotts verdienter zorn gnedig nidergange. Datum zu Memmingen den IX. Novemb. 1531. Iam primo Novembris ejusdem anni, magni & celeberrimi nominis Theologus, qui Altstettæ prope Tigurum tum degebat, A.C. mœstam, & ex recentisʃimo vulnere graviter adhuc afflictam viduam, αὐτοχείρως ita compellabat: O meines leidens! daß ich erlebt hab den tod deren / so mich mehr dauren / vnd ihr fahl mich höher vnd bitterer ängstet/dann mich mein schweres ellende je hat ängstiget. Ach Gott / daß ich nit vor hingefah-

ren vnd vnd gestorben bin! Ach mein Gott/zörns nit/daß ich ab dem fahl deiner knechte achtge / vnd mein thorheit außschütte! Warumb hast du mich nit für meine vätter vnd freund getödet? Hast du meine weg zu solchem jammer verlängeret? Ich kan nit bleiben/vnd kan nit gehen/ daß ich luge / wer hin ist / vnd mehr noch lebe. O Gott / meines jammers! Du hast mir nit freund/sonder vätter genommen. O du arbeitselige walstatt dich betrieffe weder regen noch taw/ die du das blut meiner vätteren verschluckt hast. O Gott schawe mein klag an / wilt du nit vmb vnsertwillen rechen vnd straffen / vnd vnserem ellenden geschrey nit losen; bedencke doch deine ehre / deinen nammen / vnd deine macht / vnd straff den gottlosen muthwilligen also / daß man reden vnd singen müsse / du seyest der lebendig / barmhertzig / allmächtiger Gott / der seines volcks sorg habe. O Gott erbarme dich vnser/ tröste vns vnd bevestne vns. Gott seye mit euch. Altstetten I. Novemb. 1531.

[e] Quod nec *Principes* negârunt, nec *Theologi*, tam domestici & vicini, quàm extranei. Inter *Principes* principem obtinet locum *Christophorus*, Palatinus Comes ad Rhenum &c. cujus ad Bullingerum an. Chr. 1568.

Chr. 1568. verba hæc ſunt: *Fuit in Huldrico Zuinglio tum eruditio ſingularis, tum conſtantia & fortitudo in effundendo ſanguine, pro ea, quam ſuos docuerat, religione, meritò celebranda. Ex vicinis* Theologis *Oecolampadius* eminet & *Beza.* Et ille quidem hoc ipſo nomine generoſum in eo ſuſpexit ſpiritum. *Non egreſſus eſt*; ita ſcribit l.p.211.b. *frater noſter ut Dux militiæ; ſed ut civis bonus, & Paſtor optimus non detrectavit mori cum ſuis. Quotus quisque obtrectatorum vel unciolam habet tam generoſi Spiritus? Hic* verò Zuinglium ſequenti ornavit Epitaphio:

Zuinglius arderet gemino cùm ſanctus amore,
Nempe Dei inprimis, deinde etiam patriæ,
Dicitur in ſolidum ſe devoviſſe duobus,
Nempe DEO iuprimis, deinde etiam patriæ.
Quàm bene perſolvit ſimul iſtis vota duobus,
Pro patria exanimis, pro pietate cinis.

Henrici Lupuli, Bernenſis, qui Præceptor fuit Zuinglij, *Johannis Sapidi*, Seleſtadienſis

stadiensis, *VVolphgangi Musculi*, Dusani (si de *exterorum* judicio solicitus sit lector) *Gerardi Noviomagi* Epitaphia, parentalia, consolationes super morte Huldrychi Zuinglij, videantur in limine Epistolarum Oecolampadij & Zuinglij: *Reusnerus* in Iconib. Viror. Illust. *Hieronymi Treutleri* Tetrastichon recitat ἐγκωμιαστικὸν, quod ita habet:

Zuinglius Oenotrij, quæ tum spargebat ubique
Fortiter impugno toxica dira, lupi:
Pro patriáque cado, sic rem poscentibus armis,
Ne causam videar deseruisse meam.

Ejusdem postea tumulum subjecit:

Qui Christo & patriæ vixit, docuit, vigilavit,
Pro Christo & patria fortiter occubuit.
Sed quid retulerit, qua tandem morte necetur,
Cui, dum vivebat, vivere Christus erat?
Zuinglius occubuit, sed corpore: Cætera: nunquam
Nam meliore sui parte superstes erit.
Rumpere livor edax, vita qui perpete Christo
Quique bonis manet, haud mortuus esse potest.

Mors

Mors etiam lucro eſt; multo jam fœnore mentis
Fortiùs exurgent ſemina ſparſa piæ.

[d] Occaſio fuit bellum inteſtinum, à quo libenter ille abfuiſſet, ſi vel officij ratio, vel ignominioſarum exprobrationum intempeſtiva fulmina abeſſe permiſiſſent. *Authorem non fuiſſe*, illi diſertis teſtantur verbis, qui hominem intus nôrant & in cute. *Oſvvaldus Myconius*, Zuinglij familiariſsimus, in vita ejus: *Duobus bellis inteſtinis interfuit, quorum utrumque à Capella Monaſterio, Capellanum dicitur. Ad prius ſponte profectus eſt, ut conſultationibus intereſſet, ne quid aberraretur à vero & bono: Feliciſſimè cecidit, & ſine ſanguine confectum eſt. De quo ſæpe mihi narravit, plus malitia & pravorum conſiliorum illic comperiſſe, quàm per omnem vitam nôrit vel experientia, vel ex libris. Ad ſecundum electus eſt ut Parochus: Et quamvis renueret apud ſe, & apud alios, exijt tamen. Vidit animus divinus, quid futurum eſſet. Cauſa belli nunquam placuit, commeatus videlicet amputatio: Nôrat enim, qualisnam conſultrix fames. Quamvis ingenuè di-*

cam, postquam istud consilij fuerat ab invitis Tigurinis receptum semel, (nam alij, quos non ignoramus, induxerant, non malo certè animo: putârant enim consilijs interea temporis ad pacificationem iter inventum iri, cùm Tigurini bellum maluissent) non placuit Zuinglio, ne contemptum pareret adhuc majorem apud adversarios, mutatio: quanquam interim nec repugnaret admodum. Dixerat item intra dies quatuordecim ante profectionem bis, me audiente, pro suggestu, dum fervebant: omnia; Scio, scio, inquam, quid rei sit, Es ist umb mich zethun. *Ut ego tollar, fiunt omnia. Imo & Cometa, quæ visa est per aliquot septimanas in aurem susurrat amico, fatalem esse & sibi, & adhuc alteri cuipiam. Nos semper Oecolampadium intelleximus. Profecti igitur Tigurini, secutus est inter postremos & Zuinglius eques, & armatus pro more nostro, quem ut vidi, repentino dolore cordis vix consistebam: pessimum præsagium. Manebamus eum diem, non certè sine jugibus suspirijs non sine precibus ad Deum. Sed aliud hic constituerat pro nobis*

bus, non contra nos, ut ego ſanè interpretor, & piè quidem. Nam ut obiter hoc, multò cautiùs incedere didicimus. Habemus Evangelium majori in pretio, Deum rectiùs intuemur, & manifeſtiores ſunt, qui hactenus adverſati ſunt Evangelio Chriſti. Ut igitur manè videram exeuntem, ita ſub noctem audio nuncium, pugnatum eſſe; pugnatum quidem acriter, tamen infeliciter, & Zuinglium nobis periiſſe. Et Rodolphus Gualtherus, in Apologia: *Aucta, temporis proceſſu, ſimultatum vi, ad teſtatas inimicitias uſque res progreſſa eò tandem devenit, ut jam civiles cauſæ, eæq; complures bellum poſtularent: quod cùm Tigurina civitas, pacis ſtudioſiſſima, ſummopere abominaretur, aliorum conſiliis effectum eſt, ut commeatus adverſæ partis hominibus negaretur: non quòd inſontem ſexum & ætatem, ſimul cum ſontibus, inedia necare aliquis illorum cuperet; ſed quòd multorum animos molliri poſſe arbitrarentur, ſi, quantum è Tigurino agro vel emolumenti, vel damni ipſis obtingere poſſet, viderent. Obſtitit conſilio*

cam, poſtquam iſtud conſilij fuerat ab invitis Tigurinis receptum ſemel, (nam alij, quos non ignoramus, induxerant, non malo certè animo: putârant enim conſilijs interea temporis ad pacificationem iter inventum iri, cùm Tigurini bellum maluiſſent) non placuit Zuinglio, ne contemptum pareret adhuc majorem apud adverſarios, mutatio: quanquam interim nec repugnaret admodum. Dixerat item intra dies quatuordecim ante profectionem bis, me audiente, pro ſuggeſtu, dum fervebent: omnia; Scio, ſcio, inquam, quid rei ſit, Es iſt vmb mich zethun. *Ut ego tollar, fiunt omnia. Imo & Cometa, quæ viſa eſt per aliquot ſeptimanas in aurem ſuſurrat amico, fatalem eſſe & ſibi, & adhuc alteri cuipiam. Nos ſemper Oecolampadium intelleximus. Profecti igitur Tigurini; ſecutus eſt inter poſtremos & Zuinglius eques, & armatus pro more noſtro, quem ut vidi, repentino dolore cordis vix conſiſtebam: peſſimum præſagium. Manebamus eum diem, non certè ſine jugibus ſuſpirijs non ſine precibus ad Deum. Sed aliud hic conſtituerat pro nobis*

bus, non contra nos, ut ego ſanè interpretor, & piè quidem. Nam ut obiter hoc, multò cautiùs incedere didicimus. Habemus Evangelium majori in pretio, Deum rectiùs intuemur, & manifeſtiores ſunt, qui hactenus adverſati ſunt Evangelio Chriſti. Ut igitur manè videram exeuntem, ita ſub noctem audio nuncium, pugnatum eſſe; pugnatum quidem acriter, tamen infeliciter. & Zuinglium nobis periſſe. Et Rodolphus Gualtherus, in Apologia: *Aucta, temporis proceſſu, ſimultatum vi, ad teſtatas inimicitias uſque res progreſſa eò tandem devenit, ut jam civiles cauſæ, eæq́ue complures bellum poſtularent: quod cùm Tigurina civitas, pacis ſtudioſiſſima, ſummopere abominaretur, aliorum conſilijs effectum eſt, ut commeatus adverſæ partis hominibus negaretur: non quòd inſontem ſexum & ætatem, ſimul cum ſontibus, inedia necare aliquis illorum cuperet; ſed quòd multorum animos molliri poſſe arbitrarentur, ſi, quantum è Tigurino agro vel emolumenti, vel damni ipſis obtingere poſſet, viderent. Obſtitit conſilio*

huic pro virili Zuinglius, utpote qui Gentis mores perspectos haberet admodùm. Ubi verò multum repugnando minus profecit, & videret, alijs consilijs negotium hoc expediendum esse, quòd civem bonum & fidelem decuit Episcopum, facere nunquam destitit. Videbat, eam esse ingenij humani conditionem, ut si indulgentius tractetur, insolentiori animo magis ferociat. Negotium ergò semel inchoatum non ante relinquendum esse putavit, quàm aliquid fructus & emolumenti ad fideles inde redijsset. Horum etenim incolumitati studebat per omnia. Testes mihi erunt, quotquot nullo carnis affectu depravati veritatem fateri voluerint. Hic autem bellum plus satis funestum exortum est, Tigurinis tamen non primùm arma inferentibus, sed illata jam & in agro suo grassantia inhibere conantibus. Unde tumultuaria magis quàm instructa manu obviam progressi, fato quodam & supremi Numinis inscrutabili consilio (quod nimirum carnalium præsidiorum fiduciam, & multorum hypocrisin paterna hac pœna coërcere voluit) in eam calamita-

lamitatem prolapſi ſunt, ut & infeliciter pugnarint, & fideliſsimo Eccleſiæ ſuæ Paſtore cum multis alijs bonis & ſanctis viris ſpoliarentur. Qui verò cum Zuinglio quinque millia hominum cæſa numerant, tam abeſt, ut veritatis ſcopum attigerint, ut ne quingenti quidem ab ijs, qui cadavera terræ mandârunt, numerati ſint: quamvis & hic numerus optimis quibusque ſingularem dolorem dederit. Impudentior tamen multò eorum eſt calumnia, qui Zuinglium belli & authorem & anteſignanum fuiſſe clamitant. Hæc enim dicendo, & ipſi, & Tigurinæ civitati gravem inferunt injuriam: quaſi verò hoc ſanctiſsimo viro, & Evangelicæ pacis præcone ad bella & pugnas abuti voluerit. Tam enim hoc abeſt, ut etiam nemo eorum, penes quos ſumma rerum apud Tigurinos verſatur, aliquam pugnam fore exiſtimaret. Ut enim prioris belli, quod biennio præceſſerat, periculum ſalubribus conſilijs, & amico utriusq; partis primatum colloquio declinatum, ſublatúmq; fuerat; ita hanc quoq; turbam ſimili eventu finiri

finiri posse, sperabant. Unde Zuinglius quoque ad expeditionem hanc cumprimis idoneus esse visus est, ut qui authoritate apud omnes plurimum polleret, & in dicendo esset felicissimus. Licet his & communem patriæ morem addere, quæ non abs re militiis pro patria susceptis Verbi & rerum sacrarum Ministros adhibere solet. Hic verò adversæ partis festinantia factum est, ut eodem die pugnaretur, quo militaribus signis, & nonnisi parva (si belli periculum æstimes) armatorum manu urbem suam Tigurini egressi sunt. Nam cùm vix ad quartum ab urbe lapidem pervenissent, hostilem manum pugnam moliri nunciatur. Quare & ipsi festinatione sibi opus esse videbant, ut nimirum collocato Capellis præsidio maturè subveniretur. Sed ne tunc quidem pugnandi animus belli Ducibus inerat: quin potiùs adventu suo pugnam inhiberi posse credebant. Sed secus quàm hominibus visum erat, res accidit. Repentinus enim ille nostrorum motus, & adversæ partis nimium festina celeritas, infelicissimæ pugnæ occasionem præ-

præbuit: tamen, non ut belli Imperator, aut anteſignanus; ſed ut Paſter, pro more Gentis, & civis fidelis Zuinglius interfuit: & pro patria pugnans cecidit, & propter vera fidei confeſsionem crudelibus armis necatus, obijt. Hæc *Myconius* & *Gualtherus*, *ille* Zuinglij Achates; *hic* Gener. *Ille* omnium Zuinglij conſiliorum conſcius; *hic* ſcriptorum & actuum hæres; uterque in Helvetia honoratus, fidéque dignisſimus. Neque ergo funeſti illius & exploratorij belli fax Zuinglius, nec, niſi invitus, caſtra illa ſecutus fuit. *Non enim* (ut Oecolampad. pag. 211. b. Epiſt. monet) *egreſſus eſt ſponte: deprecantem, uti liceat aliquantiſper domi manere, non exaudijt Senatus: præſagiebat enim & prædicebat adverſa. Et urgebant, tantúmque non rapiebant importuni: inter quos non defuere proditores, puſillanimitatem objectantes, ſi defuturus eſſet comes.* In bello igitur legitimo, urgentes ob cauſas, quas publico *Manifeſto* Ampliſsimus Magiſtratus innoteſcere voluit, ſucepto, mortuus Zuinglius, quem ſibi conſcivit reatum? Pro patria, pro lege & grege, pro aris & focis mori inglorium ſit? Non

malè

malè *Cornelius à Lapide*, ad Deut.20.v.8. *Militis* (quantò magis ejus; qui divina lege, ut animum addat militibus est constitutus, præconis castrensis; de quo jam jam) *est in bello non pavere, nec timere mortem; sed potius optare. Nam, ut ajebat Epaminondas,* pulcherrima est mors in bello. *Id verissimum est in milite Christiano; qui Christianè vivens pugnat pro Deo, pro Ecclesia, pro justitia.* Pulchrior est miles; in prælio cæsus; quàm in fuga salvus; inquit *Livius* l. 2. dec. 1. Celeberrimus *VVbitackerus*, Theologus Anglus, Prælect. Theolog. contr. Bellar. de Eccles. pag. 589. 590. rem breviter ita expedit: *Tigurini, pij Christiani, ab impijs Papistis lacessiti, bellum cum ijs gerunt. Cives suos ad honestum & justum contra tyrannos bellum Zuinglius sequutus est; qui (ut decuit pium Pastorem) noluit suos in extremo discrimine relinquere. In illo prælio occisus est, & sanctè mortuus. Hoc solùm crimen habent adversarij, quod illi objiciant. At mori & occidi in prælio nunquam antea pro crimine habitum est. Si bellum justum sit, quod suscipitur; Ministros pios interesse plurimum conducit,*

ad

ad populum hortandum, ejúsque animos excitandos. Cecidit ergo in bello; quod cùm adverſarij cognoviſſent, corpus ejus exquirunt, & inventum in quatuor partes ſecant; diſſectum verò ignibus cremant. Poſt triduum amici ejus, reliquias corporis ejus quærentes, non ut adorarent, ſed ut in terra de more conderent, cor ejus illæſum invenerunt, ut ſcribit Oſvvaldus quidam Myconius in vita ejus, vir pius & fide dignus. Idem de Cranmero; qui Oxonij combuſtus eſt, ſcribit Johannes Foxus &c. Hæc Theologus Anglus.

[e] Quæ quidem erat 1. *ut ne Paſtor oves deſereret.* Ita Oecolampadius ſuprâ. Egreſſus eſt ut Paſtor optimus, non detrectans mori cum ſuis. 2. *Ne domi fortis, ad ſubeunda pericula videretur ineptus*; qui aliorum animos accenderet, ipſe in diſcrimine molleſceret. *Sleidan.* Comment. lib. 8. Zuinglius vir fortis alioquin & animoſus; cùm ſecum reputaret, quòd ſi domi reſideret, ac prælium forte fieret adverſum, fore, ut magnam ipſe ſuſtineret invidiam; quaſi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipſo autem diſcrimine molleſceret; voluit omnino communem ſubire mortem. Eodem ferè

Anglis

Anglis Anglicè tradidit Edvvard. Leigh in consort. felic. p. 373. 3. *Ut se Deo suo fidem servâsse* etiam rebus adversissimis, & hostibus crudelissimè ipsum tractantibus, probaret. Nam & Zuinglio fuisse datum Apostolicum canere ἐπινίκιον, quod nec mors ipsum separare potuerit ab amore Dei, qui est in Christo Jesu, Rom. 8. emortualia ejus condocefaciunt verba: *Prostratum ajebant* (ex Myconio loquor) *Zuinglium prementium multitudine jam tertiò; sed in pedes semper restitisse: quartò fixum cuspide sub mento, & in genua prolapsum dixisse: Ecquid hoc infortunij? Age corpus quidem occidere possunt, animam non possunt.* Certè ut inter lapides Protomartyr N. T. Stephanus, ita Zuinglius inter ictus perpetuos uni & soli Jesu spiritum suum commendavit. Possem (ita in Apologia sua Gualtherus) hîc eorum testimonia producere, qui cùm Tigurinorum causæ & renascenti Evangelio quàm maximè faverent, patria tamen necessitate compulsi, adversa castra secuti sunt. Iacuit (ut quidam illorum oculati testes retulerunt) vivens adhuc inter strata undique nostrorum cadavera, & manibus precantium more compositis, ac in cælum fixis oculis, non aperta quidem voce, sed

ſed modicum motis labijs precatus eſt. Maxima autem hoſtilis exercitus parte noſtros perſequente, quidam interea temporis per noſtros in pugna proſtratos hinc inde graſſantes, quoscunque viros convenere, de confeſsione Papiſtica & divorum invocatione compellare cæperunt. Et cùm ſimili modo Zuinglius quoque ſolicitaretur, moto capite, ſe id facturum abnuit, & denuo, in cælum ſublatis oculis, cæli Dominum ſe invocare ſignificavit. Quibusdam autem viri fidem & jacentis conſtantiam (licèt illum nonniſi vacui agnoſcerent) admirantibus, irruit quidam communi gladio ſanctiſsimi viri jugulum hauriens.

[*f*] Non inſolitum fuit veteri populo Judaico, bellicoſiſsimo olim, adſciſcere comites unctos, perſonas ſacras, cultui ſacro deſtinatas; Sacerdotes qui משוחי מלחמה *uncti ad bellum,* Rabbinorum ſtylo, appellari ſolent. Fundamentum hujus conſtitutionis oſtendunt *Deut,* 20. v. 5. 6. 7. 8. ad quem locum R. Lev. Barzelonita in lib. Chin. S. 496. נצטוינו למשוח כהן אחד בשמן המשחה ולמנותו להיות מדבר עם העם בשעת מלחמה וזה הכהן המשוח אל העם בשעת המלחמה ג׳ כתובים הנזכרים בתורה מי האיש וגו ומי האיש וגו ומי האיש וגו ויוסף עוד

 משלו

משלו דברים אחרים יעוררו בני אדם למלחמה וישאום לסכן בנפשם לעזור דת האל ולשמרה ולהנקם מהם כלים המפסידים סדרי המדינות *Præceptio nobis est injunctum, ut unum ungamus Sacerdotem oleo, eique, ut tempore belli cum populo loquatur, jungamus. Atque hic quidem vocatur* πολεμόχριστος, *unctus ad bellum. Ad hoc autem mandatum pertinet, ut Sacerdos ille unctus, populo tempore belli inculcet loca Scripturæ:* Quis est ille vir, qui ædificavit domum, &c. *Deut.* 20.5.6. Quis est ille vir, qui desponsavit uxorem, &c. v. 7. Quis est ille vir, qui timidus, &c. v. 8. *Sed & de suo alia addat verba, quæ homines excitent ad bellum, & assuefaciant eos juvare religionem Dei, eámque custodire, & vindicare à stultis, qui ordines regionum turbant.* Hujus præcepti rationem scribit idem esse manifestam: כי בשעת מלחמה צריכין אנשי המלחמה חזוק ומפני שהאדם נשמע יותר כשהוא נכבד צותה התורה להיות הממונה לחזק בדברים טובים מן הכהנים שהם מבחר העם והענין להיות מחזירים מן המלחמה מי שנטע כרם ולא אכל ממנו או ארש אשה ולא לקחה או בנה

בית

בית ולא שכן בו וכן הירא מעבירות שבידו גם זה הדבר ראוי וכשר כי כל אלו בני אדם חלושים מאד מבוא במלחמה כי מחשבתם נתפסת הרבה על הדברים הנזכרים בכתוב ואלו יניאו לב חביריהם וכענין שכתוב בפירוש ולא ימס את לבב אחיו וכן הירא מעבירות שבידו ראוי להחזירו פן יספו אחרים בעדנו וכל דרכי התורה יושר ואמונה *Tempore enim belli milites opus habere confirmatione : Et quia quò quis est honoratior, eò ei libentiùs obsequium exhibetur, mandavit Lex, ut ille, qui ad erigendos alios blandis verbis, præficeretur, è Sacerdotibus esset : quod nempe illi Selectum populi constituerent ; quorum officium erat ; ut ex bello domum redire juberent, qui vineam plantâssent, nec tamen de ea quicquam comedissent ; aut desponsâsset sibi uxorem, neque eam* (domum) *deduxisset, nec eas inhabitâsset. Eadem ratio est ejus, qui propter prævaricationes suas esset timidus ; nam & hæc causa legitima est & prægnans* (imperandi reditum.) *Hi enim omnes infirmiores sunt, quàm quibus in bellum proficiscendum ; occupati enim val-*

de & defixa sunt cogitationes eorum in rebus in Scriptura memoratis, quibus etiam cor sociorum suorum facilè infringant: Id quod expreßè in Scriptura explicatur: Ne liquescat cor fratrum ejus. *Ita & ille, qui timidus est propter prævaricationes, jubendus est redire, ne alij in iniquitate ejus pereant. Omnia autem verba Legis rectitudo sunt, & soliditas.* Ubi tamen notandum, legem hanc tantùm valere tempore מלחמת רשות *belli arbitrarij,* non מלחמת מצוה *belli præcepti.* Ita enim Catechista noster
מדיני המצוה מה שאמרו זל שאן מחזירין המלחמה אלו הנזכרים בכתוב אלא במלחמת הרשות אבל במלחמת מצוה הכל יוצאין אפילו חתן מחדרו וכלה מחופתה ומה שאמרו שאחר שחזרו במל חמת הרשות כל החוזרין הנשארים מתקנים את המערכות ופוקדין שרי צבאות בראש העם ומעמידין מאחורי כל מערכה שוטרים חזקים וכשילין של ברזל בידיהם וכל המבקש לחזור מן המלחמה הרשות בידם לחתוך את שוקיו מפני שתחלת נפילה ניסה *Ex rationibus hujus præcepti est, cùm dicunt Rabbini nostri; non revocari domum eos, quorum*

in

in Scriptura facta eſt mentio, niſi in bello arbitrario; In bello præcepti omnibus exeundum, etiam ſponſo è cubili ſuo, & ſponſæ è thalamo ſuo: Item cùm dicunt: Poſtquam illi, quibus redeundum eſt, redierunt, reliqui aciem diſponant, Duces populi in fronte præficiunt. Ad calcem cujuslibet aciei Exactores (tribunos) fortes conſtituunt, in quorum manibus ferrea ſint ſecures: Quòd ſi fuga è bello ſe ſubducere aliquis conetur, permiſſum illis eſſe crura ejus concidere: Initium enim cladis, fugam eſſe. Obſtrinxit autem hoc præceptum זכרים בזמן שארץ ישראל בישובה וזאת מן המצות מוטלות על הציבור כולם ואם עברו העם על זה שלא מינו ביניהם כהן משוח על הענין שזכרנו ולא דבר אל העם הדברים הנזכרים בכתוב בטלו עשה זה *Maſculos, tempore, quo terra Iſraelis erat inculta. Incumbebat autem hoc præceptum toti cœtui: Quòd ſi populus transgreſſus non præfecit ſibi Sacerdotem unctum, ad modum memoratum, neque hic* (ſacerdos) *verba in Lege commemorata eloquitur, utrique irritum reddunt af-*

 firma-

firmativum. מִלחמת מִצוה *bellum præcepti* appellant, quod ex divino geritur mandato, quale erat Jsraelitarum contra septem gentes Cananæas; מִלחמת רשות *bellum arbitrarium* verò, seu liberum, quod gerebatur ad dilatandos terminos. In *illo* internecioni omnes devovebantur. In *hoc* veniam & pacem rogantibus, pacem offerre poterant. Quamvis limitent hic Magistri: ex mente enim illorũ,

דין קריאת השלום הוא בכל מקום כלומר
בין במלחמת מִצוה בין במלחמת רשות
ומלחמת מצוה היא כגון ז עממין ועמלק
והכל אם השלימו עמנו כלומר שקבלו עליהם
מס ועבדות וכמו כן שקבלו עליהם ז מצות
אין הורגין מהם כל נשמה ויהיו למס ועבדונו
אבל כשלא השלימו יש חילוק בין מלחמת
מצוה לרשות שבמלחמת מצוה אין מחיין
מהם כל נשמה ובמלחמת רשות מניחין
מהם הטף והנשים כמו שכתבנו בסמוך

ratio promulgationis pacis ubique obtinet sive in bello præcepti, sive libero; quorum illud concernit VII. gentes (Cananæas) *& Amalekitas. Nullos autem ex iis, qui pacis conditionis à nobis accipiunt, tributum nempe & servitutem; qui item*

item ſeptem præcepta (Noachidarum) *admittunt, occidunt; ſed tributarij nobis ſerviunt. Quòd ſi pacis conditiones reſpuant, tum eſt diſcrimen inter bellum præceptum, & liberum. In illo vitæ veniam nulli faciunt; in hoc ſuperſtites relinquunt infantes & mulieres; ut proximè ſcripſimus. Addunt & hoc* דבין במלחמת רשות או מצוה מותר לחלוצי הצבא כשיכנסו בגבול הגוים והם רעבים ואין בידם צידה לאכול אוכלין אפילו מאכלות אסורים כוון נבילות וטרפות וחזירים ולשתות יין נסך וכן דרשו זליובתים מלאים כל טוב אפילו קדלי דחזירי הותרו לנו *Tam in mandato, quàm arbitrario bello permiſſum militibus; cùm ingrediuntur limites Gentium, famelici, viatico non inſtructi, non habentes, quod edunt; edere liceat cibos prohibitos, cadavera nempe, rapta, porcos, bibere vinum libatum. Ita, Magiſtris exponentibus, licet nobis frui repletis omni bono ædibus, etiam cervicibus porcorum.* Atque hæc occaſione Sacerdotis uncti ad bellum; cujus provincia primariæ inter Judæos dignitatis fuit officium; de quo plenius *Maimon.*

jm. Hil. Melach. Ulmilch. Cap. 6. & 7. *Seph. Mitz. gad.* Affirm. S. 117. 118. 120. De ratione verò bellandi, *Sanhed.* c. 2. Sota c. 8. *Majm.* l. c. R. *Levi Barzel.* S. 503. Unde manifestum satis est, munus præconis castrensis antiquissimæ esse apud originis Judæos: de reliquis jam comentandi locus non est. Illud obiter observetur, ne Judæis quidem, etsi singulari Dei patrocinio satis tutis, in bello imprudenter agere licuisse aut securè. Noluit Deus exercituum, adesse vel meticulosos militiæ, vel novis domesticis curis occupatos; ut exemplum haberet posteritas, non mole semper corporis; sed præsentia cordis; non numero virorum; sed valore virium, pugnari. Ex hac lege Gedeon contra Midianitas iturus clamavit: *Si quis est corde pavido, recedat de castris, & è triginta duobus millibus bellatorum, viginti duo millia recesserunt*, *Iud. 7. 3.* Præstat trecentos habere vitæ, ubi necesse est, prodigos; quàm sexcentos ad fugam paratos. *Scipio Africanus*, à quodam, qua re fretus exercitum auderet è Sicilia in Africam, contra Carthaginenses, trajicere; rogatus, trecentos ei demonstravit viros, dicens: *Nullus horum est, qui non sit me jubente, conscensa hac turri*

turri præcipitem se in mare dejecturus. Idem responsum in Regulo illo Saracenico observavimus *Hist.Eccles.*S.XI,p.452. Qui alio, quàm vel pro patria gloriosè occumbendi, vel cum triumpho ad eam redeundi, exit animo, minori cum periculo domi milium perforaret, aut culices transfoderet. Philemon, *Miles*, ait, *est victima, ut cùm tempus fuerit, pro patria immoletur.* Matres Laconum eis solebant dicere, *ut aut victores cum armis redirent, aut mortui in armis referrentur*, teste Valer.Maxim.lib.2.c.8. Cæsaris fuit illa vox: *Disce ferire, disce mori.* Syllaba una brevis aut longior tua facta variabit: aut *occides*, aut *occides*. Ad utrum libet horis locisque omnibus paratum te exhibe. Aratus dicebat; *Militis esse vitam nihili facere.* Xerxes, audiens, quàm fortiter & feliciter Artemisia rem contra suos gessisset in pugna navali, dixit; *sibi fœminas fuisse viros, contra viros fuisse fœminas*, quod parùm dextrè rem gessissent, teste *Herodot.* lib.8. Cùm ob turbatos ordines in Marcelli copijs, victor Hannibal extitisset, reversus in castra Marcellus, convocato exercitu dixit: *Se quidem multa Romanorum arma & corpora, Romanorum verò vide-*

re neminem: Plutarch. in Marcell. Hæc paulò fusius, ut vel omnium Gentium consensu constaret, quantum habere referret, ubi dimicandum est, expeditas vires; non tantùm numero multos viros; vel; viris pugnandum, non nominibus: Id quod ut fieret in Judæorum antiquissima Republica, Sacerdotis ad hoc peculiariter destinati & uncti necessaria erant *κελεύσματα*. Quid alijs sive Rebus publicis, sive nationibus deinceps placuerit, scrupulosius jam scrutari nolumus; abundè sufficit, cum *Oecolampadio, Myconio, Gualthero*, alijs, dixisse, *Zuinglium pro more Gentis, exijsse armatum*. Qui vel negant, vel dubitant, morem hunc Gentis Helveticæ fuisse, hospites planè sunt in Historijs nostris. Obtinuit consuetudo ante Zuinglij adventum, sive ut Jurium civitatis monerentur, sive Pontificiæ immunitatis privilegio non abuterentur, clerici; ut etiam ad patriæ & libertatis defensionem communia ferrent onera; Id quod Tiguri, postquam ipsi etiam Ministri tribules esse, & in electione tribunorum sua habere suffragia cæpissent, tantò facilius potuit impetrari. Ipsi ergo etiam Pastores, non ut gregarijs militibus annumerarentur, sed ut vel, ubi cum patria periclitarentur, non

impa-

imparati planè opprimerentur; vel ut ταῖς ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις in temporalibus subesse, testimonium in armatura civili haberent domesticum, vel denique, ut libertatis, omnibus promiscuè armis paratæ extarent monumenta, communem hanc quæ unicuique præcipit civi, ut armis sit instructus, neq; ab ijs, ubi necessitas publica flagitat, abhorreat, legem tum admiserunt. Cùm superiori seculo hoc ipso nomine ab *Ambrosio Blaurero* rogaretur, Zuinglij successor, *Bullingerus* noster, suo modestè probavit responso, quid & Tigurinorum leges hac in parte ferrent, & quòd ne ipse quidem, etsi oblato immunitatis privilegio fruisci vellet. *Quotquot*, inquit, *Ministri sumus, civitatis & tribuum jure gaudemus. Quicquid igitur Civitatis jus, alijs, ne quidem armis exceptis, imperat, illud & nos quoque obstringit. Habent Ministri sua in tribubus vota; suáque, ut reliqui tribules, onera. Et quanquam Leoni Juda & mihi venia nuper concessa sit, ne obortis tumultibus, aut periculis, pedem moveremus, alium tamen, ubi necessitas flagitaret, meas vices agere, quàm civis officium negligere mallem.* Hæc obiter, ut omnino nihil præter

morem

morem fecisse Zuinglium, quòd & arma portaverit præco castrensis, ostenderemus. Sed quid alijs agimus exemplis? Ipse *Zuinglius*, bis ante Reformationem Glaronensium fuit secutus castra, magna non modò cum laude; sed & insigni eóque gemino Pontificis præmio. Honorata semper fuerunt Zuinglij in expeditionibus studia & curæ, quamdiu pro Pontifice Romano erant suscepta; at ubi, Româ valere jussâ, pro veritate, amore patriæ, ille dimicavit, jam flagitium comisit & scelus, nec humana nec divina venia dignum. Fortè nō abs re fuerit (meretur enim magni Herois insperatus casus, non nostram modò; sed omnium bonorum operam Apologeticam) si Historiam pressiùs urgeamus. Alibi diximus, quæ Regi Galliarum Ludovico XI. cum Julio II. & Leone X. successore intercesserint dissidia & bella. Et Julius quidem II. nihil reliquit intentatum, ut Helvetios haberet propitios. Ne quid vel confinxisse, vel partium studio dedisse videamur, ipsas inserere hoc loco placet literas Pontificis ad Helvetios, tum Lucernæ congregatos. *Iulius Papa II.* Dilecti filij, salutem & Apostolicam benedictionem: Post dilectorum filiorum Oratorum vestrorum à vobis discessum, quos vel esse, vel propediem futuros apud vos credimus,

dimus, ex quibus erga vos omnes animi noſtri ſinceritatem atque immenſum paternumque amorem noſtrum intelligere potuiſtis, & literas noſtras ejuſdem rei locupletiſsimum teſtimonium perhibentes vidiſse, non ſine magna animi noſtri admiratione intelleximus, vos Oratoribus Regis Gallorum, hoſtis non ſolùm noſtris, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ notiſsimis; ſed etiam qui nihil magis quærit, atque enititur, quàm veſtram integerrimam ſolicitare fidem, tantámque vobis ac poſteris veſtris cum magno labore maximiſque periculis partam laudem atq; gloriam, cum magno dedecore, infamia, atque injuria denigrare, extinguere, penitùsque abolere, ſalvum conductum ad vos veniendi conceſsiſſe. Et illos in diæta, quam S. Hilarij proximè celebrandam indixiſtis, audire velle. Quod etſi nobis pluribus, urgentiſsimiſque de cauſis perſuadere non poſſumus; His tamen veſtris eas potiſsimas rationes atque cauſas declarare viſum eſt, ob quas ſi ex vobis aliquis ad Oratores ipſos audiendi mentem porrigit facile & non ab re abſtinere debeat, vos non latet, niſi Altiſsimus inprimis nos, ſanctámque Eccleſiam, Sponſam ſuam, reſpexiſſet, veſtráque affuiſſet virtus, quid Gallus,

Gallus, ſævisſimus hoſtis, & Chriſtiani ſanguinis nunquam ſatur, dominandíque libidine occæcatus, animo ſuo concepiſſet. Id erat (ut rectè nôſtis principium) ut Romanum Imperium, Italiámque ſub ſuas impias leges mitteret, Chriſti Vicarium ſervum faceret, Eccleſiam ſanctam conculcaret, ſchiſma perniciosiſsimum foveret, veſtras quoque vires, veſtram auctoritatem, quam nos cum magnis commodis, atque honore veſtro ſumus complexi, deleret. Nec arbitrandum eſt, quod à malis adhuc receſſerit cogitatibus atque conceptibus ſuis, vel receſſurus ſit: Sperans ſemper, vos malis injuſtísque perſuaſionibus poſſe allici, muneribus, quæ veneno ſunt plena, corrumpere, atque in ſuas damnabiles partes trahere. Præterire etiam non licet, vos non ignaros eſſe, quid fœdere inter vos & nos inito caveatur: Non licere idcircò vobis ullo jure, nobis præſertim inconſultis illos admittere, neque audire: Et univerſo orbi notum eſt, illos gravisſimis illaqueatos eſſe cenſuris; & proinde ſine animarum veſtrarum evidentisſimo periculo vos cum illis commiſceri non deberis, neque poteſtis. Extant pleræque aliæ rationes; ſed hæc una potisſima, quam recenſere ſæpius libet. Nam ſi Gallis in aliquo adhæretis, partam amit-

amittetis gloriam, & libertatis Eccleſiaſticæ defenſorum, quó ornati, inſignitíque pulchro ac digniſsimo eſtis titulo, cum perpetua veſtra poſterorùmque infamia vos indignos reddetis. Quocirca devotionem veſtram hortamur in Domino, & per viſcera Salvatoris noſtri obteſtamur, ut hæc in pectoris veſtri intimis revolventes, neque Gallorum falſas perſuaſiones audire, neque illos admittere velitis, prout vos veſtra ſumma prudentia erga nos; ſanctámque Romanam Eccleſiam, veſtram & cunctorum fidelium matrem, devotione non dubitamus eſſe facturos. Nos enim, ut alijs noſtris ſcripſimus, Virum Prælatum Oratorem noſtrum intra paucos dies ad vos mittemus, qui iſthic noſtro nomine ſedulò ſit; & de his, quæ indies ac in horas gerentur rebus; nos vóſque certiores faciat: Præterea aliud à Vobis, filij dilecti, non expectamus, quàm quòd noſtro veſtróque honori rectè conſulatis, fidem veſtram, partámque gloriam & eandem immaculatam Vobis, poſteríſque veſtris conſervetis. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die XI. Januarij 1514. Pontific. noſtri anno decimò. *Dilectis filijs, Helvetijs duodecim Cantonum ligæ veteris, ſuperioris Alemaniæ, Eccleſiaſticæ libertatis defenſoribus.* Atq; hæc quidem

quidem initio anni 13. seculi superioris: sequebatur anno eodem (post die 6. Julij obitum) Julji, cruentum illud Novarenum prælium, de quo prolixè *Method. legend. Hist. Helv.* pag. 369. Expectabant Helvetij, post rem præclarè pro sede Romana gestam, & gratiarum actionem, & stipendia à successore *Leone*, & quidem non sine levi animorum commotione. Erat tum temporis Glaronensium Plebanus Zuinglius noster, ad cujus manus non excusatoriæ tantùm *Ennij*, Episcopi Verulani, pervenerunt literæ; sed & ipsum *Breve*, quod vocârunt *Apostolicum*: Utriusque ex ipso autographo, copiam hîc dabimus. Et *Ennij* quidem excusatio talis est: *Magnifici ac Potentes Domini, mihi semper plurimùm observandi.* Post discessum Dominorum Oratorum vestrorum, qui in Diæta cum alijs congregati, non sine animi mei molestia & dolore, objecerant, ***post tantam victoriam, Deo optimo maximo adjutore consecutam,*** se nihil literarum gratulantium à S.D.N. accepisse, ac pecuniæ querelarum concordiæ solutionem nimis differri. Recepi à sanctitate sua diversa Brevia, directa particularibus Dominijs vestris & personis, ac Magnificis Dominis, in Diæta congregandis, & Capitaneis & vexilliferis exercitus vestri,

quæ

quæ Brevia, ut unicuique ſuo tempore exhibeantur, ea qua potui diligentia uſus ſum, & ſic mitto Magn. D. N. incluſum Breve vobis directum, quod rogo veſtris in conſilijs publicè legi ac declarari dignemini, & cùm ipſe præpeditus negotijs perſonaliter (ut optâſſem) id efficere nequeam, ac vos omnes viſitare, ut debeo, & rogo, me apud omnes excuſatum reddere dignemini, illósque certiores facere, ſanctitatem ſuam, hujus invictiſsimæ nationis, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ tantopere fautricis, non eſſe oblitam, & ut eam in juribus ſuis & extimatione contra quoscunque communes hoſtes manu teneat, novas Ligas & Confœderationes nuper inijſſe, illuſtriſsimo atque invictiſsimo Helvetiorum Dominio in Confœderationem in primis incluſo, prout Reverendiſsimus D. Cardinalis Sedunenſis, qui jam Roma diſceſsit ad nos venturus, ac querelarum pecunias allaturus, hæc & diverſa alia, vobis gratiſsima explicabit, & ego Magnificis D.D. Oratoribus veſtris ad Diætam venturis, quia ſecreta ſunt, quæ aliquibus, & non omnibus publicari poterunt, apertius reſerabo: Et ideo pluribus non utar, niſi quòd D. V. Mcis me ex corde commendo; quæ feliciſsimè valeant. Ex

Turregio, anno MDXIII. Mcrum D.V. obsequentissimus, Ennius Episcopus Verulanus, S.D.N. & Apostolicæ sedis Nuntius & Orator. *Inscriptio*: Magnificis ac Potentibus Dominis, Ammano, Consulibus, & Communitati de Glarona, ex duodecim Canton. Helvetiorum Ecclesiasticæ libertatis defensoribus, &c. Sed ipsum etiam Leonem V. eosdem Glareanos compellantem audire placeat. *Leo P. X. Dilecti filij salutem & Apostolicam benedictionem. Equidem cum in ea victoria quam proximis diebus maximam atque clarissimam, & omnium hominum, omnium ætatum memoriâ celebrandam estis consecuti, unum illud vel pro naturali pietate nostra, vel pro miti Communis patris & pastoris officio doluerimus, tantum humani sanguinis effusum esse, tantam Christianorum manum cecidisse, valdè tamen vehementérque lætati sumus, quòd vos, qui Ecclesiæ Dei libertatem, incolumitatémque, tuendam defendendámque suscepistis, vestros & ejusdem libertatis hostes fugavistis atque stravistis: qua ex re magna vos gloria, magnæque utilitates sunt subsecuta.*

tæ. Neque enim minorem ex veſtris commodis, honoribus, incrementis voluptatem capimus; quàm par eſt, patrem capere ex optimorum & chariſsimorum filiorum, ſibique obſequentiſsimorum proſperis felicibúsque rebus: quódque, qui legitimam Dei ſponſam vexare, inconſutilémque Chriſti tunicam ſcindere conati ſunt; quos antequam in eam cogitationem atque ſcelus animum induxiſſent; omnium rerum gloria florere videbamus, ut primum ſe malis conatibus dediderunt, infecerúntque ſchiſmaticis pravitatibus, anathematíſque juſti jaculis tacti percuſsíque ſunt, ſtatim illis amarè omnia infeliciterque ceciderunt, partáque ab ipſis gloria, ſimul cum Regno, ad eos, qui aut Sedi Apoſtolicæ parent, aut eam tuentur, facilè tranſiit, quibus de rebus agimus Omnipotenti Deo gratias; qui abalienatos à ſe reſpuit, ſuos autem jacentes ſublevat, aut ſtantes comitatur. Vos autem, quos idem Deus ſuæ voluntatis eſſe miniſtros voluit chariſsimos, animóque noſtro conjunctiſsimos, & habemus nunc & ſemper habituri ſumus. Ne-

que vos moveant voces improborum, quæ, ut intelligimus, jactantur, temeræ illa quidem atque injustæ, vos ac reliquos confœderatos nostros, compositis & pacatis rebus, vestrum præterea nomen, vestrámque benevolentiam non curaturos. Nam ipsi à fœdere, quod habemus vobiscum, nunquam sumus discessuri, sed id plenè integréque servabimus: quin etiam illud cogitamus, ut vos omnes conjunctos cum omnibus confœderatis nostris faciamus: quo & securiores esse, majori cincti præsidio, possitis, & eorum omnium Communi adjuncti ornatiores: quod Domini benignitate confidimus brevi futurum. Itaque sic habetote, ut de nostro prono propensóque animo ad vos amandos & conservandos, studio, favore, benivolentia prosequendos, vobis ut ipsis omnia polliceamini, quæ exspectari possunt ab hujus almæ sedis præfecto vestri nominis amantissimo, vobisque conjunctissimo. Hortamur autem vos, atque in Domino planè requirimus, ut quemadmodum adhuc quidem egregiè laudabilitérque fecistis in hujus almæ Sedis obser

van t

vantia, quæ multum in vebus unis ſpei defenſioniſque poſuit, etiam deinceps permaneatis. Quod erit Omnipotenti Deo gratiſſimum, qui veſtras actiones propterea ſemper in melius diriget, conatúsque omnes veſtros adjuvabit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 14. Julÿ 1513. Pontificatûs noſtri anno primo, P.Bembus. Ita Pontifex. Gratiæ ubique, & prolixa eorũ, qui ſeſqui horæ ſpatio & prælium confecerunt, & bellum, encomia! Zuinglij, qui militiæ illi interfuit, vel contra leges peccantis, vel eo ipſo in ſuſpenſionem muneris incurrentis nulla mentio. Nec modò hoc ei nomine nullam vel irregularitatis, vel infamiæ publicam notam legimus adſperſam; ſed benevolentiam Sedis Romanæ auctam. Munera enim Zuinglium ante Reformationem accepiſſe ipſe non diffitetur *op.* T. 1.p.341.b. Sed & ſubſequenti anno 15. cùm Helvetij ad Marignanum fortiùs, quàm feliciùs pugnâſſent, Gregi iterum ſuo Glaronenſi Zuinglius adfuit, officiúmque Paſtoris ſtrenuè fecit. *VVernherus Steinerus*, qui & prælio illi interfuit, & Hiſtoriam ejus deſcripſit, meminit concionis ab eo non diu ante prælium in magna frequentia habitæ; Si; addit idem Patritius

Tuginus; & tum, & deinceps ſæpiùs auditus fuiſſet, multis carere potuiſſemus malis. Quæ hinc Pontificis ira? Accolitis eum ſuis adſcripſit, ceu diximus pag. 276. Placuit hæc etiam ex tenebris eruere ὑπομνήματα, non modò ut videret poſteritas, quæ Majorum noſtrorum fuerit fortitudo; ſed & ut exprobrare Zuinglio malevoli deſinerent, quòd tacito Pontificis conſenſu atque, teſtimonio probatum fuiſſe, negare non poſſunt. Si quibus ex noſtratibus hoc diſpliceat, denuo nôrint, Gentis quandam conſuetudinem hoc officium patriæ à clericis etiam flagitâſſe, quæ, à primæ libertatis incunabulis nata; cùm à patriæ defenſione illi excipi vel non poſſent, vel non vellent; in legem poſtea abijt. Adeò ut mirari non im̄eritò liceat, illud, poſt infelicem demum exitum, tanto Heroi vitio fuiſſe verſum, quod ex Gentis antea conſuetudine laudi ducebatur. Bonus erat Zuinglius paſtor caſtrenſis, fortis pro Eccleſia miles, Defenſor Eccleſiaſticæ libertatis, quamdiu Pontificis defendit partes; malus Chriſtianus, ἀλλοτριοεπίσκοπος, profanus miles, ubi pro patria ocubuit & veritate. Ita præjudicijs agitamur! Quid olim advindicandam libertatem ſibi ſacerdotes in Helvetia ſumere

tia fuerint auſi, cùm Zuinglius vix fortè greſſum formare dedicisſet, ego non movebo. Certum eſt trabes, quas exteri ſcriptores (qui tamen fidem ipſi præſtent) in ſacrificulis Helveticis oſtenderunt, in ijs non animadvertiſſe, quos tantopere feſtuca in Reformatoris oculis offendit. Vide *Method. leg. Hiſt. Helv.* pag. 544.

[g] Quod tentâſſe vidimus, non longè poſt acceptum damnum, *Iohannem Fabrum*, qui ſcripto publico cladem illam ſupra modum exaggeravit, ipsóſque Tigurinos erroneæ doctrinæ pœnas luere gloriabatur. Cui doctam Apologiam oppoſuit *Bullingerus*, ſolidè demonſtrans, de religione non ex proſpero aut adverſo rerum ſucceſſu judicandum eſſe. Vide *Biblioth. noſt. Tig.* p. 84. Eandem poſtea recoxit crambem *Bellarminus*, cui antehac *VVhitacKerus* reſpondit, & nuper breviter *Ioh. Crocius* Comment. in Epiſt. minores. Sed & *Laurentius Forerus*, homo Helvetius imprudenter obductum vulnus refricuit, cui ſuccinctè reſpondimus, *Hiſt. Eccleſ. Sec. IX.* p. 627. *Thomas* etiam *Morus* cohiberi non poterat, quo minùs triſtem caſum controverſiæ Sacramentariæ imputaret. Acerba ejus verba refert *Ed. Leigh. in* conſort. felic. p. ult.

[b] Quibus enim intonuerint multi fulminibus, quámque indignè mortuo insultârint Zuinglio, ex *Oecolampadij* & *Gualtheri* Apologijs haud est obscurum. Erant, qui objicerent, Evangelium ferro propagare voluisse Zuinglium; prout ne nuper quidem esse desijt, parcam augusto nomini, qui Muhammedi Reformatorem ea de causa conferret; sed quàm rectè ritéque, ex illis potiùs, qui tum vixerunt Zuinglio conjunctissimi, quàm apertis ejus discere potuissent adversarijs. Valde memorabilis est Epistola *Iohannis Oecolampadij*, Martino Frechto & Cunhardo Somio, Ulmensibus Pastoribus, de Zuinglij, aliorúmque cæde lib. 4. pag. 211. scripta, ubi inter alia: Cùm vulgò jactarentur variæ voces, quod ardentius Magistratum admoneret officij sui in tutandis viduis ac pupillis, & non relinquendis fratribus Christianis, fretus ego consuetudine nostra semel atque iterum dehortabar, ne se ingereret negotijs parùm Evangelicis. Rescribebat ille: Mihi gentis mores parum notos, videre se gladium: Se facturum, quod fidi speculatoris sit, nihil se temerè agere. Hæc fuere ultima, quæ ad me scripsit. Jam esto, Zelus ille immoderatior fuerit, & parùm decorus; cur non & illos taxant, inflammatos Principes furere facien-

facientes adverſus ſeditioſos agricolas, quorum multi ſervari poterant? Hujus conſilium nunquam fuit, ut ad conflictum res perveniat. Sic erat perſuaſus, & quid, etiamſi toto cælo aberrárit, quod nondum dixerim, quamvis ei nequaquam aſſenſerim, non propterea peſsimus erit mortalium. Neque peſsimi erant, quos turris Siloah oppreſsit, & quorum ſanguinem Pilatus cum victimis miſcuit. Quid notius, quam judicium à domo Dei incipere? Patrem corripere ſilios quos diligit, utcunque interpretentur ei διάβολοι & deſperationis Doctores illi: Non inter minima bona recenſeri merentur humiliatio mentium noſtrarum, & fiducia non in brachium carneum; ſed in Deum ipſum. Quæ duo electi inde diſcunt. Utinam cogitarent inſultatores noſtri, quid Ammonitæ, Palæſtini, Tyrij, & Idumæi reportârint, plaudentes manibus ſuper deſolata Hieruſalem. Atqui nos illi pro Babylonijs habent: quod manifeſtabit Dominus. Nihil æquum ab illis impetrari potuit: noſtri pacis cupidi fuerunt: neceſsitas, non libido præliandi fuit. Illi conducto externo milite, primi egreſsi ſunt è ſuis terminis, viduas & puellos ſine miſericordia opprimentes; annon repellendi ſunt

 hujus-

hujuſmodi? Vaniſsimum eſt, quod Evangelium ſic velint noſtri dilatare: non ita habent res. Tyrannis illa intolerabilis eſt: perditi ſemel eſſemus omnes, niſi oppoſuiſſent ſe noſtri. Agitur omnium Evangelicarum Rerumpub. res. Objecerunt illi boni viri ſua corpora, & pro nobis, & pro vobis. Quod autem pater cœleſtis caſtigat nos, noſtrum fuerit, juxta Prophetam, iram Domini portare: non enim iraſcetur in æternum. Nondum omnino animi noſtrorum fracti ſunt. Zuinglius erga (ut *Gualtheri* iertum mutuemus Apologetica verba) ea morte obijt, qua ſanctiſsimi quique ſublati ſunt, & nos meritò ex obitu illum nec infelicem, nec impium; ſed verum Chriſti cultorem & æternæ beatitudinis hæredem judicamus. Eos verò quibus ſuum illud ab eventu judicium deſumtum tantopere placet, & miſeros & impios pronunciare non dubitamus: Impios quidem, quòd, cùm Chriſtiani dici velint, cruce tamen offendantur, & Mundi felicitatem reſpiciant: Miſeros autem, quòd nec ea vident, quæ Ethnici multijuga experientia eruditi intellexerunt. Diſcant ergò ex illorum Poëtis, qui Chriſtum Doctorem hîc negligunt. Sic enim quidam ſcripſit;

——————— Careat ſucceſsibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Et

Et *paulò ſuperius*: Obijt certè in bello Zuinglius, & armatus obijt; ſed bonus civis & fidelis paſtor, nec ſuis periclitantibus deeſſe, nec gregem ſuum pereuntem deſerere potuit. Num autem adeò infelicem, miſerum, Pſeudo prophetam & falſæ doctrinæ authorem fuiſſe dicemus? Quin ergo ſanctiſsimos quoſque damnamus; quorum maxima pars iſtiusmodi præmium à malè grato Mundo retulit. Nonne Chriſtum mendacij accuſabimus, ſi miſeri & impij ſunt, qui ita pereunt, cùm ille beatos pronunciet, qui perſecutionum procellis exercentur. In Mundo, inquit, afflictionem habebitis, & veniet tempus, ut quisquis interficiat, vos, videatur cultum præſtare Deo. Omnes etiam, qui volunt piè vivere in Chriſto (teſte Apoſtolo) perſecutionem patientur.

[i] Sive enim regulas ſpectemus, ſive exempla, oſtendit ubique Scriptura ſacra, non fuiſſe, cur ex obitu Zuinglij malè multi vel cauſæ ominarentur, vel perſonæ precarentur. Ut non ſupplicium, ſed cauſa facit Martyrem; ita nec Martyrium, & cauſæ bonæ patrocinium in τιμωρίαν verti debet & meritam pœnam. Obijt Zuinglius in prælio; ſed obijt propter *iuſtitiam*, cauſam bonam, veritatem Evangelicam. Atqui beatos

beatos prædicat Christus, *qui justitia causa persecutione invaduntur; eorum enim est regnum cælorum*, *Matth.5.10.* Occisus est Zuinglius propter Christum: Atqui Ecclesiæ tam veteris, quàm novæ symbolum est & tessera: *Occidimur propter te toto die*, *Rom.8.v.36. ex Psalm.43.24.* Gratulati sibi sunt hostes Evangelij de cæde Zuinglij, tanquam victima Deo grata. Atqui discipulis hoc suis Christus prædixerat: *Veniet tempus, cùm quisquis trucidabit vos, putabit, se cultum præstare Deo*, *Ioh. 16.2.* Una est ad vitam via aspera, arcta, ardua, *Matth.7.* Per multas tribulationes ingrediendum est regnum cælorum, *Act.14.22.* Quid ergo, eorum, quibus per hanc viam iter patet in cælum; vel famam rodamus, vel fatum? Si *exemplis* (ita enim *regulæ* habent Dominicæ & Apostolicæ) standum sit, præeuntem habemus ipsum τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν, *fidei ducem ac perfectorem Jesum, qui pro sibi proposito gaudio pertulit crucem, ignominiâ contemptâ*, *Hebr.12.v.2.* In veteri Testamento prolixum recenset Apostolus eorum Catalogum, qui, cùm indignus illis esset Mundus, crudelissima hostium manu è medio fuerunt sublati; *alij distenti, alij ludi-*

ludibria & flagella, nonnulli vincula & carcerem ſunt experti: Lapidati, diſſecti, tentati ſunt, gladio cæſi occubuerunt; Hebr. 11. v. 37. *Hi tamen omnes teſtimonium fuerunt adepti per fidem*; Ib. v. 39. Ex Apoſtolis, uno excepto, omnes ſanguine ſuo veritati perhibuerunt teſtimonium, ceu monuimus initio *Hiſt. Eccleſ. Sec. I.* pag. 28. In tam ſanctorum ergo virorum ſortem venire & communionem, reprehenſionem aut convitia mereatur?

[K] Continua Eccleſiæ *praxis* conſtanter docet; veræ Eccleſiæ non eſſe aliud, ſemen quàm ſanguinem Martyrum. Unde tot veteris & Novi Teſtamenti perſecutiones, tam particulares, quàm univerſales. Stupuit orbis, cùm initia reſtaurati Evangelij ſanguine miſcerentur ipſorum cultorum. Quaſi verò novum illud eſſet aut inſolens? *Nunquam bella pijs nunquam diſcrimen deſunt*. Vix tamen Satanas importuniùs graſſari viſus eſt, quàm cùm nova planta Dominica Zizaniæ ejus locum præcipuit. Initia ſemper fuerunt difficilima, tum ut fides electorum probaretur, & conſtantia, tum ut Diaboli odium in ſemen mulieris conceptum apertiùs ſe proderet. Primæ Eccleſiæ extra Para-

Paradiſum fundamenta vix poſita, Abelis ſtatim ſanguine ſignata fuerunt. In Ægypto ne cunis quidem parcebatur, & vagientibus Iſraelitarum infantibus. In N.T. Chriſti nativitas rubro ſanguinis colore Bethlehemitico infanticidio conſpicua fuit. Reformationem ex Gentiliſmo multo conſtitiſſe ſanguine, tot cruentæ fidem faciunt perſecutiones. Ægrè nempe ſedem mutat ὁ πανοῦργος: Et quanquam antiquus tandem ſerpens juſtiſsimo Dei judicio conteratur, in calcaneo tamen ſemen mulieris, venenato lædere morſu non deſinit. Aut quæ vel in univerſo, tempore Reformationis orbe, fuit Eccleſia, cujus fidem & conſtantiam Deus varijs calamitatibus explorare noluerit? Quid ergo ſoli Helvetiæ immunitatem polliceamur aut exceptionem, aut cur illa ſola tam periculoſum offenſionis lapidem relinquat? Fuit in *Teſtamento veteri* Eccleſia vera, etſi graviter nonnunquam preſſa, afflicta, attenuata ab Ægyptijs, Schiſmaticis Iſraelitis, Aſſyrijs, Samaritanis, Perſis, & Syris. In *Novo Teſtamento* non ceſsârunt eſſe diſcipuli Chriſti, qui, ad Magiſtri exemplum, graviſsimas perſecutiones (clades etiam poſtea in adultiori Chriſtianiſmo, ne quis has excipiat) ſunt paſsi à Judæis, Paganis,

Arianis,

Arianis, Muhammedanis ; & *illi* tamen Chriſtiani, Orthodoxi, fideles : *hi* Gentiles, infideles, Hæretici erant. Cur reformati eodem in caſu, & eadem ex cauſa deteriori ſint loco ? Eccleſia roſa eſt ſub ſpinis, ſub vexillo militat ſanguineo, totáque ejus in terris converſatio pura pata militia eſt.

[*l*] Eos hoc loco potiſsimùm, qui & ſuperſtiti & defuncto Zuinglio maximas ſemper creârunt moleſtias, intelligo. Cur verò non obſervant id etiam manticæ, quod eſt in tergo? Cur non animadvertunt, nihil in tota hac vitæ Zuinglianæ καταστροφῇ poſſe exprobrari, quod non & Papas ipſos, & primarios Eccleſiæ Papiſticæ Doctores & columnas feriat. Et certè vel auſint Reformatori Zuinglio objicere *manus* pro defenſione, ſuæ vitæ ; pro amore patriæ *armatas*, qui non ignorant, Pontifices fuiſſe milites, gladijs inſtructos ; Cardinales, Epiſcopos, belli Duces ? De Julio II. legi poſſunt, quæ extant *Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI. pag. 541.* De Cardinali Sedunenſi, qui Helvetium militem ducebat, idque ſuis in Eccleſiam Romanam eo nomine, meritis eſt conſecutus, ut, referentibus nonnullis, ſedis Romanæ candidatus haberetur ; videatur Siml. Vales. pag. 59. &c. Mitto inferiores ordines ; quibus olim in

Helve-

manûs digitis ac in Tyberim projectis. Sergius III. prædicti Formoſi corpus poſt octo annos è ſepultura, denuò ex terra effodit, & ſedi Papali impoſitum, capitali ſupplicio, ac ſi viveret, affecit. Tres quoque digitos ex altera mutilatione relictos amputavit, & corpus ipſum cum his omnibus in Tyberim projici juſsit, tanquam communi Chriſtianorum ſepultura indignum. Ità Romæ res ſteterunt. Cur ergò non ſecum habitant, qui adeò odiosè unius hominis inexpectatam cædem exagitant?

[m] Neque enim ex Reformatis defuiſſe, qui plus hîc dederint affectibus humanis, quàm vel ipſi ſæpe hoſtes aperti Evangelij, vel ipſa rei exegit neceſsitas, dolentes referimus. Erant ex adverſarijs, qui ζυμπάθειαν teſtaturi non mediocrem, occubuiſſe Zuinglium triſtati ſunt, quem inſigni patriæ amore flagrâſſe ignorare non poterant. *Fuerunt plures* (ita *Gualth.* in Apolog.) *ex adverſa partis hominibus, qui cùm à fide & religione noſtrorum eſſent alieniſsimi, Zuinglij tamen mortem triſtibus querelis proſecuti ſunt, & ardentiſsimum illud tum patriæ communis ſtudium maximis elogijs decoraverunt.* Sed quid illi, qui

communem contra errores Pontificios feliciter egerunt causam? *Quotidianis concionibus* (ita ad an. Chr. 1531. Scultet. ex *Lavatero* nostro) *Epistolis, libris, & carminibus victis insultabant, affirmantes Zuinglium, ejúsq; discipulos contemptus Sacramentorum meritas, debitásque pœnas Deo hominibúsque persolvisse. Numerum præliorum & cæsorum etiam admoniti augebant, ut doctrinam Tigurinorum odio & invidiâ gravarent. Multi, qui ante partes Zuinglij acriter defenderunt, ærumnis Tigurinorum fracti, paulatim ad Lutherum deficiebant. Multi solo metu à libera hujus doctrinæ professione prohibebantur. Multorum dogmatum, à quibus Zuinglius alienissimus fuit, quæq; strenuè impugnavit, originem ad ipsum quidam referebant. Odiosè in vulgo spargebatur, Zuinglianos Christi præsentiam tollere è cœna, vacua & inania ponere symbola, omnipotentiam Dei negare, fidem verborum Christi violare. Tandem res eò deducta est, ut multi, nimis gravi præjudicio, Zuinglij & Oecolampadij nomen, tanquam pestilen-*

peſtilentiſſimorum hæreticorum vix audire dignati ſint: & quæcunque ab eis profecta audiebant, nec viſa, nec audita, nec lecta, condemnârint. Imò & ſuperſtitum reverentia, & metus majoris ζυῤῥάξεως, ita quoſdam occupavit, ut ne opera quidem Zuinglij publicæ exponi vellent luci. Sed graviter & doctè oſtendit Bullingerus noſter metuiſſe multos, ubi metus non eſſet. *Frechti literas* (ita Bullingerus ad Ambroſ. Blaurerum) *ut poſtulas remitto, & ad ipſas paucula hæc reſpondeo. Zuinglij opera omnia, ut non ignoras, excudi, ita nullo conſilio poterit caveri, ne prodeant in publicum. Bona ex parte, & magno cum labore & ſumtu ſunt excuſa; reliqua adjiciuntur. Ac miror ſanè Frechti conſilium & judicium. Veritatem ſcripſit Zuinglius, & fortiùs & feliciùs Antichriſtum oppugnavit, & expugnavit ſuis ſcriptis, quàm multi alij. Quis ergo prohibebit, ne utiles, docti, & pij libri prodeant? Nondum convicta eſt erroris doctrina Zuingliana, ut editio prohibenda ſit, aut ut nos pudeat librorum. Ego nihil prorſus confero ad editionem operum Zuinglij: alij*

 ſunt,

sunt, qui eum laborem sibi sumpserunt. Tantùm ego authoris vitam pollicitus sum, nisi scriptorem inveniant meliorem, id quod facilè possint. De hac vita idem alibi ad eundem Blaurerum. *In describenda Zuinglij vita summam adhibebo diligentiam, Dei invocato auxilio, ne quid in laudem aut odium cujusquam ullo ex privato affectu dicam; sed ut omnia verè & prudenter, moderatè & rectè dicam ad ædificationem bonorum.* Placuisse tamen posteà universo Collegio, ut hæc ab alio expectetur opera, viro doctissimo, & Zuinglio familiarissimo, suprà ostendimus: qui ipse tamen tutiùs tum negotium illud suspendi, quàm contradicentium libidini Reformatoris universam exponi Historiam suasit, vid. sup. pag. Quid? quod in confessione sua de Sacrament. an. Chr. 1544. edita, Lutherus triste illud vulnus adeò crudè refricüit, ut ne à condemnatione quidem, quæ tamen in flagitiosissimis etiam & sceleratissimis vitiorum mancipijs periculosa est & temeraria temperare sibi noluerit. Succenturiatos, nominis potiùs admiratores, quàm eruditionis & meritorum Lutheri imitatores incondito hoc co-

cysmo

cyſmo aures piorum non ſine moleſtia obtundere perrexiſſe, deplorare, quàm iterare malumus. Illud omninò moleſtũ eſt, ab ijs fieri, qui, ut ne fieret, alios etiam ex doctrinæ reformatæ principijs, & trita charitatis regula: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; inſtruere potuiſſent. Aut, quid quæſo, in Zuinglij iterum occurrat nece, quod adeò excitare potuerit cæterorum à Papiſtica Eccleſia ſegregum animos, vel in Reformatorem vel in reformatos? *Caſtra ſecutus fuit Zuinglius*, tum ut Gregi ſuo adeſſet Paſtor, tum ut ne Magiſtratûs obſequium detrectaret civis. Nónne in promtu erat, vel alijs factum malignè interpretantibus, & Dei mandato illud fundatum *Deut.*20. & exemplo tum Judæorum, tum Chriſtianorum confirmatum? Ex more enim & inſtituto divino Eliſæus Propheta, in exercitu fuit trium Jſraëlis Regum, Judæ, & Idumæorum, totique exercitui & conſuluit, & uſui fuit, 2.Reg.3. Imperatores poſteà Chriſtiani, Conſtantinus, Valentinianus, Gratianus, Theodoſius, aliíque veram religionem, cultúmque ſacrum à caſtris ſuis adeò abeſſe noluerunt, ut & juramentum Chriſtianum negantes in pagos (unde & *Paganorum* nomen) ejecti, & reliqui per Miniſtros officij moniti fuerint.

 Quid

Quid de legione Thebæa ad Helvetiæ fines usque deducta, memoriâ proditum fuerit, fusiùs alibi monstravimus. Prima Evangelij semina exercitui illi patria nostra fert accepta. Helvetiorum autem hæc avita consuetudo, cur à Zuinglio vel impediri, vel exemplo ejus improbari debuisset? *Armatus tamen obijt Zuinglius?* Non Pastor tantùm fuit; sed & Civis Reipublicæ. *Personæ Ecclesiasticæ non solùm ut Ministri Ecclesiæ, sed etiam ut membra ac partes Reipublicæ considerantur*; *Carpz.* lib. III. Juris prud. Consistor. tit. 1. d. 7. a. 2. nec à repellenda vi sibi illata exclusos eos, qui sacra tractant, Augustanorum Confessorum calculo facile esset probatu. *Ludov. Dunte* decis. Cas. consc. pag. 303. ad quæstionem, *Quatenus liceat vim vi repellere*, a. 4. addit: *Multi huc referunt, quòd Apostoli Christum sequentes gladios gestârint, & dixerint in ultima illa cœna: Ecce duo gladij hic; quódq; Petrus dixerit, cùm Christus caperetur, an percutiemus gladio? Videtur enim ex hisce, Apostolos in hunc usum gestâsse gladios, ut se ab injuria defenderent, quod Christus non concessisset Apostolis, si hoc pugnâsset contra*

tra legem Dei. *Hoc à ſuis* diſcere poſſent, quibus Zuinglij armatura adeò eſt exoſa in oculis feſtuca. Armatum nobis conſummatiſsimum Theologum, ipſum fidelium Patrem Abrahamum ſiſtit ſacer Codex *Gen.14.* Mitto Moſis, Samuelis, aliorúmque Prophetarum exempla; quæ diligentiùs excuſſa veniam ſaltem Zuinglio noſtro, ſi non laudem, conciliare potuiſſent. Nolumus verbi Miniſtris promiſcuè ad arma provolandum, & falcem in alienam ijs meſſem mittendam: Caſus tamen dari & exempla, quæ ἐπιεικεστέρως intelligi & ſobriè excuſari poſſint, neminem absque præjudicio in controverſiam vocare poſſe reor. *Cladem accipere ſalvâ religionis veritate,* num illi in dubium vocare debuiſſent, qui & ex Scriptura, & ipſa, aliquot annorum experientia diſcere poterant, Martem eſſe ἀλλοπρόσαλλον, judiciorum Dei initium fieri ab ipſa Ejus domo, Dominicum eſſe oraculum: Perſecuti fuerunt Prophetas, qui fuerunt ante vos, *Matth.5.12.* Mementote ſermonis, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus major Domino ſuo, ſi me perſecuti fuerint, & vos perſequentur, *Ioh.15.20.* Ex vobis (diſcipulis meis) quosdam curabunt morte mulctandos *Luc.21.17.* Non ergò *Sanctos decet* ἐπιχαιρεκακία,

 non

non solùm in calamitate amicorum; sed etiam (ita enim manca oratio videtur restituenda) *hostium: Hoc enim est contra charitatem: imò etiam contra humanitatem. Unde etiam apud Ethnicos malè audit Fulcia illa, qua Ciceronis nece adeò lætata est, ut linguam exemptam ex interfecti capite aciculis confoderit*; ita hanc pro Zuinglij obitu Apologiam verbis *Ludovici Dunte* decis. Cas.Consc. pag.305. addimus; cætera, quæ restare, & huic nostræ ætati, tot virorum superioris seculi magnorum voto relicta esse videntur, suo loco, de Reformatorum vocatione, adjiciemus. *Sed perstitit Zuinglius in sententia sua de Cœna Domini, cui alij post obitum accesserunt errores, nomine ejus publicè sparsi?* Ita ipse Lutherus aliquot annis pòst, ad Bullingerum successorem: Subjicimus Epistolam animi moderati tum adhuc minúsque exacerbati luculentum satis indicem. *Ornatißimo viro, Dn. Henrico Bullingero, Ecclesiæ Tigurensis Ministro sedulo & diligenti, suo in Domino venerabiliter amando*; ita Lutheri habet inscriptio. *Gratiam & pacem in Christo. Redditæ sunt mihi literæ tuæ, mi Bullingere, unà cum libro Tuo de authoritate scripturæ & functione Episcoporum. Librum sanè nondum perlegi,*

legi, aliјs & multis occupatus; nec tamen volui ultra has Lipſienſes nundinas differre reſponſum, etiamſi quod petis judicium meum de libro tuo in tanta penuria temporis ſignificare non poſsim. Nôſti verò, aliâs nobis non diſplicere ſtilum & argumentum rerum, in quibus verſamini, *ſed ſenſu & affectu ſumus diſsimiles. Liberè enim dicam:* Zuinglius, poſtquam Marpurgi viſus & auditus mihi eſt, virum optimum eſſe judicavi, ſicut & Oecolampadium, *ita ut eorum caſus me penè exanimaverit,* nullâ majore causâ, quàm quod credere cogebar, alienum eſſe, ſeu potiùs permanſiſſe à ſententia noſtra, quam nos arbitramur veram eſſe, non minùs, quàm vos veſtram. Et id quoque dolebat, quod ſub nomine tuo poſteà ædidiſti Zuinglij Librum ad Regem Chriſtianum ſcriptum, mirâ laude celebrans, cùm in eo libro eſſe nôſſes quam plurima, quæ non modò nos, ſed omnes pios offendunt optimo jure: *Non quòd invideam honori Zuinglij; de cujus morte tecum dolorem concepi;* ſed quòd ſinceritas doctrinæ gratiâ nullius hominis vilipendi debeat. Hæc ſcribo, ut videas, *me candore*

 vero,

vero, sine omni simultate, tecum agere. Vos fortasse creditis nos errare: Id commendo Dei judicio: *Certè nos etiam non possumus vestra omnia probare*, nisi conscientiam mallemus onerare, quod non exigeris à nobis, ut non dubito. Sed nihil posset mihi ante obitum meum lætius contingere, quàm si daretur tandem per gratiam Dei Spiritus ille, qui cor & animam meam in Domino recrearet, ut unum saperemus, & diceremus in Christo ad Gloriam Dei patris, & salutem animarum. Hæc interim boni consule, donec, si Deus velit, librum tuum legero. Bene vale; Wirtenbergæ 14. Maij 1538. Hæc Lutherus ante Concordiam Wirtembergensem quæ tamen paulò pòst fuit subsecuta. Hinc tamen & moderatior stylus, & major, quàm aliorum ἐπιχαιρεκάκων, demonstratio συμπαθείας. Quod de Cæna Dominica idem semper sensit, constantiæ ejus in veritate tribuendum, miniméque eo nomine dolendum, proximè, ubi de vocatione ejus, σὺν θεῷ, erimus acturi, demonstrabimus, ubi etiam alteram, de libro ad Regem Christianum, difficultatem tollere allaborabimus.

SEC-

SECTIO II.

De Luthero.

1. Brevis vitæ deſcriptio. 2. Succincta Hiſtoriæ Reformationis enarratio. 3. Obſervationes nonnullæ eruditorum de Luthero, cujusmodi ſunt. [a] *Quòd jam ante Reformationem multa ei in Papatu diſplicuerint.* [b] *Auguſtinianus fuit, non modò ratione prætenſi ordinis; ſed & doctrinâ in multis.* [c] *Duo potiſſimùm præſtitit: 1. Errores publicis ſcriptis primus refutavit. 2. Papiſmi duas primarias columnas, opinionem meriti, & ſupremam Pontificis poteſtatem deſtruxit.* [d] *Majora ſunt ejus in Eccleſiam merita, quàm quæ nævis & ἡττήμασι potuerint obſcurari.* [e] *Unde ut & modeſtè in Eriſticis ſcriptis tractaretur, & Concordiam oblatam amplecterentur noſtri pro virili dederunt operam.* [f] *Tria potiſſi-*

tissimum in eo occurrunt humanæ infirmitatis παραδείγματα; Inconstantia & pusillanimitas initio reformationis: Nimius fervor in progressu: Legis Talionis neglectus erga communis operis Socios.

I. Etsi plures [a] jam in Luthero vel describendo vel commendando fuerint occupati; eandem tamen, tum ordinis, tum plenioris Historiæ ratio à nobis exigit operam, quæ ut Methodica sit & perspicua, tribus à nobis absolvetur sive partibus, sive membris: *Illo*, vitam Lutheri breviter exhibebimus: *Isto*, succinctam Reformationis Historiam: *hoc* observationes nonnullas de Reformatore aphoristicas subjiciemus.

[a] Tum Pontificij, *Bzovius* cumprimis an. Chr. 1517. S. 7. tum Confessores Augustani, *Chytræus Mathesius, Cyrineus Spangenbergensis, author* memoriæ Thaumasiarchi Lutheri, Argentinæ nuper renovatæ. Quæ *Philippus Melanchton* de eo reliquit, repetita sunt in Hist. univers. Boxhornij pag. 1044.

II. Lutheri vita breviter ita habet: *Natus*

Natus eſt Lutherus anno ſalutis 1483. d.10. Novemb. parentibus honeſtis atque laudatis Johanne & Margaretha. Domi primas literas didicit: inde Magdeburgum miſſus & Iſenacum, æquales omnes facilè ſuperabat. Pòſt Erſordiam venit, totúmque ſe Dialecticæ dedit atque Philoſophiæ; & cùm ibi fuiſſet aliquandiu, non conſcijs parentibus atque propinquis in Auguſtinenſe Collegium ſeſe dedit, & omne ſtudium ad ſacras literas applicabat, juris atque legum relictâ tractatione, quam antè ſuſceperat. Porrò VVittemberga recens erat inſtituta Academia: Stupicius igitur, de quo libro primo diximus, cùm ejus rei curam haberet, Lutherum eò traducit ut Theologiam doceret. Romam deinde miſſus fuit Lutherus, à ſui ordinis ſodalitio, ut litem, quæ tum ibi pendebat, procuraret. Fuit hoc anno ſalutis MDX. Domum reverſus, impulſu amicorum, inſignia Doctoratûs accepit, ſubminiſtrante ſumptum Friderico Duce. Quanta fuerit in eo vis & copia dicendi, teſtantur librorum monumenta. Germanicam certè linguam & exor-

exornavit plurimum, & locupletavit. & primam in ea laudem obtinet, & ea vertit è Latino sermone quæ verti non posse putabantur, & significantissimis utitur verbis maximéque proprijs; & unicâ voce rem nonnunquam ob oculos ponit.

De Pontifice quodam in loco scribit, quemadmodum cœnam Domini prophanaverit & Missam applicari jusserit, etiam pro mortuis: ait eum penetrâsse cum sua missa, non modò per omneis angulos totius orbis Christiani; verùm etiam in purgatorium ipsum, sed utitur voce Germanica quæ tibi strepitum illum repræsentat, qualis excitari posset si mortuorum ossa, certis locis & distinctè composita, subitò quis & magnâ vi concutiat atq; impellat, aut globum in illa contorqueat. Animo fuit prorsus invicto, quo primùm tempore cœpit docere de indulgentijs, ignorabat, quò res ea pertineret, ut ipsemet fatetur, & hoc unum agebat, ideóque demissè tunc admodum ad Pontificem aliósque scribebat: cùm autem in scripturæ cognitione magis indies magísque proficeret, suám-

ſuámque doctrinam tum verbo Dei congruere judicaret, omnem adverſariorum impetum, & totius orbis odium fortiſſimo pectore ſuſtinuit, & tanquam murus aheneus conſtitit immotus, omni contempto periculo. Cùm à Clemente Cæſar inauguratus, Vindelicorum Auguſtæ conventum ageret, horrenda quædam videbatur imminere tempeſtas, ut libro ſeptimo demonſtravimus: ipſe autem & amicos privatim & publicè conſolabatur omneis, & pſalmum 46. huc accommodans; Firma nobis eſt, inquit, arx & propugnaculum, Deus: ille vetus humani generis hoſtis, rem totis nunc viribus agit, & omnis generis machinas adhibet: noſtra quidem eſt exigua potentia, neque tantum diu impetum ſuſtinere poſſimus: atqui pro nobis arma ſumpſit & prœliatur heros ille, quem ſibi Deus ipſe delegit; ſi rogas, quis ille ſit, ſcias eſſe Chriſtum Jeſum, penes quem, ut victoria ſit atque triumphus, oportet; quòd etiamſi Diabolis hæc tota mundi fabrica redundaret, tamen non expaveſcimus, & certiſſimâ fiduciâ lætum exſpectamus exitum: quamlibet

libet enim fremat & grassetur Sathanas, nihil tamen in nos efficiet, nam judicatus est, ac solo verbo concidit omnis illius armatura: verbum hoc adversarij non eripient, sed quantumvis inviti relinquent; versatur enim in castris aciéque nostra Deus, qui suo spiritu nos atque donis protegit: si vitam, si bona, si liberos & uxorem auferant, patienter feras: Nam ipsis propterea nihil accedit, nobis autem est regnum paratum immortale. Psalmum hunc, ad tempus illud mœroris & angustiæ plenum accommodans, ut dixi, cùm sermone populari vertisset, inflexâ nonnihil sententiâ numeros etiam addidit & modulos, argumento valde convenientes, & ad excitandum animum idoneos. Itaque nunc, ab eo tempore frequens inter alios etiam psalmos ille decantatur. Quòd autem ejusmodi factum sit Augustæ decretum, ejus rei, culpam omnem, edito posteà libro, transfert in Clementem septimum ejúsque Legatum Campegium. Cæsaris autem honorificam facit & præclaram mentionem cujus illi nomen & authoritatem obducant,

innocentiam ei tribuit. Hæc de vita Lutheri.

III. Reformationis, per Lutherum inſtitutæ, Hiſtoria, optima fide collecta, talis eſt.

Emiſit Leo X. Indulgentiarum (nomen non in Curia tantùm; ſed &, tum temporis, ex frequenti uſu, tota Eccleſia Romana ſatis notum) diplomata per omnia regna, quibus remiſsionem & expiationem peccatorũ pollicebatur, quotquot mercem illam emerent. Ut emtores invenirentur, Quæſtores erant inſtituti idonei ſatis & diſerti, qui γυμνῇ κεφαλῇ cælum vendebant auro, & omnia ſacra. Et in Germania quidem Inſtitorem egit Tecelius Dominicanus, cujus manu ſubſcriptum Indulgentiarum exemplar adhuc habemus, cui tamen mox ſe oppoſuit Martinus Lutherus, Auguſtinianus Theologus, Auguſtini, ut ex literis ipſius, quas in archivo noſtro Epiſtolico poſsidemus, patet, cultor, & lector attentus; qui non pro concione modò populum ne ἄνθρακας ἀντὶ θησαυρῶν emerent, monuit; ſed & an. Chr. 1517. literis ad Archiepiſcopum Moguntinum, Albertum Brandeburgicum, datis, periculum illi expoſuit, & ſceleſtum Indulgentiarij monopolium, quo ſic po-

pulo persuaderetur, quasi, pecuniâ comparatis illis diplomatibus; de salute nihil amplius esset dubitandum; quasi eorum animæ, qui igni purgatorio crucientur, simul ac nummus in arculam sit injectus, in cælum è vestigio subvolent; solutæ pœnis: Officij proinde monuit, ut libellos illos aboleret, nisi gravius expectare vellet dissidium. Literis illis themata adjunxit, quæ nuper disputandi causa Wittenbergæ proposuerat, ubi & de Indulgentijs prolixè egit, & quæsturam illam mascule impugnavit. Nihil tamen ad hęc Moguntinus respondit; sed Tecelius Francofurti ad Viadrum alia themata; Luthero planè contraria divulgat, quibus Pontificis potestatem, & fructum Indulgentiarum, eámque, quæ passim tunc erat in templis erecta, jussu Pontificis, crucem ligneam, vehementer prædicabat, ita quidem, ut cum Leone X. Petrum Apostolum, & crucem, in qua pro nobis vitam Christus profudit; cum hac Pontificia componeret. Cùm autem Lutheri disputatio Wittebergæ à nemine impugnata; sed cum applausu excepta fuisset prolixam thematum explicationem scripsit, eandémque an. Chr. 1518. primùm quidem Hieronymo, Episcopo Brandeburgico, postea

ſtea Johanni Staupicio, Auguſtinianæ familiæ vicario, per quem ad Pontificem mitti illa voluit; obtulit. Sed & ipſe menſe Junio, ad Pontificem literis ſcriptis, totiùs cauſæ arbitrium defert, à quo tanquam oraculo excepturus eſſet, quicquid decerneret; expoſuit tamen, quàm temerariè quæſtores illi docerent, & quàm agerent avarè, freti illius; vel abuſi potiùs, authoritate. Primos Lutheri conatus aggreſſus eſt impedire *Eccius*; quem poſtea inſecutus mox fuit *Sylveſter Prierias*, Dominicanus, qui, edito Dialogo, in præfatione Leoni confidenter & animosè victoriam ſibi videbatur polliceri: Periculum ſe facturum, in ſe recipiens an Lutherus ita eſſet ferreus, ut vinci non poſſet; ipsúmque ſtatim Lutherum in arenam provocavit, etſi à palæſtra ejusmodi longiùs remotus per ætatem etiam rude donari meruiſſet; Pontifici tamen ſe hoc debere; Lutherum proinde, ut ad ſanitatem redeat, hortatur. Priusquàm autem diſputationem ingrederetur, themata quædam attulit, veluti ſententiæ ſuæ fundamentum, quibus & Pontificem Romanum totiùs Eccleſiæ caput, & Eccleſiam Romanam, omnium eſſe primam, neque in ijs rebus, quæ ad fidem pertinent, errare poſſe:

Ipſam ſacram ſcripturam vim omnem & authoritatem à Pontifice & Eccleſia Romana mutuare. Cui ſcripto Lutherus reſpondit, alijsque thematibus è ſacris literis Sylveſtro oppoſitis, exprobravit, quòd Scripturæ teſtimonium nullum adduceret, ſed Thomæ tantùm opiniones recitaret, qui tamen & ipſe pleraque omnia pro ſuo arbitratu, ſine ſcripturarum authoritate tractâſſet. Rejecit propterea ipſum, Pauli & Auguſtini authoritate, ad Scripturas ſacras, extra quas minus eſſet tutum Theologo loqui, quàm Juriscon ſulto quicquam definire, absque præſcripto legis. Reſpondit deinde ad capita Sylveſtri, ordine. Reſcripſit Sylveſter, probaturus, Pontificis cenſuræ rectè omnia ſubjici, & ut Thomam ſtrenuè defendit, ita præfatione Romani Pontificis poteſtatem mirificè commendavit, uſque adeò, ut Concilijs, omnibúſque decretis eum planè præfecerit, atque ab ejus authoritate Scripturæ vim dependere omnem, affirmârit. Sylveſtri fætum Lutherus, unâ ad Lectorem Epiſtolâ jugulat, totúmque libellum ex blaſphemijs & mendacijs ita conflatum eſſe dicit, ut Sathanam appareat ejus eſſe authorem: Quòd ſi Pontifex & Cardinales idem ſentiant, ſi Romæ quoque ſic doceatur, jam

jam non eſſe dubium, quin Roma ſit ipſiſsima quoque ſedes Antichriſti. Felicem eſſe Græciam, felicem Bohemiam, & omnes, qui divortium ab ea fecerint: miſeros autem, qui cum ea quid quam commune habeant: Niſi ceſſet his præſtigijs terrarum orbem ludificare, ipſum in eum animadverſurum Magiſtratum. In hoc etiam certamine Jacobus Hogoſtratus Dominicanus, qui Pontificem ad vim & flammam hortatus eſt, lauream quæſivit. Cui Lutherus breviter reſpondit; hominis crudelitatem exagitavit, imperitiam ſalsè riſit; de Leone autem Pontifice meliora ſemper ſperâſſe faſſus eſt. Bello literario ita accenſo, ipſe etiam Imperator Maximilianus animum paulatim advertens, Pontificem ſcriptis monet, multa Lutherum diſputâſſe, & pro Concione dixiſſe, quæ pleraque hæretica viderentur: Hoc eò magis dolere ſibi, quò pertinacius ille doctrinam ſuam defenderet, & quò plures habere diceretur errorum ſuorum approbatores, & in his quidem nonnullos magni nominis; rogatque ut authoritate ſua efficiat, ut inutiles & otioſę quęſtiones reſcindantur; diligenter olim fuiſſe cautum, ut idonei inſtituerentur Doctores, omníſque fugeretur Sophiſtica; hoc præceptum paulatim

fuiſſe contemtum, ita quidem ut mirum videri non debeat, ſi, quos aliorum oportuit eſſe doctores, ij ſæpius aberrârint. Addidit, ut naſcenti malo medicinam faceret, priusquàm longiùs ſerperet. Interea Lutherus Romam à Leone vocatur, ut & accuſationibus reſpondeat, & fidei rationem reddat: Qui & *Friderico* Saxoniæ Principi, qui tum Auguſtæ erat, ſcripſit, Domúmque ejus à pietate commendavit: Non eſſe igitur veriſimile, quenquam ejus familiæ ſic à ſuis degenerâſſe Majoribus, ut illum, qui de religione Chriſtiana minùs bene ſentiat, protegere velit, & ſuo patrocinio juvare. Narravit deinde, quæ de Luthero audiviſſet, impia & hæretica. Hanc cauſam eſſe, cur & illum citârit, & Legato ſuo Cajetano, quid in eo prætereà fieri velit, injunxerit. Et quia de religione agatur, hortari ſe ac mandare, ut interpellatus à ſuo Legato det operam, ut in ſuam ille poteſtatem veniat. Sed & Gabrielem Venetum, Auguſtiniani Ordinis Pro-Magiſtrum, datis literis, hortatur, ut Lutherum ab incepto revocet, eâ authoritate, quam ipſi daret præfectura, & diligenter ſolicitet tum literis, tùm per doctos nuncios: celeriter autem illud faciendum; Sic enim non fore difficile, modò

natam

natam flammam extinguere. Ubi citatum ſe, & Romam vocatum vidit Lutherus, multum urgebat, ut de ſua cauſa per Germaniam alicubi cognoſceretur, idoneis conſtitutis judicibus, in loco minimè opportuno injuriæ. Cùm autem impetrari id non poſſet, Academia Wittebergica miſsis ad Leonem literis, egregium Luthero dabat & amplum vitæ ac eruditionis teſtimonium. Illum quidem, ob themata quædam Romam eſſe vocatum; ſed propter imbecillam valetudinem, & viæ periculum ei non eſſe integrum. Rogant, ut de ipſo non ſecus ac viro bono ſentiat: Diſputandi ſolùm, non definiendi cauſa quædam ab eo fuiſſe propoſita, quæ in deteriorem partem interpretati ſint, & admodùm exacerbârint adverſarij: ſe quidem nihil adversùs Eccleſiam admiſſuros; rogatos verò à Luthero, non potuiſſe hoc ei negare teſtimonium: *Carolum Miltitium*, Germanum, Leonis cubicularium, ut apud Pontificem ſuâ efficiat gratiâ, ut ei non Romæ, ſed in Germania decernantur judices non ſuſpecti, ſeriò rogantes. Præter hanc amicorum interceſsionem *Fridericus* etiam Princeps Cajetanum interpellat, Auguſtæ, rémque eò deducit, ut ſolutus neceſsitate proficiſcendi Romam Lutherus, Auguſtam

vocaretur, apud *Cajetanum* dicturus cauſam. Quæ cum *Cajetano*, & poſtea cum Stupitio acta ſint, ſupra breviter explicuimus: Et quamvis novæ tum Jndulgentiæ Leonis, in Germaniam, metu defectionis, miſſæ, malum irritare potuiſſent; ad novos tamen iſtos excipiendos inſultus Lutherus nondum occalluit. Cùm enim novo quodam Edicto Jd. Novemb. 1518. Pontifex Jndulgentias ſanxiſſet, eámque poteſtatem à Petro accerſiviſſet, & non vivis tantùm; ſed in Purgatorio uſtis prodeſſe inculcâſſet; hanc omnibus recipiendam eſſe doctrinam, niſi ab Eccleſiæ conſortio velint ſeparari, addidit. Decretum hoc ad Cajetanum miſit, ut omnibus innoteſceret: Is mandatum ſecutus, Lincij, quod eſt ad Danubium, Auſtriæ oppidum, librarijs atque teſtibus adhibitis, edictum promulgat, & exemplaria multa deſcribi curat, eáque poſt, menſe Decembri, per Germaniam mittit Epiſcopis, & nomine Leonis mandat, gravi conſtituta pœna, ut è veſtigio ſuis denuncient, & religiosè commendent, atqe præcipiant. Lutherus, quoniam è Cajetani literis acceperat, fore, ut contra ſe Romæ judicaretur, novam interjecit appellationem, d. 28. Novemb. Initio profitetur, nolle ſe Romani Ponti-

Pontificis rectè ſentientis authoritatem convellere, multò minus ab Eccleſia diſſentire: Verumtamen, quia Pontifex pari ſit cum reliquis mortalibus conditione, fieri poſſe, ut erret & delinquat, nec illi hoc eſſe tribuendum, quaſi ipſe unus falli non poſsit, aut labi: docet hoc exemplo Petri, quem aberrantem in ſana doctrina Paulus graviter & apertè reprehenderit. Quòd ſi Pontificis tantæ ſint opes atque facultates, ut & quidvis imperet, nec ullius mandato cohiberi poſsit, jam ijs, qui ſibi vim ab eo fieri putent, unicum ſupereſſe remedium, *appellationem*: Adductum ergo extrema neceſsitate, provocare ſe à Pontifice, ad futurum Concilium, quod illi ſit omnibus modis præferendum. Poſthæc, Leo, Carolum *Miltitium* in Germaniam mittit, & Fridericum aureâ roſâ donat: Miſsis etiam literis ad *Degenartum Pheffingerum*, ex Friderici conſiliarijs, Virum nobilem, rogat, ut in ijs, quæ ſuo nomine ſit acturus, cum *Friderico*, Miltitius, bonam operam navet, ut Lutherus, Sathanæ filius, coherceatur; & ne qua labe Saxonica domus, honeſtiſsima ſemper habita, & religionis admodum obſervans, contaminetur. In eandem quoque ſenten-

tiam scribit *Petro Spalatino* : quóque magis persuadeat, ait se totum in hoc esse, ut noxias herbas ex agro Christi revellat, & extirpet. Ad eundem ferè modum Pro-Cancellarius etiam illius, ad *Degenartum* scribens, orat, ut *Fridericum* ad Majorum imitationem hortetur, ne quid illorum memoria committat indignum : His consilijs cognitis, Lutherus die 3. Martij 1519. dat literas ad Pontificem, valde quidem demissas : Graviter se delatum ad Principem Fridericum, quasi proterviùs in Ecclesiam Romanam egerit ; non mediocriter autem se eo commoveri : nam ipsius abs se alienationem animi, valde sibi gravem esse, neque tamen interim apparere, quid, aut quâ ratione sit agendum : urgeri se perpetuò, ut sua revocet : quòd si ex usu & dignitate Ecclesiæ Romanæ posſit aliquid hac ratione confici, non se recusaturum ; sed esse complures in Germania præstanti ingenio & eruditione Viros, qui de tota controversia rectè judicare posſint ; itaque fore ut, etiam si revocet, hoc ipsum tamen ad Ecclesiæ Romanæ dedecus atque detrimentum magis quàm ad dignitatem pertineat ; injuriam enim se nullam ipsi fecisse, verùm quæstores illos & declamatores potiùs, qui avaritiâ ducti,

ducti,fœda quædam & ignominioſa dixerint ad populum: ab ijs delatum ſe graviter & accuſatum eſſe, præter omne ſuum meritum: ſe quidem erga Romanam Eccleſiam, & ipſum quoque, ſic eſſe affectum, ut nihil in eam moliri cogitet: Tantam enim ejus Eccleſiæ poteſtatem eſſe, ut præter unum Chriſtum nihil in rebus humanis ſit ea excellentius: orare, ne ſuis Adverſarijs fidem habeat: De indulgentijs nullam ſe poſthac mentionem facturum, modò ſuis inimicis invicem mandetur ſilentium: Pro concione quoque ſe velle commonefacere populum,ut de Eccleſia Romana piè ſentiat & honorificè; nec alienam temeritatem aut avaritiam huic adſcribat, néve ſuum imitetur exemplum, qui quodamodo coactus ab adverſarijs, parùm reverenter illam atque dignè tractârit: Breviter, omnia ſe facturum pacis cauſa. Hoc fermè loco res fuerunt ad colloquium Lipſiacum, in quo *Eccius* nimis impudens fuit Sedis & cauſæ Romanæ paraſitus, eorum etiam patronus, quæ ab hæreſeos labe difficulter poterant purgari. Scripſit quidem, quod ad componendum diſsidium, videbatur neceſſarium, Lutherus 1520. iterum ad Pontificem: *Et ſi ad Concilium ab ipſo provocârit, interea*

ta-

tamen suas preces ad Deum pro salute ipsius effudisse: magno sibi dari crimini, quòd ipsius nomen atque dignitatem læsisse dicatur: eam criminationem admodùm sibi dolere, & hanc esse causam, cur nunc ad ipsum denuo scribat. In reprehendendis erroribus atque vitijs, ita acrem se fuisse, de ipso autem præclarè semper scripsisse, quod & libris suis demonstrari possit: quòd autem falsam doctrinam adeò liberè perstringat; illud à se fieri, tum Christi, tum Prophetarum & Apostolorum exemplo; sed quominus id genus reprehensiones ac salutares admonitiones locum habeant, id adulatorum fieri nequitiâ, qui auribus hominum serviant: spectare se gloriam Dei, & hoc solum agere, ut veritas illucescat: hoc si posit obtineri, libenter in rebus alijs cessurum: ut autem à professione veri discedat, fieri non posse. Ad aulam deinde Romanam transit, uti vocant, eámque dicit esse magis, quàm fuit olim aut Babylon, aut Sodoma, corruptam, atque sceleratam, & ad illius impietatem nihil adjici posse, ne ab ipso quidem Antichristo:

Vehe-

Vehementer itaque ſibi dolere, quòd ipſe velut agnus inter lupos, ibi verſetur: indignam eſſe Romam, cui vel ipſe, vel ipſius conſimiles viri boni præſideant: multa ſe quidem ſcripſiſſe, quæ ad doctrinæ pertinent emendationem atque vitæ: non quòd Romam ſanari poſſe crederet, verùm ut aliquos ſaltem ab illo vitiorum ergaſtulo liberaret: multò ipſi præſtare, ſi vel tenui ſacerdotio contentus, vel è ſuis copÿs & patrocinÿ facultatibus vitam toleraret, remotiſsimus ab illis peſtibus & aſſentatoribus, qui ſuis cupiditatibus & ambitioni nomen ipſius & authoritatem obducant: Bernhardum deploràſſe Pontificis Eugenÿ conditionem, tunc, cùm adhuc eſſet aliquando Roma purior, nunc verò, quando Roma ſit omnium locorum totius orbis terrarum fœdiſsima ſentina, & inexhauſta quædam colluvies, multò rectius ipſum, qui præſideat ibi, deplorari poſſe: hanc eſſe cauſam, cur ita ſit invectus: pertinere hoc non ad ipſius ullam contumeliam, ſed ad ſalutem potiùs, & optandum eſſe, ut qui ſunt ubique viri præſtantes ingenio & eru-

& eruditione, vim omnem & nervos ad illius monstri conferunt oppugnationem: libellis aliquot editis, cùm frustra se moliri videret, ab incepto voluisse se desistere, & ijs, qui secum essent in eodem Collegio, studium & operam omnem impendere cogitâsse: verùm, tunc fuisse excitatum Johannem Eccium, qui placidas illas cogitationes, & optatum otium sibi prorsus everterit; institutam ab illo disputationem contra se valde odiosam & acrem de Pontificis Romani principatu: quâ quidem re nihil ille perfecerit aliud, quàm quòd urbis Romanæ scelus, atque turpitudinem magis patefecerit. Post hæc, actionem illam Cardinalis Cajetani, paucis commemorat, in illiúsque tum potestate fuisse dicit, causam componere, si voluisset: Huic ergo, non sibi tribuendum esse, quicquid ab eo tempore natum esset turbæ: Venisse postea Carolum Miltitium, qui, cùm paci magnopere studeret, impeditus etiam fuerit importunis Eccij disputationibus, qui revera sit ipsius hostis & incendium hoc primus omnium inflammârit: cùm verò à Miltitio suísque Majoribus interpellatus sit, ut ad ipsum demissè & officiosè scribat, nihil voluisse,

luiſſe, quod ad reconciliationem pertineat, omittere: Primum igitur eſſe, ut ſuos adverſarios cohibeat, ne tam aſperè contra ſe tumultuentur: deinde, ne ſcripta ſua revocare cogatur, nec ad præfinitum modum interpretandi Scripturam alligetur: Evangelij doctrinam, quæ libertatem animis hominum adferat, non poſſe certis adſtringi finibus: hæc ſi permittantur ſibi, facturum ſe quidvis: contentionem omnem admodum ſibi diſplicere, verum tamen, ſi convitijs, ut antehac ſemper, & injurijs petatur, non ſe defuturum cauſæ: in ipſius jam eſſe poteſtate, ut litem componat, ſi videlicet cognitionem ejus ad ſe recipiat, & utrique parti ſilentium injungat: inprimis autem ſibi caveat ab adulatoribus, eorúmque voces tanquam Sirenum blanditias atque ſcopulos, aure ſurdâ præternaviget, qui divinitatem ipſi tribuant, & totius Orbis Monarcham eſſe prædicent, & omnibus Concilijs anteponant: nihil enim eſſe perniciosius hoc genere paraſitorum: illis potius habendam fidem eſſe, qui ſuæ conditionis ipſum & officij commonefaciant: Et quoniam in vitæ genere periculi pleno verſetur; tanquam in medio mari, quod fluctibus, variiſque procellis agitatur, ideo ſe liberè ad ipſum

ipſum & ſine adulatione perſcribere, & hoc ipſo veri amici præſtare officium. Poſtremò librum à ſe recens conſcriptum, de libertate Chriſtiana illi defert, paucis eum commendans, quòd veræ doctrinæ ſummam complectatur. Sed ne ſic in fatis erat, ut Roma quieſceret. Excitatur Lutherus ab Academicis, *Lovanienſibus* cumprimis, qui libros ejus damnârunt. Maſculè igitur ille contra Academias, ignorantiam, odium in literatos, corruptam doctrinam invehitur; cauſam ſuam Carolo V. tanquam neceſſariam commendat; aliáque inde ſecuta, Principum, Pontificis, Epiſcoporum ſcripta, donec, damnatâ Lutheri doctrinâ Romæ, hic ad Concilium provocare, inde Wormatiæ in Comitijs ſe ſiſtere, Wittenbergam ad tempus, veluti proſcriptus, deſerere fuit coactus. Principum tandem & Nobilium præſidio munitus cum honore eluctatus, doctrinæque reformatæ ſemina incredibili velocitate non in Germania tantùm; ſed etiam alibi, in Dania, Hungaria, Suecia &c. ſparſit, atque adeò contra tot hoſtes victor evaſit. Cætera ex Sleidano & alijs prolixius haberi poſſunt.

IV. Ad

IV. Ad obſervationes accedimus, quas in Luthero optimi & eruditiſſimi quique hactenus obſervârunt; quæque obſervari meritò debuerunt, cujus modi ſunt.

A. *Multa Luthero in ipſo Papatu, & antequam de Reformatione cogitare cæpiſſet, diſplicuiſſe, quæ erant de Papatu.* Vix periculoſius erat veteris Synagogæ Judaicæ faſcinum, quàm μῦθοι σεσοφισμένοι, de quibus Petrus 2. Epiſt. c. 1. v. 16. Fabulæ aniles, à quibus dehortatur fideles Apoſtolus 1. Tim. 4. 7. Ubi illæ aures occupant, ſalutari verbi Dei pabulo locus non relinquitur. Idem malum noſtros Majores preſsiſſe, non diffiteri poſſunt primarij Eccleſiæ Romanæ Antiſtites. Ingenua & candida eſt *Melchioris Cani* hac de re querela, Loc. Commun. l. XI. c. 6. pag. 333. *Dolenter hoc dico potiùs quàm contumelioſè; multò à Laertio ſeveriùs vitas Philoſophorum ſcriptas, quàm à Chriſtianis vitas Sanctorum.* Et tamen omnes, quas fecerunt Demagogi illi, fabulas, populo ita placuerunt, ut, quæ ejusdem confeſsio eſt, labris illis nullæ niſi exſuccæ & olidæ ejusmodi arriſerint labruſcæ. Has maturè faſtidire cæpiſſe Lutherum, ex Epiſtola ejus αὐτοχεά-

φω, quam amico eximio *Laurentio Salmuth*, Sereniss. Elect. Palatino &c. à Concionibus, ferimus acceptam, didicimus. Ità autem F.Martinus Luder (retineo ipsa subscriptionis verba) Augustinensis, ad Spalatinum: Salutem: Et charitatis, & fidei officium abs Te peto, dulcissime Spalatine, id est, ut vel Epistolarum divi Hieronymi ad horam mihi copiam facias: Vel certè quantò potes breviter ex libello illustrium virorum (quod magis cupio) mihi exscribas ea, quæ ipse Sanctus de S.Bartholomæo Apostolo scripsit: Ità ut ante horam *duodecimam habeam: Facturus enim ad populum sermonem. Nugis illis & mendacijs Catalogi & Legenda aurea miro modo offensus sum. Vale, optime frater, ex Monasteriolo nostro.* F.Martinus Luder, Augustinianus. *Nolo ut mireris quod Theologus sim, & Hieronymo vacuus sum. Editionem enim, qua communiter utebar, Johannes Langus secum abstulit.*

B. *Lutherus doctrinæ potius, quàm larvati ordinis respectu Augustinianus appellari poterat.* Habuit Augustinus in Ecclesia etiam corrupta suos constanter discipulos, qui in Controversijs Anti-Pelagianis Doctorem suum fideliter erant secuti. Tales superioribus seculis erant Bern-

Bernhardus, pluresque alij, in Scholis etiam. Talem Lutherum, in Monaſterio adhuc, fuiſſe, & quidem anno 1516. bello indulgentiario nondum in nervum erumpente, tum ex concluſionibus de viribus & voluntate hominis ſine gratia, Wittembergæ, Præſide *Luthero* 1516. ventilatis conſtat, de quibus initio Tom. I. *oper. Ienenſ.* tum ex Epiſtola ejuſdem ad Spalatinum, eodem anno exarata. Eſt & hæc, niſi fallor, αὐτοχειρί nobis relicta Epiſtola, quam integram *Primitijs Heidelbergenſibus* pag. 221. inſeruimus. Inſignis illa eſt Epiſtola, qua Auguſtini anthoritatem fortiter vindicat; & ipſum illud agit, quod veluti probroſum in ijsdem jam nobis controverſijs, objicitur. Quòd verò ibi in *Deſiderio* deſideravit *Roterodamo*, quaſi *literæ felicior eſſet Interpres, quàm Spiritus*; cortici pertinaciùs inhæreret, quàm nucleo; id ipſum aliâ quoque, ad Oecolampadium, expreſsit Epiſtolâ; cujus & Eraſmus meminit, ad Zuinglium; & nos etiam ex illo ſup. pag. 30. Et quia nobis illæ interea oblatæ ſunt literæ, ex ipſis, hac occaſione, comunicare eas placet originibus: *Gratia & pax in Chriſto: Primùm exoratum Te volo, optime Oecolampadi, ut non hoc meæ ingratitudini, aut ſocordiæ tribuas, quòd hacte-*

nus nihil ad Te scripsi. Ego enim, postquam excussi Brigittam, nihil accepi à Te literarum: Simul arbitratus sum, quandoquidem tanti Spiritus virtute Christus cor Tuum firmavit, ut victa conscientiæ superstitione, hoc jugo Satanæ Te solveres, majorem te factum, quàm ut literas à Te sperarem, vel nostris literis firmareris. Certè, vehementer nos probavimus hunc Spiritum Tuum, & egregium facinus. Neque cessat Philippus te mihi quotidie majorem facere, singulari gaudio in Tui memoria delectatus. Dominus etiam roboret institutum Tuum in legendo Isaja: quanquam ad me scriptum est, Erasmo displicere. Sed hoc displicere nihil Te molestet. Quid Erasmus in rerum spiritualium judicio sentiat, aut simulet, testantur ejus libelli abundè, tam primi, quàm novissimi. Ego etsi aculeos ejus alicubi sentio, tamen; quia simulat, se non esse hostem palàm, simulo & ego, me non intelligere suas astutias, quanquam penitius intelligatur, quàm ipse credat. Ipse fecit ad quod ordinatus fuit, Linguas introduxit, & à Sacrilegis studijs revocavit: Fortè & ipse cum Mose

Mofe in campeftribus Moab morietur. *Nam ad meliora ftudia (quod ad pietatem pertinet) non provehit. Vellémque mirum in modum, abftinere ipfum à tractandis Scripturis Sanctis, & paraphrafibus fuis, quòd non fit par iftis officijs, & Lectores fruftra occupat, & moratur in Scripturis difcendis. Satis fecit, quòd malum oftendit: at bonum oftendere (ut video) & in terram promifsionis ducere non poteft. Sed quid ego de Erafmo tam multa? nifi ut illius nomine & authoritate nihil movearis, atque adeò gaudeas, fi quid ei difplicere fentias in re ifta Scripturarum, ut qui vel non pofsit, vel non velit de ijs rectè judicare; ficut penè totus jam orbis incipit de eo fentire. Tuas translationes Chryfoftomi, nondum vidi. Verbofitatem hanc ergo amicè feras. Scio Te his folatijs non indigere. Chriftus in Te habitans, & per Te operans, non Te derelinquet. Ora autem Tu pro me, quia tot occupor externis negotijs, ut periculum fit, carne me confummari, qui Spiritu cœpi. Moniales & Monachi egrefsi mihi multas horas furantur,*

 ut

ut omnium necessitati serviam, ut taceam vulgus promiscuum, quod me sibi debitorem exigit multis modis. Vale Oecolampadi, & gratia Christi sit Tecum. Saluta omnes nostros. Vitembergæ 1523. vicesima Junij. Hæc Lutherus ad Oecolampadium, *Eruditum & pium Virum, Christi discipulum & Ministrum fidelem, suum in Domino fratrem,* ut ipsa Lutheri habet inscriptio.

C. *Duo, Heroico ausu, & felicissimo conatu, Lutherus orbi Christiano præstit; Errores grassantes aperto Marte,* [a] *publicisque scriptis, primus est aggressus; Duoque Papismi columina speciosissima, opinionem* [b] *meriti, & supremam* [c] *Pontificis potestatem fortiter confregit.*

[a] *Primum* ergò, quod hoc Aphorismo Luthero defertur, publica est Papismi, scriptis publicis, oppugnatio. Vixit in Academia Lutherus, loco celebri, subsidijs Typographicis instructo, occasione invitatus splendida in lucem protrahitur, disputationibus aliquot; à quibus ceu usitatissimis Academiarum exercitijs, tum Sophistarum Scholasticorum periculosis hypothesibus, tum etiam Indulgentiariorum imposturis, oppositis, initium fecit; eósque potissimum errores, qui & periculosissimi essent, & ubique obvij, seriò fuit adortus. Prima diuturni

turni illius belli Anti-Pontificij tyrocinia cadunt in annum 1516. quo excuſa & excuſſa eſt quæſtio, *an homo ad imaginem Dei creatus, naturalibus ſuis viribus, Dei Creatoris præcepta ſervare, aut boni quippiam facere, aut cogitare, atque eum gratia mereri, meritáque cognoſcere poſſit? Contra doctrinam Papæ & Sophiſtarum, præſidente eximio Viro D. M. Luthero, Auguſtiniano, Artium ac Theologiæ Magiſtro.* Secutæ ſunt 1517. theſes, de pœnitentia & Indulgentijs, cum præfatione ad Albertum, Magdeburgenſis & Moguntinæ Eccleſiarum Archiepiſcopum. Nonaginta quinque concluſionibus totam propemodum ſentinam Romanæ navis exhauſit. Cùm verò poſteâ Tecelius, vel Conradus Wimpina potius, nomine Tecelij, Sylveſter Prierias, Eccius, & alij, laborantem cauſam Romanam ſuſtinere vellent, continuis pugnatum eſt ſcriptis, quæ aliquot Tomis operum Lutheri comprehenduntur. Nobis indicâſſe ſatis eſt, Elenchum Anti-Pontificium publicis ſcriptis & editis diſputationibus cæptum eſſe in Accademia Witembergenſi, per Lutherum.

[b] Atque in oppugnanda hac opinione

meriti, deprimendo justitiariorum typho, extollenda Dei gratia, extenuandis viribus humanis, magnam apud bonos sibi conciliavit gratiam. Jam a. Chr. 1521. Michael Humelbergius, ad Vadianum: *Tuum de Luthero judicium mihi perplacuit. Præstat ille, vel mea opinione, ingenio, eruditione, & singulari judicio. Scripta ejus pleraque omnia Evangelium, Apostolicamque doctrinam, & meram veritatem, id est Christum ipsum spirant: atque adeò vehementer, ut nemo Sophista & impostor, nemo delicatus & mollis, nemo Pharisæus & justitiarius, nemo Papista & adulator, aut velit, aut possit ferre.* Vdalricus Zasius, Juris-Consultus celeberrimus, cùm animadverteret, Lutherum αὐτοκρατορικὴν Pontificis potestatem dirutam velle, ægrè continere se poterat, quominus apertè cum illo congrederetur, Zuinglio tamen nostro (adeò candidus erat, ut qualibet oblata occasione Lutheri non causam tantùm; sed & personam defenderet) intercedente, melior factus, mentem mutavit. Placuit interim semper illi præclarum gratiæ Dei excitandæ & commendandæ studium, quo Lutherus adversariorum etiam facile cordatiorum reprimere

mere potuit impetū, *zaſium* ſupra audivimus; addimus Generoſum Polonum, *Iohannem à Laſco*, virum de Eccleſia præclarè meritum, qui inter alia: *Mirum eſt, virum illum Sanctiſsimum, & æternis prorſus laudibus, in Chriſti Eccleſia dignum, ita interim in hac ſignorum cauſa hallucinatum eſſe: Videlicet, ea res nobis documento eſt, nos omnes eſſe homines, hoc eſt mendaces, quod in nobis quidem eſt, ut ne ullius omninò in terris authoritate nitamur. Sed ſciamus interim, ligna, fœnum, ac ſtipulas, humani erroris noſtri, abſumendas quidem eſſe igne verbi divini: Sed nos tamen haud dubie ſalvos fore tantiſper, dum fundamento noſtro nitimur. Cui equidem niſum eſſe Lutherum, toto corde ſuo, nemo negare poteſt, ut interim aurum, gemmas & argentum in doctrina ſua taceam. Certè cauſam juſtificationis noſtræ per Chriſtum, ille primus noſtro ſeculo, mirâ felicitate illuſtravit. Arcana iniquitatis Anti-chriſti ita detexit, ut pueris quoque nota ſint: quæ antea, tantum non perinde atque Deus ipſe toto ferè orbe adorabantur, Eccleſias in-*

finitas juxta traditum sibi donum restituit. Adversarijs Evangelij Christi, tanto Spiritu, tantâque constantiâ ad mortem usque restitit, ut non immeritò, hanc laudem omnibus alijs præripuisse videri possit. Sed in ijs nihilominus omnibus, homo erat. Quòd quidem de nobis & nos, illius exemplo admoniti, perpetuò cogitare debemus. An in nos aliquid denuo adornârit, nescio, nihil enim hujus audivi. Sed etsi quid ejusmodi esset, premeretur fortassis ne exeat. Interim sive prematur, sive exeat ejusmodi aliquid, vellem ut laudatiuncula aliqua tanti viri, nostrum erga illum candorem atque amorem Christianum, cum causæ hujus Sacramentariæ modestâ quâpiam exceptione, contestaremini. Obthuraretis, singulari hoc modestiæ nostræ exemplo, ora multorum adversariorum Evangelij: apud pios verò magnam omnes procul dubio, gratiam iniretis: Et quod præcipuum est: Non vulgare integritatis vestræ testimonium universæ Christi Ecclesiæ daretis. Ita *Ioh. à Lasco*, Emdâ ad Bullingerum & Pellicanum 1546. Non ingratum

tum hoc fuiſſe Theologis noſtris conſilium, eventus probavit. *Commentarios tuos in uno atque altero loco diligenter ſatis inſpexeram antequam proximas ſcriberem, ubi & candorem tuum valdè ſum exoſculatus, quo Martino Luthero, ſe planè dignum, teſtimonium tuliſti.* Ita *Ambroſius Blaurerus*, ad Bullingerum. Cùm Sereniſsimus Haſsiæ Landgravius, Philippus Senior, ad Ampliſsimum Reip. noſtræ Magiſtratum literas dediſſet, quibus Lutheri nomen à Theologis noſtris læſum, ſibi ſignificatum, commonefaceret, prolixo Proceres noſtri reſponſo ſe purgârunt, *tam portentoſa Miniſtris ſuis verba, quorum illi inſimulabantur, neque in cathedra, neque in ſcriptis unquam excidiſſe: mortuis ſe nullis inſultare, Luthero minimè, cujus præclara in Eccleſiam Dei extarent merita. Exceptis controverſijs de Cœna Domini, imaginibus, & immodeſtis quibusdam ſcriptis, nihil ſe habere, quod in Luthero deſiderarent: Famam ejus ſe illibatam velle, eámque, quantum ferrent vires, contra alios defendere paratos eſſe &c.*

[c] Hanc

[c] Hanc Luthero laudem impertitur ipse *Zuinglius*, tum in Explanatione articulorum sive conclusionum Tom. I. pag. 38. tum in Exegesi sua, adeóque ipso jam orto certamine Sacramentario. Verba Zuinglij, in articulorum explanatione sunt: *Lutherus (quantum ego possum judicare) fortissimus miles est Christi, qui tanta diligentia scripturas scrutatur, ut ab annis mille alius nemo. Qui tam immota & constanti animo Papam sit aggressus, nullus fuit ab eo tempore, quo cœpit Pontificatus Romanus.* In Exegesi verò: *Te primarium esse propugnatorem Evangelij: Diomedem, qui Venerem Romanam petere: Jonathan, qui Palæstinorum præsidia solus adoriri fuit ausus, non inviti concedimus.* Item: *Cùm nemo esset, qui se discrimini objicere auderet, ex omnibus castris Israel, adeò metuebant omnes immanem istum Goliath, tanto armorum viriúmque pondere minacem. Hic, hic tu unus fidelis David, ad hoc unctus à Domino, induis arma. Primùm, cùm juxta illorum ritum pergis cum eis disputare, ac paradoxa, nodósque Gordeos objicere: mox*

mox tamen rejectis his impedimentis, è cæleſti flumine lapides eligis ac libras: Expeditáque & rotata funda tam vehementer jacis, ut in magnum agri ſpatium inuſitata membra porrigas. Unde fideles animæ nunquam ceſſare debent, quò ſegnius canant: Percuſsit Saul mille, David autem decem millia. Tu unus fuiſti Hercules, qui ubi ubi diſcriminis aliquid eſſet, occurreres: Aprum Romanum occidiſti: Antæum, terræ filium compreſsiſti. Quis enim luculentius, aut purius quàm Tu, inimicitias carnis & Spiritus ex Apoſtolorum fontibus propinavit? Cacum, qui non modò boves averſos, verùm etiam viduarum domunculas in ſpeluncam abigebat, protraxiſti. Quid multa? Augiæ ſtabulum (ſi modò eas imagines, quæ ad cultum proſtant, ſuſtuliſſes; fictum in pane Corpus Chriſti corporaliter non ederes: In Evangelij luce videres, Purgatorium rete pecuniarum eſſe, abſolutionem autem vel claves Evangelij, fidem) non ſolùm repurgaviſſes, verùm etiam cælum ipſum tuliſſes. Sed & quòd Lutherus Pontificiam tum poteſtatem, tum

doctri-

doctrinam, veluti ἀκατάλλακτον Evangelio, magna παῤῥησίᾳ Lectori proposuerit, & statuæ Romanæ poplites cum eruditissimorum admiratione succiderit, ingenuè fassus est *Bullingerus* ad Melancht. 1546. *Etsi Lutherus pro carnis humanæ ingenio sua habuerit vitia; fortis tamen & tenax fuit in retinenda severitate doctrinæ contra Papistas, quibus nihil concedi voluit per compositiones & colloquia. Vidit, haud dubiè, pro singulari sua prudentia, homines istos artibus & insincerè, imò malignè omnia agere. Vidit, parùm aut nihil ijs reliquum esse spei. Dicit enim Salvator noster* in Evangelio: Quomodo potestis vos credere, qui gloriam à vobis invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo proficiscitur, non quæritis? *Expendit ille, quod Paulus, electionis vas, de istis loquens hominibus dixit*: Hi sunt homines, mente corrupti, resistentes veritati, & reprobi circa fidem, & hos aversare. *Speramus autem, Te quoque per gratiam Tibi concessam à Domino, pari constantia & robore Spiritus, doctrinæ puritatem & simplicitatem adversus omnes corruptores asserturum.*

D. Etsi

D. *Etsi verò, ut quique nostros patimur manes, suis quoque laboraverit Lutherus πταίσμασι, majora tamen ejus in Ecclesiam fuisse merita, quam quæ potuerint nævis ejus aut vitijs obscurari, maximi quique & candidissimi in Ecclesia viri sunt fassi.* Bullingerus Ambrosio Blaurero 1541. *Videtur autem sa. acerba & ferè indecens Evangelico concionatori vox esse, quæ Luthero, Sanctissimo alioquin viro, excidit.* Et an. Chr. 1546. *Vidi excusum quaternionem de fato Lutheri, beatæ memoriæ, ac invideo ipsi tale Epicedium. Quisquis is est, qui scripsit Beguttarum & delicatulorum mortes calamo usque adeò elumbi & molliculo exequeretur. Alia & magis fortia, graviaque merebatur Lutherus, qui tametsi suos habuit nævos, magnus tamen, & fidelis, & sedulus, & fortis fuit in domo Domini.* Addo & *Vadiani* judicium, nuper demum Heidelbergæ ex autographo depromtum. *Lutherus* (ita celeberrimus vir ad Bullingerum nostrum d. 24. Martij 1546.) *tandem fato concessit, & allata sunt Epicedia nescio quo loco excusa, quæ & valetudinis adversa & mortis Historiam habent. Cuperem animum tot dotibus præditum & tantis divi-*

dionitijs Scripturarum explicandarum donatum diutius relictum fuisse Ecclesijs Christi. Et doleo ipsum animo tam pertinaci & præfracto in Eucharistiæ cruditate tuenda fuisse, ut jam sint non pauci, qui ipsum umbris, hoc est, mortuis, quàm vivis interesse malint, & ut jam nunc dicunt, larvam cum larvis luctari. At ego notum esse arbitror sapientis viri dictum: Nemo sine crimine vivit. Quid, quòd ipse etiam Bibliander noster; etsi alijs ad concordiæ ineundæ studia minus propenso videatur animo, veritus, ne cum veritatis illa dispendio esset conjuncta, suum tamen ex obitu Lutheri conceptum dolorem, ad Joh. à Lasco, Ecclesiæ Orientalis Frisiæ Antistitem, ita testari voluit: *Domini Lutheri obitus*, inquit, *tantum mihi justi doloris attulit, quantum Anti-Christianis gaudij & tripudij peperit: quorum tamen judicium propterea non cessat, neque manus & gladium bicipitem Vindicis Christi effugient. Nam ea, quæ nemo cordatus in Luthero unquam probavit; facile condonavi ei, ob eximia charismata, quibus Rempublicam Christianam plurimum adjuvit. In multis offendimus*

dimus omnes, & ut Ethnicus ajt, vitÿs nemo ſine naſcitur, optimus ille, qui minimis urgetur. Et *calvinus*, eleganti ad Bullingerum Epiſtola id ipſum non diſsimulavit. *Audio*, inquit, *Lutherum tandem cum atroci invectiva, non tam in vos quàm in nos omnes proruπiſſe. Nunc vix audeo à vobis petere ut taceatis: quia neque æquum eſt, ſic vexari immerentes, & illis negari ſui purgandi locum: & ſtatuere difficile eſt, num id expediat. Sed hæc cupio vobis in mentem venire: primùm quantus vir ſit Lutherus, & quantis dotibus excellat; quanta animi fortitudine & conſtantia, quanta dexteritate, quanta doctrina efficacia, hactenus ad profligandum Anti-Chriſti regnum, & ſimul ad propagandam ſalutis doctrinam incubuerit. Sæpe dicere ſolitus ſum: Etiamſi me Diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, ut inſignem Dei ſervum agnoſcam: qui tamen ut pollet eximÿs virtutibus, ita magnis vitÿs laboret. Hanc intemperiem, qua ubique ebullit, utinam magis frænare ſtuduiſſet! Vehementiam autem, quæ illi*

eſt ingenita, utinam in hoſtes veritatis ſemper contuliſſet, non etiam vibrâſſet in ſervos Domini! Utinam recognoſcendis ſuis vitijs plus operâ dediſſet! Plurimum ei obfuerunt adulatores, cùm ipſe quoque natura ad ſibi indulgendum nimis propenſus eſſet. Iohannes Lonicerus, Rector Univerſitatis Marpurgenſis 1546. ad Gualtherum noſtrum. *Lutherus optimus vir in patria ſua Islebia obijt, accitus eò à Comitibus patriâ diſſidentibus: In eorum pacificatione & reconciliatione extremam fati ſui horam ſuſtinuit magna fide & conſtantia. Dux Elector excanduit Comitibus, quòd ſenem adfecto corpore, ſæviente borea & bruma ad ſe vocavit. Comites viduæ, Lutheri uxori donarunt duo millia aureorum ob factam per Lutherum reconciliationem. Magnus vir fuit &c. Spero autem diſſidium inter veſtra & Lutheri dogmata poſſe, Chriſto duce, tolli.* Omnino fuiſſe adulatores, qui, etiam Luthero defuncto, plùſquàm ſuperſtes ipſe tuliſſet, oneris potiùs, quàm honoris impoſuerint, tot hyperbolicæ Rhetoricariones probârunt. Paulo Ebero, Eccleſiæ Witebergenſis paſtori; an. Chr. 1562. D. Hierony-

ronymus Wellerus ita ſcripſit: *Illud autem imprimis mihi placet, quòd oſtendis; Te D. D. Lutheri ſententiam de hoc articulo Christianæ doctrinæ amplecti, & magni facere. Nam mihi omnes Doctores Eccleſiaſtici, qui non Lutheri veſtigiis inſiſtere ſtudent, ſuſpecti ſunt. Certus enim ſum, nunquam exoriturum eſſe, qui Eliam noſtri ſeculi, felicitate docendi, ac interpretandi dexteritate victurus ſit, nec vereor, ipſum; quod ad dona & certamina attinet; cum Apoſtolo Paulo conferre. Certè, divina ſua eloquentia ipſum etiam vas electionis ſuperare videtur.* Sed & incentores acceſsiſſe atque faces; qui Lutherum excitarent, tot piorum querelæ dubitare nos non ſinunt. *Blaurerus* an. Chr. 1543. ad Bullingerum: *Lutherus per Philippum & alios agrè hactenus cohibitus eſt, ne quid in illum (Bullingerum:) Sunt enim plerique admodùm promti incentores apud ſenem hunc.* Hæc Blaurerus ex Buceri literis. Idem eodem annò die 12. Decemb. ad eundem: *Jam à Bucerò literæ adferuntur, in quibus ſic inter alia de Bullingero. Ita habet, ut ſcribis, eſt homo non rixoſi ingenii & fi-*

 delis

delis in Ministerio, cui nemo non multa concedat, qui ædificationem Ecclesiarum simpliciter spectat & de fratribus judicat non sejuncto suffragio charitatis. Luherus sævè nimis, quem virum scio tamen Deum toto corde respicere, at inepti susurrones etiam antehac multas apud eum turbas dederunt. Philippus cum plerisque alijs occurrunt tempestatibus, quas illi suscitant, quantum possunt, non possunt autem quantum volunt.

E. *Atque hinc est, ut nostri, provocati etiam, & modestiæ studuerint, & litare eidem vel jussi, vel [a] moniti fuerint, ne major privatæ causæ & famæ, quàm publici Ecclesiæ commodi haberetur ratio. Cùm enim bello Sacramentario signum dedisset publicis scriptis & concionibus, concurrerunt undiquè viri docti, ut Theologis nostris non causæ quidem patrocinium dissuaderent, moderationem tamen, quam & vehementæ prætulerunt, commendarent. Idem, post Wittenbergensem Concordiam, cùm, senior jam, Lutherus efferbuisset, contigisse, in aprico est.*

[a] Id quod, tum superstite adhuc Zuinglio contigit, ut suo loco jam monuimus: tum post ejus fata, cùm Confessionem suam scriberet Lutherus. Indignissimè tulerunt optimi quique paroxysmum illum, quo & pax Ecclesiæ turbata miserè fuit, & omnia

omnis ferè coalituræ concordiæ ſpes præciſa. Audiamus unum & alterum, reſtaurata hæc bella Eccleſiaſtica deplorantem; & ad majorem moderationem gravitatémque Theologicam hortantem: *Et nunc libellum húncce, tantopere à te deſideratum, à Frechto noſtro accepi, qui poteſtatem fecit mihi eum ad Te mittendi, ſed ea lege, ut, ubi uſus eo fueris, rurſum ad nos remittas, pauciſsima enim extare exemplaria, quanquam mihi plura plurimis extare videntur, ſi vel unicum extet. Tu pro Chriſtiana tua prudentia omnia vide ut circumſpectè agas, nihilque Luthero; qui nec audire nos, nec reſpondere nobis dignatur; ſed omnia Eccleſijs Chriſti ſcribes, illis vos modeſtiſsime purgate. Ego tumultuanter, tantóque animi dolore legi, ut planè jam quid legerim, exciderit. Vale cum tuis.* Ita *Ambroſius Blaurerus* ad Bulling. die 13. Decembr. 1544. Et ut ne Principibus placuiſſe Lutheri conatum viris conſtaret, idem ad *Bullingerum*, alia ſcripſit occaſione: *Caſpar Gruterus, VVittemberg: aulæ Eccleſiaſtes, ſcribit, Principem ſuum valde offenſum libello iſto Lutheri, ac vehementer*

deteſtari inſanam iſtam convitiandi & maledicendi libidinem. Veſtram reſponſionem non dubitamus Chriſtianâ modeſtiâ & gravitate in lucem prodituram, ubi Te pariter, & venerandum, chariſſimúmque Theodorum noſtrum per omnia ſacra, & per quicquid flecti poteſtis, obſecro & obteſtor, ut ne ullam Buceri noſtri in illa vel levem mentionem faciatis; petunt hoc ipſum à vobis Germanus frater meus & Zuiccius, idque graviſſimas ob cauſas. Tametſi exiſtimemus, vos pro veſtra prudentia & ſinceritate, ultro ſic omnia temperaturos, ut extra Luth. & alios, qui publicis ſcriptis nos traduxerunt, nemo alius involvatur. Quòd ſi quid etiam de Marpurg. concordia attingendum erit, poterit iſtud quoque tacito Buceri nomine fieri. Eſt ille omnino extra aleam iſtorum aliorum collocandus, idque non unam ſolùm ob cauſam, quemadmodum vos quoque agnoſcere lubenter mihi perſuadeo; & tamen ſollicita mea erga illum & pro illo charitas, me, ut hujus vos admonerem, coëgit. Cúmque ex alia poſtea occaſione materia noſtris

data

data fuiſſet & ſuccenſendi, & Lutheri vehementiam retundendi, ne oleum camino adderetur, magni iterum Theologi ſeriò dederunt operam. *Ambroſii Blaureri*, doctiſsimi viri, libenter utor authoritate, quòd, ut Lutheri fuit obſervantiſsimus, ita ægerrimè tulit, quando nimio ſuo rigore, amicos etiam, ad ultimum refugium, ſaltem inculpatæ tutelæ provocavit. Ita ergo idem ille ad Bullingerum, occaſione Bibliorum Tigurinorum, quæ Froſchovverus, inſignis Typographus, Luthero miſit: *Quæ de Lutheri ad Typographum veſtrum Epiſtola ſcripſiſti, ſupra modum me contriſtârunt, ut nihil jam multis annis æquè, niſi quòd in ſpem venio, nihil illum acerbius publicè in te ſcripturum, in Deum & Eccleſiæ tranquillitatem graviter peccaturus, ſi fecerit: Te verò per Jeſum Chriſtum obteſtor, & per ſanguinem ipſius, quo ſunt omnia purificata, obſecro, ut Chriſtiana tolerantia conſtanter iſthæc diſsimules, idque tantiſper dum typis divulgata criminatione prior te laceſsit. Sunt certè ex ſuperiore infauſto conflictu accepta vulnera malè etiamnum curata, ut non oporteat novis inflictis malum*

 lum

lum malo cumulare. Sed scio animi tui modestiam, téque ultro, quæ pacis sunt, sectaturum. *Et Ecclesia vestra verè supra montem posita, & firmiore nititur fundamento, quàm ut id genus bullis concuti queat. Ministri verò ipsius clariores fuerunt & sunt, quàm ut ullis affectatis contumelijs obscurari possint; dies Domini, quæ in foribus est, omnia declaraverit.*

F. *Vnde &, læsæ licèt atque offensæ, Ecclesiæ nostræ, omnem cum tanto Theologo pacis atque concordiæ ineundæ & colendæ, quæ quidem secundum Dei verbum fieri poterat, libenter ad miserunt rationem.*

De hac materia uberior, Σ.Θ. suo loco, dabitur comentandi seges: uno tantùm hac vice Bullingeri testimonio rem, quam intendimus, confectam dare liceat: *Gratiam* (ad conventũ Isenacensem vel Wittebergensem) *& vitæ innocentiam à Deo Patre, per Dominum nostrum I. C.*

Quòd vocati non venimus, Capito & Bucere, venerandi & in Domino charissimi fratres vobis ipsis non nobis imputabitis. Non nescitis, quàm longè latéque porrigantur Ecclesiæ nostræ, & quàm multæ sint nobis Episcoporum centuriæ per urbes populosissimas, perque agros patentissimos habitatissimósque. Non ignoratis, quæ Ecclesijs nostris in hujusmodi negotijs

con-

conſultandi mos & ratio; ſcitis quàm inſtructos eſſe oporteat ad conventum tantum: Interim nos tanta intra paucorum dierum ſpatium perficere jubetis. Redduntur literæ veſtræ circa finem Aprilis, & XIV. diem Maj præſcribitis, breviſsimum ſanè & iniquiſsimum temporis ſpatium. Jam etſi abundè ſatis ſuppeteret temporis, tamen in re tanta non ita feſtinandum videtur, quanquam & in mora agnoſcamus periculum. *Quòd ergo non venimus, neceſsitati & injuriæ temporis dabitis, non contemptui, aut quòd concordiam cum D. Luthero & ſuis aſpernemur, vel ad hanc aſpiremus ſegniùs. Amamus enim Lutherum ex animo, ut fratrem chariſsimum, veneramur illum ut Miniſtrum Chriſti ſelectiſsimum, per cujus Miniſterium in orbe maxima patravit Dominus. ſuſpicimus illum ut ſanctiſsimum, eruditiſsimum, & verè magnum in vera religione reſtauranda, virum de pietate & literis optimè meritum.* Unde nihil votis petemus ardentioribus, quàm concordiam cum illo, & viris ſpectatiſsimis ſanctam. Non tam ſumus ſtupidi, ut non intelligamus, ſuſpicionem illam diſcordiæ noſtræ & jucundam eſſe hoſtibus

Evangelij, & curſum hujus remorari validiſsimè. Rurſus tam impij & bellaces non ſumus, ut non malimus pacem, quàm bellum, tantúmque ſublatum eſſe ex Eccleſia Chriſti ſcandalum. Ideo, cùm intelligamus in hoc coijſſe cœtum illum veſtrum ſanctum, ut & tollatur diſcordiæ ſuſpicio, & omnes intelligant, idem nos ſentire & loqui omnes, non potuit nobis non probari inſtitutum hoc ſanctum, & Eccleſiæ Dei ſalubre: Et cùm ſciamus Dominum Spiritu ſuo ſuis adeſſe perpetuò, futurum ſperavimus, quòd iſti fratres noſtri, nos quidem abſentes corpore, præſentes autem Spiritu, ſincera charitate, ut unius corporis membra, ſint complexuri. Non neſcio, ſuſpiciones vel bonorum virorum animos à nobis alienâſſe plurimum, verùm iſtorum fidimus æquitati, veſtræ cumprimis ſinceritati & fidei. Nôſtis nos, fratres; nôſtis Eccleſias noſtras, & quanta ſit ipſarum fides, concordia, conſtantia, & pietatis ſtudium, quæ itém probatio, quis profectus, quantum denique ſanguinis noſtri effuderimus pro nomine Chriſti, quantis afflicti preſſuris, contumelijs, injurijsque, tentati quoque inſidijs vaferrimis, ex quibus tamen omnibus liberavit nos Dominus. Nôſtis, quæ ſit doctrinæ noſtræ ratio.

tio. Copioſè enim de hac in nupero Baſileenſi conventu diſputavimus : planiſsimum eſt, nos abhorrere à dogmatis quibusdam , quæ tamen docere credimur. *Obteſtamur igitur Vos fratres per J. C. verum Dei filium, hoſtiam æternam, & Sacerdotem unicum, judicem vivorum & mortuorum, ut nobis & veritati, in cœtu illo ſancto, detis teſtimonium: deinde ut D. Luthero, fratri chariſsimo, & viro de Eccleſia Chriſti bene merito , ſuisque omnibus in Evangelio Chriſti collaboratoribus noſtris, ſincerè nos , noſtrasque commendetis Eccleſias.* Nos interim precibus indefeſsis orabimus Dominum , ſi quid ſimultatis exortum ſit inter nos, id totum expungat ex pectoribus, qui cordium ſcrutator eſt, & vinculo nos ſancto , indiſſolubilique nexu charitatis conglutinet, quò hoſtibus Chriſti formidabiliores, animo magno, & ſucceſſu feliciſsimo , reliquias Anti-Chriſti exercitus profligemus, & regnum Chriſti propagemus quàm latiſsimè. Fiat , fiat. *Valete in Chriſto, Lutherúmque virum Clariſsimum, & collegas ejus, fratres noſtros chariſsimos, noſtro nomine ſalvere jubebitis*, quibus in præſenti ſcripſimus nihil, quòd nos credimus

mus literarum vice futuros Tiguri XXX. Aprilis, Anno M. D. XXXVI. *Henricus Bullingerus vester.*

G. *Tribus autem potiſſimùm, meliorum, amicorum etiam, judicio, magnus cæteroquin* [a] *Heros, infirmitatem ſuam notoriè prodidit, puſillanimitate initio Reformationis; fervore* [b] *in progreſſu immoderato, nimio in Paraſtatas & Fratres* [c] *rigore, ex αὐθαδείᾳ aliqua orto.*

H. *Inconſtantia & puſillanimitas, ab adverſarijs etiam notata, in certaminis primordio Lutherum ferme, niſi altioris Originis opus fuiſſet, à propoſito dejeciſſet.* Initio enim Reformationis de tota repurganda doctrina infecta non cogitavit: quin telam cæptam ipſe abrupiſſet, niſi cuneum importunitas, adverſariorum truſiſſet. Qua de re prolixè *Sleidanus*; ſuccinctè author *Paraleip. Urſperg.* hoc ordine, pag. 447. Anno Domini 1518. *Illuſtriſſimo Principe Saxoniæ Duce Friderico Electore ſacri Imperij, Catholicæ & Apoſtolicæ Veritatis amantiſſimo Principe. D. Martinus Lutherus de Indulgentijs ſcribit ad Leonem decimum Pontificem Max. hoc titulo: Beatiſſimo Patri Leoni Decimo, Pont. Max. frater Martinus Lutherus Auguſtinianus, æternam ſalutem &c. In Præfatione ad Leonem X. meminit*

Luthe-

Lutherus Indulgentiariorum concionatorum, qui in ſcandalum & ludibrium Eccleſiaſticæ poteſtatis, avariſſimè prædicaverint, & libellos ediderint, inſatiabilem & inauditam avaritiam teſtantes; imò confeſſores juramento adegerint, ut hæc ipſa inſtantiſſimè populo inculcarent, unde populo (ut Propheta ait) carnem deſuper oſſibus eorum tollebant, ac uno illo ſcandala ſedarent, videlicet, terrore pontificij nominis, ignis comminatione, & hæretici nominis opprobrio. Lutherus innocenti & quieta conſcientia primùm leviuſculè illis reluctatus fuit, dogmata eorum in dubium & diſputationem vocando. Itaque ſchedulam diſputatoriam edidit, doctiores tantùm invitando. Miraculum autem videtur Luthero, ſic in omnem terram exiviſſe ſuas propoſitiones, oſtendens ſe invitum venire in publicum, at revocare non poſſe. In fine Præfationis ſic ſe ſubmittit: Quare beatiſſime pater, proſtratum me pedibus beatitudinis tuæ offero, cum omnibus quæ ſum & habeo; Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba; ut placuerit. Vocem tuam

tuam vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mori non recusabo. Domini enim est terra & plenitudo ejus, qui est benedictus in secula, Amen, qui te & servet in æternum, Amen. Anno Domini 1518. Rogat verò Lutherus singulari Epistolio Reverendum Patrem Johannem Stupitium Augustinianæ familiæ vicarium, quòd velit has suas ineptias suscipere, & quà fieri potest industria, ad optimum Pontificem Leonem decimum transmittere, ut sint ibi Luthero adversus studia malignantium, vice alicujus paracleti. Minacibus suis inimicis, Reuchlinianum illud etiam respondens: Qui pauper est nihil timet; nihil potest perdere. Imò cùm an. Chr. 1520. ex aula Saxonica nonnihil terreretur, *de angulo aliquo Boëmico cogitat, in quo se abdat.* Rescißcunt hoc Nobiles nonnulli Germani, Lutheri doctrinâ jam tum imbuti. Offert igitur ipsi hospitium & patrocinium Franciscus à Sickingen, Huldericus ab Hutten Eques Francus: Sylvester etiam de Schavenberg, Nobilis Francus, datis ad Lutherum

rum literis rogat, ne in Boemiam, aut aliò, ſed ad ſe confugiat : ſi diræ Romanenſes prævaluerint : pollicitus tutelam eximiam centenorum nobilium Equitum Franciæ. Creſcit animus Luthero. Itaque Georgio Spalatino author eſt, ut literis Friderici Electoris ad Cardinalem S. Georgÿ hoc ſubindicetur : etiamſi pellatur diris Pontificis VVittembergâ, nihil effecturos, niſi ut rem pejorem è malâ reddant : quandoquidem jam non in Boemia, ſed mediâ quoque Germaniâ ſint, qui expulſum tueri poſsint & velint, invitis ipſis, contra omnia ſua fulmina. Ubi periculum eſt, inquit, ne ÿs protectoribus tutus, ſævius in Romanenſes ſim graſſaturus; quàm ſi ſub Principis imperio publicis militarem officÿs docendi; id quod, ſine dubio, niſi Deus obſiſtat, futurum eſt : Principem verò, ut hactenus in multis ſuſpexi, etiam irritatus, tunc certè non neceſſe erit ſuſpicere. Scult. Annal. pag. 50. Hæc puſillanimitas in Luthero obſervata fuit etiam poſtquam magnam ſuis pollicitus fuiſſet in bene dictis conſtantiam. Poſtquam enim Auguſtæ intellexit, Cajetanum Cæſaris & Principum animos à ſe aba-

abalienare, sic ille ad Spalatinum forti satis & magno animo: *Ego in his omnibus nihil timeo: quòd si etiam obtinuerit eorum vel adulatio, vel potentia, ut omnibus me odiosum faciant, id mihi reliquum est & cordis & conscientiæ; quòd omnia quæ habeo, quæque ipsi impugnant, ex Deo me habere agnoscam, & confitear; cui & ea ipsa libens & sponte refero & offero: si aufert, sint ablata; si servat sint servata, & nomen ejus sanctum & benedictum in secula, Amen.* Et ad Philippum Melanchthonem: *Tu age virum, sicut & agis; & adolescentes recta doce, ego pro illis & vobis vado immolari, si Deo placet. Malo enim perire, & quod unum mihi gravissimum est, vestrâ dulcissimâ Conversatione carere in æternum, quàm ut revocem bene dicta, & studijs optimis perdendis occasio fiam. Augustæ, feriâ 2. post Dionys.* Mox tamen a. Chr. 1519. Pontifici cedere, imò palinodiam canere, modò tutus esset, erat paratus. Qua de re nonnulla sup. pag. 748. Literas enim Lutherus sexto Aprilis 1520. de consilio Caroli Miltitij dedit ad Leonem, quibus se illi purgavit; *quòd non in ipsius personam; sed in impias*

impias doctrinas & Doctores, tum in Curiam, quovis genere vitiorum & impietate perditiſſimam, ſit invectus, omni culpâ in Cajetanum & Eccium translata. Ante jam an. Chr. 1518. Heidelbergâ domum reverſus propoſitionum ſuarum de Indulgentijs reſolutiones & declarationes, quas Leoni X. Dominica Trinitatis dedicavit, edidit. Cauſas editionis partim ad Leonem, partim ad Epiſcopum Brandeburgicum ſuis aperuit Epiſtolis, nempe; *ut mitigaret adverſarios; multorum deſideria impleret; errare eos non ſineret, qui putarent, omnia eſſe aſſerta. Inter quæ ſunt,* inquit, *de quibus dubito, nonnulla ignoro: aliqua etiam nego, nulla verò pertinaciter aſſero.* Obſecrat Brandeburgicum, ut arrepto calamo, quæcunque viderentur, aboleat, aut igne comburat: proteſtatur, ſe diſputare, non determinare. Et certè ſi ipſa diligenter percurramus Lutheri ſcripta, reperiemus, certamen Luthero cum Pontificijs initiò tantùm de Indulgentijs & Purgatorio fuiſſe, ſic quidem, ut non rem ipſam per ſe; ſed immoderata Indulgentiarum præconia, & largiſsimas illas Quæſtorum promiſsiones damnaret Lutherus; ſimul tamen omnia

de hac causa dicta, facta & scripta sua judicio Romani Pontificis subjiceret, & sese illi, hoc suo studio, gratificaturum arbitraretur: palàm etiam profiteretur, si Indulgentiarum Quæstores maturè coercuisset Curia Romana, sese in tota hac causa ulterius progressurum non fuisse. Sic enim scribit T. I. Operum Latinorum in præfatione: *Cùm anno 1517. Indulgentiæ in his regionibus venderentur turpissimo quæstu; ego cœpi dissuadere populis, & eos dehortari, ne Indulgentiariorum clamoribus aurem præberent, habere eos meliora, quæ facerent, & in ijs certus mihi videbar, me habiturum patronum Papam, cujus fiducia tam fortiter nitebar, qui in suis Decretis clarissimè damnat Quæstorum (ita vocant Indulgentiarios prædicatores) immodestiam. Item: Ego contemtus, edidi Disputationis schedulam, simul & Germanicam concionem de Indulgentijs: Paulò pòst etiam Resolutiones, in quibus pro honore Papæ hoc agebam, ut Indulgentiæ non damnarentur quidem, sed bona opera charitatis illis præferrentur.* Rursus: *Si Moguntinus à principio, cùm à me admoneretur, denique si Papa,*

pa, antequam me non auditum damnaret, & Bullis ſuis ſæviret; hoc cepiſſet conſilium, quod Carolus Miltitius cæpit, & ſtatim compeſcuiſſent Thecelianum furorem, non evaſiſſet res in tantum tumultum: Sola culpa eſt Moguntini. In Comitijs Auguſtanis à Maximiliano Imperatore 1518. celebratis, aperrè & ingenuè coram Cardinale Cajetano faſſus eſt, *ſe colere & ſequi Romanam Eccleſiam in omnibus ſuis dictis & factis, præſentibus, præteritis & futuris, & ſi quid contra, vel aliter dictum ſit, ſe pro non dicto haberi velle.* Cùm etiam in diſputatione Lipſica 1518. inter diſputandum ſuſpectus haberetur, tanquam fautor Bohemorum, quod etiam Eccius palàm ei objiciebat; id ipſum, tanquam gravem contumeliam, rejiciens à ſe, dixit: *Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit, quodcunque Schiſma iniquè faciunt Bohemi: quòd ſe authoritate propria ſeparent à noſtra unitate, etiamſi jus divinum pró eis ſtaret.* Tom. I. Latin. fol. 191. *Ego coram te, Lector, proteſtor, me colere & ſequi Romanam Eccleſiam in omnibus.* Item: *Contra Scripturam Romana Eccleſia nunquam ſa-*

pit aut statuit. Anno 1519. ita ad Leonem: *Nunc, beatissime Pater, coram Deo & tota creatura sua testor, me neque voluisse, neque hodie velle, Ecclesiæ Romanæ ac Beatitudini Tuæ potestatem ullo modo tangere, aut quacunque versutia demoliri. Quia plenissimè profiteor, hujus Ecclesiæ potestatem esse super omnia, nec ei præferendum quicquam, sive in cælo, sive in terra, præter unum Jesum Christum. Nec Beatitudo Tua ullis malis dolis credat, qui aliter de Luthero hoc machinantur. Et quod unum in ista causa facere possum, promittam libentissimè Beatitudini Tuæ, istam de Indulgentiis materiam me deinceps relicturum, penitúsque taciturum (modò & adversarii mei suas vanas ampullas contineant) editurum denique in vulgus, quò intelligant & moveantur, ut Romanam Ecclesiam purè eo colant.*

I. *Fervoris excessus non erat in ardentiori veritatis scrutinio & assertione, sed vehementiori tum in adversarios invectione, tum infirmorum minus commoda tractatione, tum denique eorum, qui erant ἐν ὑπεροχῇ, non satis attenta distinctione, indéque secuta debitæ reverentiæ negatione.*

Illud

Illud utique Luthero non vitio vertendum, sed laudi erat ducendum, quòd τὸ ἐν αὐτῷ θεοῦ χάρισμα voluerit ἀναζωπυρεῖν, & latentes excitare favillas. Id verò factum paulatim, eventus probavit. In diligenti enim & assidua lectione Scripturarum, Patrum, Augustini præsertim, atque aliorum librorum examine, eas Evangelicæ lucis vidit stricturas, quæ, importunitate adversariorum afflante in flammam tandem eruperunt. Sic enim ipse *Præfat. ad lib. de capt. Babylon.* *Velim, nolim, cogor indies eruditior fieri, tot tantisque Magistris certatim me urgentibus & exercentibus. De Indulgentijs ante duos annos scripsi, sed sic, ut me nunc mirum in modum pœniteat editi libelli. Hærebam enim id temporis magna quadam superstitione Romanæ tyrannidis: Unde & Indulgentias non penitus rejiciendas esse censebam, quas tanto hominum consensu cernebã comprobari. Nec mirum, quia solus tum volvebam hoc saxum. At postea, beneficio Sylvestri & fratrum adjutus, qui strenuè illas tutati sunt, intellexi, eas aliud nihil esse, quàm meras adulatorum Romanorum imposturas, quibus*

bus & fidem Dei, & pecunias hominum perderent. Quid Eccio blanditus sit, ut ne Pontificem offenderet, supra audivimus. Sed quando impudentiùs Romanam ille asseruit Monarchiam, ansam Luthero præbuit diligentiùs in molis fundamenta inquirendi. *Posthac* (ita Lutherus) *Eccius & Emserus cum conjuratis suis, de primatu Papæ me erudire cœperunt.* Unde anno statim 1520. Lutherus ad Nobilitatem Germaniæ contra tres Papistarum muros scripsit; quorum primus, Laicos, quos prophanos appellant, in clerum jus nullum habere: Scripturam nemini, quàm Papæ, licere explicare: Concilium indicere penes esse solum Pontificem. Quo scripto Majestas Romana, & authoritas Pontificia de ponte quasi præcipitatur. Ab horarum etiam Canonicarum recitatione serò abstinuisse, abstinuisse tamen, à Melanchthone monitum, Lutherum, commemorat *Hospin. Hist. Sacrament. P. II.* pag. 4.6. Has φροντίδας σοφωτέρας Lutheri nemo bonus reprehendit; aliud est, quod, initio ferme Reformationis, desideratum in eo fuit, nempe quòd provocatus iterum, & ad bellum ἄσπονδον irritatus, in alterum extremum delapsus, nimia ubiq; vehementia agere cœperit;

rit: Eóſq; adeò, quos ſuaviter ducere potuiſſet, trahere violenter maluerit. Non negant hoc ipſi primi Lutheri amici & æſtimatores. Maturè Eraſmus; Epiſtolâ ad Petrum Rabirium; majorem in tanto negotio expectavit moderationem. *Initio*, inquit, *dici non poteſt, quàm multi, qualésque viri Luthero faverint. Ego è pauculis pagellis deguſtatis viſus ſum mihi ſubodorari rem exituram in tumultum. Et mihi ſanè adeò eſt inviſa diſcordia, ut veritas etiam diſpliceat ſeditioſa. Primus enim admonui hominem literis, ut rem Evangelicam Evangelicâ manſuetudine moderationéque tractaret, &c. Equidem ut mihi videre videor, eſſe quadam in Eccleſia recepta, quæ magno Chriſtianæ religionis bono mutarentur. Ita nihil placet, quod hujusmodi tumultu geritur. Si communicato inter ipſos conſilio, docti obſignatis libellis utriusque ditionis Proceres admonuiſſent, quæ judicâſſent ad Evangelicæ doctrinæ ſinceritatem attinere, fortaſſis & ipſe fuiſſem unus, qui ſedulò, quod potuiſſem, conſuluiſſem. Nunc quid furioſius, quàm rem tantam maledicis libellis & clamoribus agi? Quo*

 quidem

quidem in negotio primùm utrinq; peccatũ est. Meâ sententiâ, nimium calidis consilijs hinc atque hinc res gesta est, &c. Porrò quod dicitur, Lutherum quædam hausisse è libris meis, mihi in manu non erat præstare, ne quis scriptis meis in posterum abuteretur, quando hoc nec Evangelistæ nec Apostoli præstare potuerunt. Scripsi eo seculo, quæ tum videbantur ad bonos mores conducere: fortaßis quædam scripturus circumspectiùs, si præscissem exoriturum hoc seculum plus quàm Tragicum. Et alibi: *Eò processerat frigida illa disputatrix Theologia, ut necesse fuerit ad fontes revocare, sed tamen illam quoque corrigi malim, quàm explodi; aut certè tolerari: Donec potior aliqua Theologiæ ratio fuerit parata. Multa præclarè monuit Lutherus: Sed utinam civilius admonuisset! Plures haberet & fautores & propugnatores, & uberiorem messem demeteret Christo. Et tamen impium sit, illum in his, quæ rectè dixit, prorsus indefensum relinquere; ut posthac nemo sit qui verum ausit proloqui. Non est hujus conditionis, nec hujus ingenij, de illius*

illius doctrina pronuntiare. Hactenus certè profuit mundo. Nonnulli ſunt adacti ad evolvendos veterum Theologorum libros, alij, quò ſibi conſulerent: alij, quò Luthero negotium faceſſerent. Nec dubitâſſent multi, Evangelium velocioribus pedibus proceſſurum, niſi μεγαλοθυμία Lutheri obſtitiſſet. Ita ex ipſis Reformatoribus Wolfgangus Fabricius Capito: *Cupio* inquit, *refloreſcere Chriſtum, annis an patientia refloreſcat, compertum habes. Nata eſt religio: aucta eſt: firmata eſt, ab innocentibus, ab imbellibus; tolerantiâ gladios furioſis è manibus excuſſerunt inermes. Quæ verò gens ab Hoplomachis cruentis candidam religionem ſuſceperit, non obſervavi. Quanquam haud ignorem, veterem legem, cui nos videmur perſimilimi, aſſertam eſſe manu ſæpius: & à noſtris tentatum interdum non dico, quàm feliciter, neque quàm piè, quia interim decrevit res noſtra. Idcirco vehementer deterres deditos tibi ſignificantiâ præſidiorum & armorum, etiamſi intelligam fortè rationem conſilij tui, quæ apud me propè alia eſt. Nam quod altè hæ-*

 ret,

ret, non ſemel evellitur, ſenſim eſt & ſubinde labefactandum: ut tandem ſequatur trahentis manum. Et rurſum: *Vidi,* inquit, *concionem tuam de pœnitentia, & alteram de condonationibus, utramque contra receptos hujus ætatis mores apertis figuris militantem. Obſtupui, de amici ſalute anxius, qui denſis hoſtium turmis ita nudum objicis latus, quamvis inſtructiſſimus vidêre armis veritatis. Tu tamen longè aliis, malè metuo, impugnaberis, & periculum eſt, ne vi res geratur. Quod ſi ex fide conſulenti aures dignaris, expertus moneo, Sertorij conſilium amplectaris. Crede mihi, carptim facies, quod viribus ne labefactare quidem potuiſſes. Arcem, ut vides, undique munitam occupant triplici vallo ſepti, velut extra tela, quod dicitur ſtertunt, authoritate Pontificiâ, hoc eſt, Univerſalis Eccleſiæ potentiâ, tyrannorum, & omnium Scholarum pertinaci conſenſu. Profectò triplicem hunc cacodæmonis funem craſſiſſimum haud facilè rumpes. Opus eſt Alexandro quodam, ceu Gordij vincula gladio confidenter diſſolvente: ingenio aut*

aut ratione fieri difficultas eſt : piorum ſimplicitas à nutu & renutu pendet hujus factitiæ Eccleſiæ, argutioribus animum tyrannis adimit. Porrò, qui omnibus vero majorem ſanctimoniam peritiámque Chriſti venditamus Theologi, ſupercilio noſtro committimus Chriſtum, Religionis omnes invehimus ſordes, prætextúque pietatis noſtrum probè compendium curamus. Proinde ne in irritum conatus iſte egregius vergat, obtegas, oro, quemlibet fucum, quò hamum citiùs infigere queas lectori, quàm ſibi putet inſidias fieri. Sic Apoſtoli nihil ſubitò, nihil ſuapte urgebant. Ubique decoram humanitatem cuſtodierunt; Per quos enim Paulus cuniculos ingreditur in Epiſtolâ ad Romanos, quid non facit quò gratiam apud eos tueatur? Simulat, diſsimulat, inducit, educit, oſtendit, procul divitem ſupellectilem, continuò celat, prorsúsque ſic ſermonem librat, ne vel odium vel faſtidium ſuboriatur. Ejus ingenij exemplis acta Apoſtolorum redundant. Sic Divus Paulus in tumultu, ſimilis tergiverſanti reſpondet. Non dicit: nihil

hil loquor contra legem, sed de resurrectione judicor, interea reddens de observata lege rationem mirâ dicendi prudentiâ, siquidem obliquo ductu magnæ res securè conficiuntur, quàm vellem semper aliquam servares fenestram, quâ effugias, vel disputatione vexatus. His diebus à Roma libellum Sylvestri de Prioratis accepi, quem satis inepiè in tuas Venias edidit: cui si respondendum, perpetuâ velim id fieri oratione, atque Christi veram ex Evangelijs imaginem præbeas. Natam & auctam religionem, consuetudinem priscorum, rationem induere erroris, & variata Pontificum, adeóque Conciliorum decreta narres, expressâ notatione, ut oratio fidem sibi sensibus confirmet, quasi hausta ex fonte veritatis. Deinde singula deliramenta risu eleves frequentiùs, quàm seriò conatu; sedulò à Pontifice lædendo abstineas, quin omnem detorqueas invidiam in illum, tantanquam indigna affingentem Pontificis dignitati, tantùm ventris caussâ; te apertiùs obsistere Sycophantis, ansam mali præcidere conantem: passim ut tulerit facultas,

tas, inter agendum reſpondendi aditus præſepias, ut nequeat niſi in caſſum referire.

K. Exiſtimavit quidem [a] Lutherus, quem [b] & alij defenderunt, aſpera hac ſtrigili pſoram AEgyptiacam perfricandam durum nodum duro cuneo pellendum; Rectiùs tamen alij monuerunt, nec cauſam Evangelicam, iſtâ [c] vehementiâ, cujus [d] ipſum quandóque pœnituit, juvari, nec dignum [e] fuiſſe tanto Theologo, ut vel affectibus nimium indulgeret, vel adeò jocis, ſalibus, invecturis crebrò ageret, aut etiam in [f] amiciſſimorum ſæviret viſcera: Ex his autem privati potiùs honoris [g] aucupium, quàm publici commodi ſtudium eluxiſſe, à moderatiſſimis etiam fuit obſervatum.

[a] Cùm an. Chr. 1519. ad 1520. ſæpiùs ex aula Saxonica moneretur, moderatiùs ut ſcriberet doceretque; ille, *ſi perſiſtendum eſt*, inquit, *in docendo, mi Spalatine, non intelligo conſilium tuum & tuorum, quos memoras: poſſe videlicet ſacram Theologiam ſine offenſione Pontificum doceri. Scriptura potiſsimùm ſacrorum abuſum perſequitur, quod non poterunt Pontifices ſuſtinere. Ego tradidi & obtuli me in nomine Domini. Fiat voluntas ejus. Quis rogavit eum, ut me Doctorem crearet? Si creavit, habeat ſibi, aut rurſus deſtruat, ſi pœnitet creâſſe. Adeò me non terret iſta tribulatio, ut incredibili ſinu carbaſa cordis mei in-*

flet,

set: Ut jam intelligã in me ipso, cur Dæmones ventis æquentur in scriptura. Dũ enim sese efflant furendo, alios inflant patiendo. Id solùm curo, ut Dominus in meis, quas inter me & ipsum habeo, causis, mihi sit propitius, atque hoc, ut potes, juvare digneris: Istam verò hominum causam fideli oratione Deo committamus, & securi simus; quid enim facere poterunt? Occident? Nunquid resuscitabunt; ut iterum occidant? Hæreticum infamabunt? At Christus cum iniquis seductoribus; maledictis damnatus est; cujus passionem si quando intueor, mirè uror, hanc meam tentationem non solùm aliquid, sed etiam maximam videri tam magnis & multis; cùm sit revera nihil: nisi quòd funditùs desuevimus passionibus & malis, id est, Christiana vita. Et iterum: Esto, novum & magnum sit futurum incendium: quis potest Dei consilio resistere? Sine, quæso, rem suis ire motibus; solus Deus in negotio est: rapimur & agimur, ut video, potiùs, quàm agamus.

[b] Id quod Lutheri verbis Apologeticis suscepit *Ludovicus Dunte*, Theologus Revaliensis decis. cas. consc. C.IX. q.6. 155. Occasione

ſione Epiſtolæ ad Moguntinum ſcriptæ, quæ habetur T.I. Jen. f. 556. reſponſ. pag. 558.

[c] Henrico certè VIII. Angliæ Reg. I. ita reſpondit, ut multi, qui ſanctum hominis Zelum laudarent, modeſtiam tamen, Spiritu S. dignam in eo haud immeritò deſiderarent, regiæque dignitatis magis reverentem, verba ſunt *Abrahami Sculteti* Decad. I. an. Chr. 1521. *Si Lutherus,* inquit Eraſmus, *collaudato pio Regis ſtudio, rem ſolidis argumentis fortiter peregiſſet non violatâ regiâ dignitate, rectius, opinor, conſuluiſſet ſuæ cauſſæ.* Idem: *Quid invitabat Lutherum, ut diceret in libello adverſus Regem Angliæ: Veniatis, Domine Henrice, ego docebo vos? Certè Regis libellus Latinè loquebatur, nec ineruditè.* Et Bullingerus noſter: *Videtur autem ſatis acerba, & ferè indecens Evangelico concionatori vox eſſe, qua Luthero, ſanctiſſimo alioquin viro, excidit, aſperius in Cæſarem & Ferdinandum calamitoſum ſanè, pronunciata.*

[d] Adeò Lutherus, τὸν θυμὸν diffiteri non potuit, ut, cùm quædam, quæ ad Regis laudem atque commendationem pertinerent, audiviſſet, exhilaratus eâ famâ demiſsè

missè admodum illi scribit. *Non se dubitare, quin graviter ipsum offenderit, edito libello; sed id factum esse non tam sua sponte, quàm aliorum impulsu.*

[e] Severitatem hanc, cum periculo Ecclesiæ, quæ Moguntiæ sua jam habuit felicissima auspicia, conjunctam futuram, prævidit *Capito*, qui a.Ch. 1521. graviter monuit Lutherum, *ne nominatim magnatum Ecclesiasticorum vitia notet; quia id sit facturus sine exemplo, multaque præter verum necessariò ficturus; cùm vel Spiritus hominis nesciat, quæ sunt in homine. Quòd si pergat aliorum inservire affectibus, experturum Moguntinos quoque esse homines, quod sibi seriò dictum putare debeat, ne in necessitatem inducat pusillos, ut animum exasperent.* Et profectò, qui initia repurgatæ religionis, diligenter observat, haud difficulter animadvertet, persuaderi multis potuisse, qui nimiâ illa vehementiâ Lutheri & discipulorum ejus cogi noluerunt. Audiamus unum & alterum. *Iodocus Heschius*, Carthusianus, vir apprimè doctus an.Chr. 1522. ita ad Vadianum scripsit: *De Luthero in neutram partem sentio: suos habet judices.*

Multa

Multa præclarè monuit, ſed utinam civilius monuiſſet, plures haberet & fautores, & propugnatores, & uberiorem meſſem demeteret Christo. Etſi tu, mi Vadiane, ſcribas, hominem, impudentiſsimorum rabularum intolerabili procacitate provocatum non potuiſſe tenere Christianam modeſtiam. Sed quomodocunque ſe gerebant alij; qui talem ſuſceperat perſonam; debebat, omnibus neglectis, ſibi conſtare. Et ipſe Vadianus, clariſsimum Helvetiæ lumen, qui initio Lutheri fervori dandum aliquid exiſtimavit; poſtea an. Chr. 1544. ad Ambroſ. Blaurer. teſtatus fuit, *quantum ex illa vehementia Lutheri ad Eccleſiam redundaret. Nihil eſt, inquit, in præſentia, quod optem magis, & Deum noſtrum per Filium Jeſum ardentius precer, quàm ut Lutherus Vir tantus, & tam præclaris alioquin donis ſupra hominum fidem, & vulgi captum præditus, quoniam iterum animum ad ſcribendum induxit, ita ſuam illam confeſsionem componat manu ſuprema, ut qui ſunt lecturi, palmam ei moderationis, præterea & comitatis, & charitatis erga illos,*

qui data opera non desipiunt, ferre & tribuere possint. Huld. Zasius 1519. ad Zuingl. *Utinam sit probus quispiam, qui Lutherum commoneret, ne ita excurrat; sed modestiam, quam ubique tantopere laudat, teneat; auro suo, scoriam non misceat, tunc eum Eliam, & si quid amplius sit, nominabimus. Nunc asseverationibus* (ita Erasmus de Luthero) *implet chartas. Nunc ineptis salibus, & infacetis facetijs eximit tempus. Nunc quicquid offertur aut succurrit animo quocunque modo detorquet ad causam suam, & præter convitia, quibus natura scatet, habet verba quædam velut magica, quæ non ratione, sed vehementia quadam afficiant lectoris animum vel imbecillum, vel parùm eruditum.* Hanc κακοζηλίαν in discipulis, qui nondum eadem vel authoritate, vel dexteritate arma Theologica vibrare didicerunt, jam initio Reformationis nonnullos observâsse reperio. Glareanus (cujus, ob celebritatem nominis, non illibenter repeto mentionem) jam an. Chr. 1521. ea de re scripsit ad Myconium Lucernensem: *Mirum*, quòd ubique λουθηρωνότατοι *Lutheri causam gravent, tam inepti, tam nullius consilij; ut pro-*

profectò exiſtimem, quemadmodum à Spiritu Dei doctrinam illius, ita à ſpiritu Satanæ impetus illorum provenire. Quæ res effecit, ut domi meæ apud meos ſedeam, me conſolans meis Muſis: publicam lectionem unam tantùm lego, nomine totius patriæ, frequenti ſanè auditorio. Cæterùm, numerus meorum parvus eſt, labores autem ingentes. Et adjutoris egeo; nec tamen eſt mihi tantum, ut vel mediocriter eruditum mecum fovere queam; non enim plures quàm XII. habeo privatim diſcipulos. Quòd ſi ad Lutheranam pietatem modeſtia etiam accederet ſequacium, meliùs etiam rei literariæ negotium procederet: Alterum ex altero pendet; quod non obſcurè Canonici noſtri intelligunt. *Unus ego magnam invidiæ molem ſuſtineo, & dolet illis vehementer modeſtia mea, quòd nihil cauſæ in me habent, quæ me apud Senatum Baſil. traducant: Sed vincam, annuente Chriſto; ſi numerus meorum major eſſet, aliquem adjutorem accerſerem.* Idem ad eundem, anno M. DC. XXIV. pridie nonas Septembris. *De bonis literis promovendis, tute ipſe rectè ſcribis, & Lutherus nobiſcum ſentit;*

sed homines imperiti nunc ubique obstrepunt, nec aliam tamen ob causam nisi quòd ignorent ipsi, quid Diabolus machinamenti istic prætendat. Hoc scio, à nemine nunc & literas & Evangelium magis impediri, quàm ab ijs qui utrunque devorâsse videri volunt. Vide liter.prox.L.

[a] *Illud proinde tristißimum erat, quòd usque adeò fervor ille ebullijt, ut ne superioris quidem Germaniæ Theologi, serij cultores & æstimatores, vel Lutheri probare potuerint impetus, vel intactum relinquere ingens inter ipsum & nostros Theologos discrimen: gravißimè cumprimis ferentes, quòd, veluti pro palma certaturus adeò acerbè* [b] *in Collegas Reformationis fuerit invectus, non sine privatæ vindictæ suspicione.*

[a] Ne quis æmulorũ hanc, vel adversariorum tantùm fuisse observationem existimet: Illi etiam, qui filiali quadã reverentia Lutherum prosequebantur, hanc in eo macuam, quod universam illa dedecoraret Ecclesiam, animadverteruut. Scripsit jam año 1522. Ambrosius Blaurerus Philippo Melanchthoni Epistolam, ad cujus calcem lego: *Summo Patri, Luthero, qui rursum nos parturit, donec Christum in nobis formet, abs Te votis omnibus commendari cupio:* Idem tamen, vertente decennio, gravem de Lutheri rigore movit querelam, cui ne par pari

ri referretur, ſeriò Bullingerum rogavit. Modeſtiæ Blaurerianæ ſpecimen an. Chr. 1533. ſcriptum ira ſonat: *Lutheri tragadiam, quam novam nunc in Epiſtola ad Francofordienſes excitat, in controverſo jam dudum cænæ negotio, ſiquid ego rectè judico, conſtanter nobis diſsimulanda erit, quia non poteſt ulla vel dura vel molli tractatione miteſcere illius ingenium, ſed crabrones potiùs irritare videatur, qui paria cum illo facere velit.* Quid, quòd, eodem judice, Bohemorum Lutherus maluerit præfari confeſsioni nobis ὁμοψήφῳ, quàm apertè ſuum nobiſcum edere conſenſum, ne qui modò totus fervebat, ex moderatione infirmitatis vel in conſtantiæ ſibi notam inuſsiſſe videretur. *Quatenus*, inquit, *Blaurerus Lutherus huic ſententiæ ſubſcribat, ipſe quoque nondum ſatis perſpicio, niſi quòd ea, quæ jam in rationem fidei fratrum Bohemiæ præfatus eſt, omnino modeſta, & nobis proximè accedere videntur, præſertim, cùm is libellus, quod ſcis, ante ſesqui annum editus, puto, noſtris quoque cum in alijs multis, tum verò præcipuè in Cœna Dominica explicatione perplaceat. Mirarer profectò,*

quo consilio nunc primùm libellum hunc edendum curâsset, quem jam dudum editum ignorare non potuit, nisi quòd existimat, id quod res est, se minore offensaculo suarum Ecclesiarum pedem referre posse, si Bohemorum sententiam probet, quàm si nobiscum, quos adeò præter jus & decorum, parùm Christianicè, apud omnes fere traduxit & proscidit, apertè jam in gratiam redeat. Et dabimus hoc homini aliâs tam multis nominibus de Christi Ecclesijs bene merito. Musculus, Augustâ ad Ambrosium Blaurerum: *Bullingero respondeo tanquam fratri, ea moderatione, ut & libertatem dicendi, quod sentio, retineam, & aliter sentientes non damnem. Admodùm enim hac in re à Luthero dissentio, cujus calumniandi libidinem & impotentiam nullo pacto probare possum.* Ita Myconius 1544. Lutheri libellum recens editum in Zuinglium & Oecolampadium non vidi; Illud audio, doctis & pijs eum valde displicere, maximè propter convitia. Quod, lecto libro, judicium repetijt. Facit huc fragmentum Ministrorum Ecclesiæ Tigurinæ 1545. ad Albertum Hardenburgium. *Nos tamen*

men ingenuè id fatemur & teſtamur, nullam nobis, ob privatum odium, inimicitiam incidiſſe unquam. Virum magnum, & non pœnitendum in domo Domini ſervum illum fuiſſe, non negamus. Omnia tamen quæ ab ipſo fiunt, Spiritûs opera eſſe, pronuntiare nondum poſſumus, cùm tanta & tam immoderatâ affectuum intemperie agitetur, ut nec ſui officij, nec Eccleſiæ memor, inſontes, nullam juſtam ob cauſam, in tantum furat, & tam pernicioſi offendiculi author ſit. Reſponſionem hanc non in hoc inſtituimus, Alberte, quòd vel Lutherani nominis authoritati quicquam derogatum cupiamus, vel pernitioſa contendendi libidine delectemur: Sed quòd publicam & communem veritatis cauſam ſuſcipere, & Eccleſiarum noſtrarum innocentiam publico ſcripto aſſerere, extremę neceſsitatis telo cogeremur. Viderunt hoc quotquot apud nos ſunt, verè pij & fideles homines. Vidit idem Senatus urbis noſtræ ampliſsimus, cujus conſilio & aſſenſu hæc & conſcripta ſunt, & in lucem edita. *Apud te vero, Alberte, frater dilecte, de his tam multis agimus, quòd tua fides & integritas plenè nobis perſpecta eſt, quæ ſimul & hoc loco divinæ veritati non*

leve patrocinium præſtare poteſt. Vides haud *dubiè, quo imprimis Lutherus ſpectet. Illud enim ſuo exemplo docere & efficere conatur, ne quem vel nos, vel ſcripta noſtra locum invenire poſſent, ne quis nos audiat, ne quis noſtra vel admittat, vel legat.* Et quænam hæc in tanto Theologo iniquitas? Hæreſeos nos accuſat, & omnem excuſationis copiam, quantum in ipſo eſt, eripit. Se ipſum ergo & actorem, & teſtem, & judicem conſtituit. Quia verò quorundam animos ab illius nutu tantum non pendere conſtat, periculum eſt, ne illi, exemplum Lutheri ſecuti, veritatem repellant, & libros noſtros, quibus illi patrocinari ſtuduimus, proſcribant. Ut ergo multorum auxiliares manus petimus, ita tuam quoque in cauſa hac longè honeſtiſsima operam nobis adeſſe, unicè poſtulamus. Meruit tua fides & ſpectata probitas, ut multis & fideliſsimis & potentiſſ. Principibus gratus & amicus ſis. Hi tuis utuntur conſilijs, te dicentem audiunt, tuam operam in omnibus deſiderant. Primus autem illorum eſt fortiſsimus Chriſti miles, & imperterritus Evangelicæ veritatis patronus, Colonienſis Archiepiſcopus, cui & Monaſterienſis eorundem ſtudiorum

rum ſectator accedit. Te igitur etiam atque etiam oramus & obteſtamur, ut apud hos cauſam noſtram, imò potiùs veritatis, ſic agere digneris, ne libros noſtros damnent, ne proſcribant, ne eorundem lutionem vel publicis vel occultioribus edictis inhibeant. Nec enim periculum eſt aliquod, nec quicquam cœptæ reformationi officere poſſunt. Ut enim ſimplicitati per omnia, ita modeſtiæ quoque ſtuduimus. Nec deſunt ubique locorum, qui veritatem agnoſcunt & profitentur; quos librorum noſtrorum proſcriptio plus terrere, quàm cœptum reformationis ſtudium exhilarare poſſunt. Nôrunt hi Pauli ſententiam, qui omnia probare, & quod bonum eſt retinere jubet. Neque tanta eſt animarum noſtrarum inſolentia, quòd omnia noſtra privata authoritate pro divinis oraculis cuiquam hominum obtrudere velimus. Eccleſiarum verè fidelium judicia libenter ſuſtinemus, & quisquis tandem meliora nos edocere potuerit, nos gratos ſentiet. Tam juſta ergo petentibus, Te nequaquam defuturum eſſe ſperamus, ſcis enim nullius hominis authoritatem tantam eſſe, quin major eſſe debeat divinæ veritatis exiſtimatio. Reverendiſsimo Domino, Colon. Archiep. nos fideliter commenda, cui, ut

læta omnia precamur, ita nostram operam & studia omnia totis animis illi offerimus. Tiguri prid. Idus Martij Año 1545. Jam ante, cùm superstite adhuc Zuinglio, Controversia Sacramentaria agitaretur, malè multos, Lutheri amicissimos, habuit, quod adeò vehementer, ne quid gravius dicam, rem illam ageret; sentientes rationum ponderibus examinandam esse, non conviciorum plaustris obruendam. Ne, quæso, quisquam existimet, voluptatem nos in repetitis illis de Luthero quærere querelis; mallem planè abstinere, si & ipse abstinuisset, & alijs, justissimam, fatum Ecclesiæ deplorandi, materiam non præbuisset. Illud tantum volumus, ut ab homine humana aliena non fuisse, alij videant. Excandescentia hac, & dentatis ubique scripris amicos etiam sæpe à se abalienavit. *Capitonis* verbis exprimere liceat, quod nostris, non facilè proferremus. Ita ergò ad Zuinglium: *Gratiam & pacem, charißime frater.* Dici non potest quantum prosit irati Lutheri petulantia: Nam amicos, quos personata illa authoritate hactenus detinuit, offendit graviter, confirmat nostros. Hessus in hoc fuit, ut coràm Oecolampadius & Bucerus causam agerent. Sed nova turbatio Principum intercessit, quam opto & spero feli-

feliciter deſituram. Pace reddita, videtur congreſsio futura. Te putant fines Elvetiorum temerè non egreſſurum, quem ob benefacta malorum hominum acerbiſsima odia obſtruant, & fortaſsis impotentem adverſarij animum magis exacerbares coràm agens, qui abſentis moderato ſtilo tantopere exaſperatur. *Et poſtea.* Unum orant amici omnes, hoc eſt, Principes & Proceres, rerúmque publicarum Magiſtri, qui Tuæ parti favent, ut Luthero reſponſurus, tui ſis memor, neque ſinas te hominis improbitatem agere tranſverſum. Nam retaliando peſsima commeritum, magis ornares, qui ſua nefanda & prolixa maledicentia ſibi uni potiſsimùm nocet. Et tamen artes perſpicuis notis declarandæ ſunt, quibus inficere tentat veritatem: deinde, ſi quid ineptum reſpondet, refutandum; Poſtremò vulgaribus lectoribus & craſsioribus ſcribendum omnino, qui eruditionis Tuæ luce, perſpicua brevitate, nervoſiſque argumentis plurimùm capiuntur. Æquiſsimum verò in Te animum ex eo cognoſcunt & deprædicant, quod abs Te diſſentientem ferre potes: Nam ille Te devovet, ſpiritoſum, & Satanam ipſum facit: Tu contra duntaxat errantem, ſed pernitioſè ac protervius errantem. Hæc

capito,

capito, ad Zuingl. 15. Apr. 1428. Neque aliter Theologi, tam domeſtici, quàm exteri judicârũnt de reſtaurato iterum poſtea bello Sacramentario. *Gratias Tibi agimus, Bullingere candidiſsime, doctiſsimeque, non tam ob literarium Tuum munus; quod alioquin eſt chariſsimum, præſertim ab ipſo authore delatum, quàm communium Eccleſiarum noſtrarum nomine, quas ita à furibunda Lutheri ſugillatione vindicâſti, ut non tantùm fidei noſtræ rationes, ejusque cum Orthodoxa veterum fide collationem* toti mundo propoſueris, ſed & defunctorum manes ab importuniſsima hominis calumnia egregiè ſis tutatus. Conſtabit ſanè apud omnes, atque adeò apud Lutherum ipſum, niſi planè mente ſit deſtitutus, convitia, mendacia, nugas, blaſphemiam ab ipſo ſtare; Te autem maluiſſe modeſtia, pietate, cauſaque juſtiſsima decertare. Decebat ſanè Theologum tanti nominis, ut defunctorum optimè de Chriſtianâ Republ. meritorum manibus parceret, ut Eccleſias innoxias hujuſmodi convitijs non tam fœdè conſpergeret, ut pacto ſtaret, pacémque & concordiam nondum planè conglutinatam, aleret, ut ſcandali rationem haberet.

Sed

Sed dirum ſtringit calamum, &c. Ita *Simpertus Vogtius*, Scaffuſij die Aſcenſionis Dominicæ, anno 1545. Et Baſileenſium Theologus: *Lutheri convitia* (Martini Borrhai ad Bullingerum ſunt verba) *vir ornatiſsime, bonis hominibus, ut par eſt, vehementer diſplicent, tum ijs, quibus oportuit, tum illis etiam, quibus nunquam putâramus:* partim, quòd in mortuos, quibus communis naturæ ſenſus parcit, linguæ ſuæ virulentiam petulantiùs armavit, partim, quòd abuſus ſit tam præclaris Dei dotibus: Eum faſtum in convitiando declaravit, quem nec ætas, nec ſacra profeſsio, & multo omnium minimè gloria Dei ferat, qui humilia reſpiciens, excelſa dejicit, & humilia exaltat. *Is itaque humanæ fragilitatis exemplum in Luthero nobis propoſuiſſe videtur, quo admoniti diſceremus, quàm cuique demiſſè de ſe ſit ſentiendum, & de aliorum dotibus ac ornamentis æquiùs ſtatuendum, operâque danda, ut quemadmodum unius illius ampliſsimi corporis membra ſumus, ita alij aliorum munera & dona, quæ Dominus ad menſuram donationis capitis Chriſti nobis largitur, quò admirabilis Eccleſiæ ſtructura conſummetur, pro viril*

virili admiremur, &c. Ultimum multorum erat refugium, privatum Lutheri esse scriptum. *Nec ego putabam, ideo te non respondere, quòd non accepisses literas meas. At, mi Bullingere, ideo cogitationem de concordia cum tot Ecclesijs, cum tot myriadibus animarum, vel quovis modo retinenda in Domino, ne abjicias: Scriptum Lutheri privatum est, quàm longè aliud nos optare te credo non dubitare: propterea hoc tam afflicto Ecclesiarum tempore pugnas instaurare, id indubiè interpretabuntur multi, dolorem velle nos privatum lenire vulnere publico.* Ita Bucerus ad Bullingerum 18. April. 1544.

[b] Non negare fuit ausus Lutherus de æstu suo monitus τὸ ἄγαν; sed in Adversarios culpam solebat rejicere. *Pellicano* enim nostro, cùm ad modestiam ipsum aliquando hortaretur, placidè respondit, *se quidem sentire, quòd modum in scriptis contra suos adversarios aliquando excedat, importunitate tamen ipsorum hoc fieri*, extat Epistola in fine annot. in *Psalm. Luth.* Neque verò diffitemur, virum occupatissimum, atque ab adversarijs ubique lacessitum veniam forte

fortè mereri majorem, niſi in amica eandem agentium cauſam viſcera eadem ſævijſſet licentiâ. Melanchthonis, aliorúmque ad manus ſunt documenta, quibus hæc in Pericle ſuo fulminandi conſuetudo diſplicuit. *Frechtum* audiamus, Ulmâ ad Blaurerum ita ſcribentem: *Quòd ad binas tuas pietatis & amoris in me Tui pleniſſimas, unis hiſce, & quidem rudibus reſpondeo in meliorem partem, pro eximia tua, quidvis in bonam interpretandi facilitate, interpretaberis: Nam partim animi mœrore impeditus, partim optimi noſtri Juvenalis ſuavitate illectus, plura nunc non potui reddere. Certè cum electo Chriſti organo, Philippo Melanchthone, ita hiſce diebus ad me ſcribente, præfari libuit: Si tantum lachrymarum profunderem, quantum vehit aquæ veſter Danubius, tamen dolor meus non exhauriretur, quem mihi affert inſtauratio belli* περὶ δείπνȣ. *Nec de mearum rerum mutatione valde angor; doleo turbari Eccleſias, non ſanari. Nam controverſia his rixis non explicatur, nec dirimitur. Multa mecum cogito, de quibus fortaſſe brevi colloquemur. Hæc Philippus, ut ex ipſis meis*

visceribus exprompsit, sic non dubito, & te tuique similes adfectos esse. Nihil ergo nunc remedij superesse video aliud, quàm ut, Thure dato, hunc invocemus, qui ex improviso medicas manus adhibeat, ut recrudescens vulnus suis denuò cicatricibus obducatur. Et Bullingerus eadem ad me perscripsit, qui tamen causa, ut ipse dicit, Deóque fidens, hoc negotium recipit, quàm modestissimè tractaturum. Faxit Deus pacis, ut ita Tigurini, quando omnino respondere tanto Lutheri τῷ θυμῷ, in animum induxere, calamum moderentur, ne quid & Evangelica veritate, & seipsis indignum committant. Non ignoras, ut in eadem pugna olim Francofordiani ad Mœnum Ecclesiastæ se Luthero Antagonistas exhibuêre. Vellem, si fieri posset, nonnisi ex præscripto Philippi, Buceri, D. Vadiani & Tuo, Tigurini Apologiam reponerent. Scio, ista Lutheri asperitas ita Zuinglianos & Oecolampadianos exasperabit, ut consilijs locus nullus futurus sit reliquus. Fiat Domini voluntas, ex inimicis amicos facientis, si hominis via placeant sibi. Obiter licuit Luthe-

Lutheri librum ſatis impetuoſum legere, quem, ubi licebit, perlegam diligentius. Quid, quòd de ipſo Melanchthone Blaurerus, ad Vadian. *Bucerus noſter nudius tertius ad me iſta; inter alia, ſcripſit*: Philippus valde periclitatur, & Pontano dixit; ſi ille ita pergat; Lutherum cum ſua iſta nova Confeſsione intelligens; ſe de alio hoſpitio viſurum. Privati certè honoris patrocinium in eo deprehenſum fuit majus, quàm cauſſæ expediret publicæ. Pacem cum Reformatis cæteris Eccleſiaſticam tantò ægriùs admittere voluit, ne in ſuſpicionem adduceretur vel fides vel authoritas Lutheri. Verba ex actis Concordiæ Wittebergenſis inſeruimus *Primit. Heidelb.* noſtris. Planè ut in cauſa cum Carolſtadio: ubi judicatum eſt tunc à viris prudentibus, utrumque privatæ ſtudio gloriolæ pluſculum indulſiſſe, & idcirco Lutherum, cùm videri vellet modum agendi Carolſtadianum tantùm damnare, doctrinam non item; turbine tamen affectuum eò abreptum fuiſſe, ut RES NIHILI vocaret communionem ſub utraque ſpecie; Miſſam, abolitionem imaginum, & id genus alia, utque etiam ea auderet dicere inordinatè eſſe facta, quę deliberato Theologorum, & Juriſconſultorum Wittembergenſium conſilio

facta, à Principe Electore fuerant approbata. Nec difficile fuerit ex ipsorummet scriptis hoc divinare. Hoc enim nomine Carolstadius Lutherum accusat, quòd omnes alios suæ authoritati quasi mancipatos velit, neque ijs permittere, ut aliquid vel scribant, vel faciant, se non præeunte. Lutherus contra; *Ille* (de Carolstadio loquitur) *cupiebat fieri subitò novus Magister, & suas ordinationes in populo*, PRESSA AUTORITATE MEA, erigere. Fuerunt è discipulis Martini, quibus minimè ille probaret, quòd odio Carolstadij Pontificios ritus, & devotionem etiam Papisticam, aliquam multos annos retineret, quam tamen fassus est, esse nervum illius persuasionis impiæ, fingentis, sacrificulos offerre Christum pro vivis & mortuis, & hac oblatione mereri sibi & alijs remissionem peccatorum.

SECTIO III.

Sectio III.

De Calvino.

Calvini breviter proponitur vita. 2. Syllabus observationum de a. Tempore reformationis ejus. b. Modo. c. Eximijs donis; quæ ipsi in illo animadverterant adversarij.

I. Calvinus supereſt, celebris ille Ecclesiarum Gallicarũ, Genevensis eumprimis, Theologus ſolidiſsimus pariter atq; profundiſſimus. Vitã ejus prolixè deſcripſerunt tã Hiſtoricè, & *indicativè*, quàm etiam *vindicativè*, Beza, Rivetus, Boxhornius, Theodor. Zuingerus, Alexand. Morus, alij: nobis ſuccincta ſufficiat προσωπογραφία. Natus eſt Johannes Calvinus Novioduni Veromanduorum an. Chr. 1509. VI. Id. Julij, Patre *Gerhardo Calvino*, matre *Johanna Franca*, utroque honeſtæ famæ, & mediocribus facultatibus, parente. Prima Latinitatis hauſit elementa Lutetiæ, præceptore *Maturino Corderio*, poſtea Hiſpano quodam, viro non erudito. Et quia ſtudio Theologico fuit deſtinatus, Pater ab Epiſcopo Noviodunenſi beneficium in Eccleſia Cathedrali, ac deinceps curam in pago, urbi vicino, ubi

aliquot ad populum, antequam Gallia exiret, habuit conciones; facilè impetravit. Mox tamen, mutato consilio, ad Jura animum applicuit, brevíque tempore, præeunte Celeb. J. C. *Stella*, Aureliæ magnos fecit progressus, adeò ut Doctorum vices sæpe ipse obierit, & insignia Doctoratus absque ullo pretio oblata ei fuerint. Perrexit interim sacris operari, in multam noctem lucubrare, consilium rogantibus de religione suppetias ferre. Cúmque *Andreas Alciatus*, Jurisconsultorum facilè princeps, ab Academia Bituricensi ex Italia vocatus, sedem mutâsset, ipse etiam è vestigio Calvinus audire eum voluit. Eò autem profectus, & literaturæ, & religionis nomine amicitiam ambivit *Melchioris VVolmari*, Rotvvilensis, Professoris Græci, quo etiam auctore Calvinus literas Græcas didicit. Paulò pòst tamen Luteriam reversus anno ætat. 24. commentarium scripsit in libellum *Senecæ* de Clementia; cúmque ijs, qui puriori jam religioni operam darent, innotuisset, reliquis studijs abjectis, Deo se consecravit, Rectorique Parisiensi, *Nicolao Copo*, *Guilelmi Copi*, Basileensis, Regij Medici, filio, author extitit, ut in oratione, quam Calend. Novemb.

vemb. habiturus eſſet, purius & apertiùs, quàm antea conſuevissent, de religione diſſereretur. Quod & Sorbonæ & Parlamento ita diſplicuit, ut, niſi Regina Navarrenſis, unica Regis Franciſci Soror, interceſsiſſet, in diſcrimen, dubio procul, vitæ incidiſſent. Seceſsit igitur Calvinus in agrum Santonicum; indéque Neracum, Aquitaniæ urbem, in quam à Regina velut in portum, ſubductus erat *Faber Stapulenſis*, qui Calvinum juvenem & excepit, & libenter vidit, futurum augurans inſigne cæleſtis in Gallia inſtaurandi regni inſtrumentum. Mox Lutetiam redijt, quo jam etiam venerat *Servetus*, qui eo anno (1534.) venenum ſuum ſpargere ibi cœpit: Perſecutionum verò flammis extrema minitantibus, Calvinus, poſtquam Aureliæ Pſychopannychian edidiſſet, deſerere Galliam protinus ſtatuit. Itinere igitur per Lotharingiam ſuſcepto, Baſileam tandem venit, literis potiſsimum Hebraicis vacaturus. Nata autem non longè poſt occaſione publicè inclareſcendi, ex continuata in fideles carnificina, quam ægrè ferebant Principes Proteſtantes; in publicum ille paulatim prodijt. Ut crudelitati color quæreretur, Anabaptiſmus inventus eſt, cui Rex Franciſcus extirpando vires ſuas impen-

 debat.

debat. Quod dedecus veræ religioni injuſtum ægrè ferens Calvinus, anſam libri Bezæ judicio *incomparabilis*, in vulgus mittendi, arripuit. Edito ergo primo *Inſtitutionum religionis Chriſtianæ* rudimento, Ferrariæ Duciſſam, Ludovici XII. filiam, cujus tum pietas celebrabatur, ſalutavit, & in pietatis tramite confirmavit. Reverſus inde in Galliam ita ſua compoſuit, ut adjuncto comite, *Antonio*, unico fratre, meditaretur iter Germanicum, ut vel Baſileæ, vel Genevæ figeret pedem: Interclufis autem vijs per Allobrogum fines eundum erat. Genevam cùm, nihil tale cogitans, perveniſſet, inviſit *Guilelmum Farellum* Delfinatem, & *Petrum Viretum* Orbenſem, quorum laboribus jam Deus in reſtituto Evangelio Genevæ benedixerat; qui Calvinum, ut operam jungeret, feriò, ſed fermè fruſtra; donec Dei pœnam minaretur; obteſtatus eſt. Magiſtratûs tandem diſpoſitionem expectans, ad publicam potiùs Profeſsionem, quàm munus concionatorium attendens, utrique Provinciæ præficitur an. Chr. 1536. Jactâ ſemel aleâ, & Spartâ illâ publicâ ſuſceptâ, nihil Calvino prius fuit, quàm ut eximiè illam exornaret. Formulam edidit

dit emergenti vix à Papatu Genevensi Ecclesiæ accommodatam; cum Catechismo, brevi tamen, & diverso ab eo, qui jam in Ecclesijs Gallicis obtinet: Simúlque, ut ejurato palàm Papatu, Cives alijs religionis capitibus, & regimini se subjicerent, impetravit: Quod etsi ægrè illius, quibus avita magis placebant sacra, insinuari potuerit; receptum tamen tandem fuit, solenni præeunte juramento d. 20. Julij 1537. Exemplo, dubio procul, cæterarum per Helvetiam Reformatarum Rerumpublicarum, quæ nullis, nisi in eadem sacra venientibus, aditum ad consessum publicum Senatorium concedunt. Et quanquam tum *Anabaptistæ*, tum P. *Caroli* vel Acheronta moverent, ut felicibus illis Reformationis auspicijs intercederetur; frustra tamen & irritus fuit eorum conatus. Illi unica disputatione 18. Martij 1537. & confusi, & penè in nihilum (valde enim obscurum est in Genevensi Ecclesia Anabaptistarum nomen) redacti sunt. Hic verò, cum Reformatores *Farellum*, *Calvinum*, *Viretum* impijs & blasphemis calumnijs, quasi de S. S. Trinitate non rectè sentirent, lacerâsset, falsi convictus, dignum labore præmium reportavit. Turbârat aliquandiu Ecclesias, præsertim apud Medio

matrices , donec ad vomitum (ex Sorbona enim prodierat) rediens, Romam abire, criménque expiare juberetur: Ubi cum ludibrio exceptus, premente inopia, & Gallica scabie, vix in Xenodochium receptus, miseram paulò post inglorius efflavit animam. Interea, dum Calvinus eos, qui existimabant Christum cum receptis ceremoniis Pontificijs subsistere posse, erudire, foris perrexit; domi novis turbis Ecclesia fuit exposita. Et quia tum inter familias quasdam primarias simultates erant periculosæ, tum etiam vita cleri in Papatu, ita composita fuit, ut simul & semel in omnibus emendari non potuerit: de illis ergo conciliandis, his in ordinem redigendis, Calvinus cum Coraldo, Collega, seriò cogitat. Sed cùm tota Civitas scissa medicinam admittere nollet, heroico tandem Spiritu *Farellus*, *Calvinus*, *Coraldus*, testati erant, sese Cœnam Domini tam inter se discordibus, & ab omni Ecclesiastica disciplina alienis civibus, ritè celebrare non posse. Accedebat, quòd ab Ecclesijs Helveticis, quibus, ad exemplum Christi, panis placebat in Cæna Domini azymus, discreparent. Inde, cùm occasio malevolis exercendæ vindictæ, affulgere videretur, convocato populo decretum fit

de

de tribus illis Miniſtris urbe ejiciendis, & quidem intra biduum. Quod & fieri debuit; neque Calvinus, quem in vicinia noſtri habere maluiſſent, vel D.D. Bernenſium reſtitui potuit interceſsione. Argentoratum ergo abijt, benignè tam à Magiſtratu, quàm à Theologis, in Profeſſorum, & Miniſtrorum numerum fuit receptus, novámque adeò ibidem Eccleſiam plantavit; quæ utinam primam charitatem, & quam tum accepit, ὑποτύπωσιν doctrinæ, poſtea etiam retinuiſſet. Subodoratus Calvini abſentiam, Vir in Eccleſia Romana, nec facundia, nec authoritate poſtremus, vitæ præterea non flagitioſæ, *Jacobus Sadoletus*, Cardinalis, qui doctiſsimis & elaboratiſsimis ad S.P.Q. Genevenſem literis hoc magno egit conatu, ut urbem Romæ reſtitueret. Nemo tum erat, qui flumen illud, imò torrentem eloquentiæ ſiſtere, aut opponere ſe illi poſſet. Adeò omnes collegit copias, ut ſi notâ virus ſuum ſparſiſſet linguâ, multos, procul dubio, hamato ſuo eloquio ineſcâſſet. Calvinus, injuriarum oblitus, hoc non modò, ut orationem habuit fulminantem, opprobrium ab Iſraele avertit, adverſarium ad ἐχεμυθίαν redegit; ſed & literis Genevenſes ſuos ad pietatem, pacem & concordiam, cum Paſtori-

storibus præsertim suis, hortatus fuit. Quin & scriptis publicis (auctiori *Institutionum* editione, Commentarijs in Epistolam ad Romanos, libello cumprimis de Cæna Domini; quo, Bezæ testimonio, argumentum illud ita dextrè simul ac eruditè videtur explicâsse, ut ea tot infelicissimarum controversiarum decisio, in qua doctissimus ac optimus quisque meritò acquievit, illi potissimum secundum Deum accepta feratur; conversione Anabaptistarum) fidem suam tam Deo probavit, quàm industriam Ecclesiæ. Mansit ergo Argentorati Calvinus ad annum 1541. quo & Wormatio-Ratisbonensibus interfuit Comitijs. Syndicis interea illis (ita enim sæpe fieri solet, ut unius atque alterius impotentia integræ fraudi esse possit Reipublicæ & Ecclesiæ) quorum artibus, ut Calvinus cum Collegis expelleretur, fuit impetratum, tragicè, altero per fenestram præcipitato, altero verò capite multato; sublatis, Calvinus honorificè Genevam revocatur: Quam tamen vocationem, etsi Tigurinorum etiam intercessione commendatam, nec Calvinus, nec Argentinenses habuissent ratam, nisi Bucerus gravi denunciatione judicij divini, & proposito Jonæ exemplo, abitum ejus impetrâsset.

Abij-

Abijt ergo, ſed cum ſpe reditus; qua etiam lege à Magiſtratu, veluti mutuum, fuit dimiſſus. At ubi Genevam redijt, tanto cum applauſu fuit receptus d. 13. Sept. ut quieſcere prius Magiſtratus noluerit, donec ſuo Argentinenſes cederent repetendi decreto, quod & factum eſt, ſalvo tamen jure Civitatis honorario, & præbendæ annuæ, quorum tamen poſterius Calvinus, ut qui nec opes curaret, nec in modica in ſua familia ἀτέκνῳ multis haberet opus. Genevam reverſi prima fuit cura de Presbyterio, & ea ἀταξίᾳ Eccleſiaſtica, quam loco illi rectiſsimè convenire cum Collegis exiſtimavit. Hanc multis licèt reclamantibus, tantò facilius obtinere potuit, quòd medicinam illam ſuæ potiùs Eccleſiæ corpori quàm veluti accomodaret, ſimpliciter neceſſariam, Panaceam & tanquam omnibus obtruderet, aut cæteras ceu non Chriſtianas Eccleſias, damnaret: Catechiſmum etiam conſcripſit uberiorem, admirandum, *Bezæ* calculo, quoddam opus, quod in omnes propemodum Linguas, Hebræam etiam à *Tremellio*, & Græcam ab *Henrico Stephano* elegantiſsimè eſt converſum. Alia mox ſecuta certamina, tum domi; occaſione famis, peſtis; tum foris, à novis Sorbonæ tentatis, contra reformatam religionem, & Al-

& *Alberto Pighio*, Campensi Sophista, seculi illius facile Principe; cujus de *libero Arbitrio* controversiarum quatuor libri, adversarium omnium bonorum exposuerunt justissimæ censuræ, ne dicam ludibrio. Aliud anno 1544. contra Castellionis tum notas in N.T. νεωτερίζουσας, tum temerarium ostracismum θεοπνεύστου illius Cantici Canticorum, paratum erat discrimen: In quo tamen cum veritate iterum triumphavit; Libertinismo etiam, qui in Galliæ fines jam irruperat, & in aulas se insinuârat, jugulum ita petiit, ut nullum deinceps, nisi cum ratione insanientis, metuendum fuerit periculum. Ex peste, quæ Genevam multum attriverat, nova, eáque, quam inauditam antehac fuisse exïstimo, & urbi & Calvino insultandi materia nata: Supplicium, quo maleferiati nonnulli, qui domorum postes & limina pestifero unguine infecerunt, erant affecti, magnam utrique conflavit invidiam. Continuavit ergo eodem ferè tempore pestis, continuavit persecutio, præsertim in Waldenses Merindolæ & Cabrieris: Continuavit dissidium Sacramentarium: Continuârunt lites domesticæ tum de jure Civitatis, tum de bonis Ecclesiasticis. Accessit nova δοκιμασία

μανία ex adventu Civis quidem Genevenſis, ſed veteratoris inſignis, qui per fas, per nefas, in miniſterium ſe voluit ingerere; repulſam tamen paſſus, didicit, Calvinum in deprehendendis aliorum ingenijs fuiſſe judicij ſagaciſsimi. Pſeudo-Nicodemitis inſuper, quorum Gallia tum fuit ferax, larvam detraxit. Necdum illis, quibus licentia vitæ ſemel placere cæpit, cum Calvino convenerat. Novi ergo motus per *Perrinum*, virum factionibus potiùs, quàm authoritate magnum, Genevæ excitati, Calvinum per triennium occupârunt quidem; neque tamen ita fregerunt, quin & publicis ſcriptis prodeſſe pergeret; & cumprimis an.Chr.1549. conſenſum in doctrina Sacramentaria cum Eccleſijs Helveticis & Rhæticis ita inſtitueret, ut & ſuſpicione ſe; quaſi conſubſtantiationi nimium faviſſet; liberârit, & noſtras Eccleſias à reatu vacuorum Symbolorum maſculè aſſeruerit. Certamini inſuper περὶ ἀδιαφόρων, ſe, conſultus ab amicis, immiſcuit. Quanquam verò nihil, quod magnum Theologum, bonis omnibus commendare poterat, intermiſerit, magnam tamen inter ſuos etiam ſuſtinuit invidiam, adeò ut libellis famoſis, ignominioſisque appellationibus eum turpiſsimè lacerâ-

cerârint; ex *Calvino Cainum*, excrabili vindictæ studio, confingentes. Sed lusus erant & jocus ad sequentia, quæ anno 1551. acciderunt. Factiosorum improbitas eò ardentius efferbuit, quò diutiùs sopita antea fuerat. Palàm negatum fuit, cum adventantibus exulibus Civitatis jus communicandum; nec eo contenti, Calvinum ipsum ex concione trans Rhodanum habita redeuntem, per ludibrium pulsârunt; *Bolsecum* ex Carmelita Medicum ἀρχιγέννητον, Theologum verò Jejunum, crudum; qui ut ægrè faceret Calvino, Heterodoxiæ ipsum arguere, Pelagiúmque in Ecclesiam Genevensem introducere constituit, nonnulli foverunt. Id tandem maledicus consecutus Monachus, ut doctrina de *Prædestinatione* purior prodiret, & ab universa Ecclesia Genevensi approbant, cæteris facilius commendaretur. Sed quia post Reformatorum Zuinglij & Lutheri excessum, quæstio illa ab alijs intacta fuit relicta, ab alijs minus commodè explicata, ab alijs invidiosè exagitata, factum hinc ut & clandestini adversarij, *Castellio* &c. erumperent, & amici quoque; ipse etiam *Melanchthon*; sequius sentirent, & aperti hostes venenum suum in Calvinum, quasi Deum authorem faceret peccati,

ti, quod jam ante contra Libertinos à ſe amolitus erat crimen; fatum Stoicum reduceret, expuerent. Sed & hinc cum triumpho eluctatus, eo maximè, qui Calvino moleſtiſsimus erat, ex Eremita cauſidicus, culpam deprecante. Serveti an. Chr. 1553. ſucceſsit Camarina, quæ & periculoſa multis fuit nominibus, & *Calvini*, quaſi rigidior eſſet diverſorum ſacrorum cenſor, & ultricibus flammis in eum, qui cum illo per omnia idem non ſentiret; ſæviret, valde funeſta, ut quo aliud nihil impetrâſſet, quàm quòd eodem deinceps argumento graviùs in noſtros Eccleſiæ Romanæ Antiſtites, eſſent animadverſuri: Non obſervantes, turpiſsimum *Servetum*, verè *Perdetum*, fortunæ ſuæ infelicem fuiſſe fabrum, ut qui, infinitarum contra Chriſtianæ fidei myſteria, blaſphemiarum reus, ex omnium, Helveticarum etiam Eccleſiarum, ſententia, ad vivicomburium fuerit damnatus. Non proinde; ita proteſta... Theologi Genevenſes; de Serveto ſupplicium ſumtum, veluti ſectario, ſed tanquam de monſtro, ex mera impietate, horrendiſque blaſphemijs conflato, quibus totos annos triginta tum voce, tum ſcripto cœlum & terram infecerat. Quid moleſtiæ Calvino pro conſervatione Presbyte-

rij,

cum infamia contradicentium (*Bolſecus* enim finibus fuit excedere juſſus) vel pœnitentia, quam paulò ante obitum *Zebedæus* apertè teſtatus fuit, deferbuit. Morbus anno 1556. Calvini vitam adeò reddidit deſperatam; ut Noviodunenſes jam Canonici, Idolis ſuis pro hac victima gratias egerint. Verùm ita revixit, ut non modò Francofurti diſsidia Gallicanæ Eccleſiæ ſuſtulerit; ſed etiam doctiſsimos in Pſalterium commentarios vulgârit. Graviter interim lancinatus novis per Galliam contra Chriſtianos, calumnijs, diríſque ſupplicijs, quibus tamen tum modeſta calumniarum deterſione, tùm Principum Germaniæ interceſsione, ita medicina fuit allata, ut tempeſtas illa nonnihil quieverit. Supervenit paulò pòſt (ita unda truſit undam) *Valentinus Gentilis,* homo vafer & verſipellis, Tritheita impudens, qui, impietatis convictus, eoque etiam ad pœnitentiam, propria veritatis ſubſcriptione compulſus, dimiſſus quidem fuit Genevæ, præſtito tamen jure jurando, ut ne portas urbis excederet. Sed violata mox fide primò ad *Gribaldum,* poſtea ad *Alciatum, & Blandratam* in Moraviam diſceſsit, reverſus tandem à Gajenſium

Præfecto Bernam missus, non immerito, impietatis luit pœnas. Et hic quoque Calvino asserendæ pietatis Christianæ præbuit materiam. Anno 1559. febri octimestri ita fuit correptus, ut nunquam postea amplius convaluerit. Pertinacissimis interim curis & laboribus, reliquo, quod ferè supererat sexenio (vivere enim desijt d. 27. Maij. 1564.) exesus, omnino probavit suo exemplo, Deum in infirmis suum exerere robur. Planè enim erat incredibile, in corpusculo tam infirmo, tot laboribus exhausto, tot denique morbis attrito, tam fortem ac generosum animum, tam diu contineri potuisse. Præterquam enim, quòd corpore fuit naturâ imbecillo, macilento, & ad tabem ultrò inclinante, dormiens penè vigilabat, magnam anni partem concionando, docendo, dictando, consumebat. Per decem minimùm annos prandio abstinuit, ut nullum omnino cibum, extra statam cœnæ horam sumeret; ut mirum sit, eum phthisin tam diu effugere potuisse. Fuit autem ei hemicrania familiaris, cui solâ illâ inediâ medebatur, adeò ut nonnunquam totas 36. horas cibo abstineret. Sed & partim ex vocis contentione, partim, quod serò nimis animadversum est, ex immodico aloes usu, primum in hæmorroidas,

das, eáſque tandem ulceroſas, deinde quinque ante mortem annis in ſanguinis exſcreationem aliquoties incidit. Quartana verò ipſum deſerente, ſucceſſerunt in dextro crure podagra, colici ſubinde recurrentes dolores, calculus denique, quem alioquin nunquam, niſi aliquot ante mortem menſibus, ſenſerat. De quibus, ut & cæteris, colloquijs præſertim ejus emortualibus, Teſtamento, ſepultura, calumnijs, earundémque retorſione, Catalogo ſcriptorum, &c. legi poterit exactiſsima *Theodori Bezæ* Proſopographia Calvini, Comment. in lib. Joſue præfixa. Si de fratribus turbantibus ipſum audire placeat *Calvinum*, adi Epiſt. pag. 138. *Si decima tantum ex parte ſcias, quàm atrocibus probris lacerer, pro tua humanitate ingemiſcas miſerijs, ad quas obdurui; undique me canes allatrant, hæreticus paſſim vocitor: Quicquid fingi calumniarum poteſt, in me congeritur: Denique me invidi, vel malevoli ex grege noſtro infeſtius oppugnant, quàm aperti hoſtes in Papatu.* Qua fronte Hugo Grotius illum *Serveti exuſtorem* appellarit, *Alexander Morus* in ſuo Calvino pag. 65. &c. diſcuſsit. Sed & Epiſtola ejus ad Lutherum, quam ad calcem

ex autographo idem subjecit, testis est solicitæ curæ pro ijs, qui à tenebris Papatus reducti ad fidei sanitatem, nihil tamen de Confessione mutare, ac perinde se polluere sacrilegijs Adversariorum, quasi nullum veræ doctrinæ gustum haberent. Memorabilia cumprimis ultima ejus ad Lutherum, quando à vitæ termino non longè abfuit, sunt verba: *Utinam vel mihi, quò saltem ad paucas horas tuo congressu fruerer, liceret advolare. Mallem enim & longè præstaret non de hac quæstione modò; sed de alijs etiam tecum coràm agere. Verùm, quod hic in terris non datur, brevi, spero, in regno Dei nobis continget.*

II. Atque hæc κατ᾽ ἐπιτομὴν de Calvini vita, continua serie enarrata: Videamus jam pauca quædam ἀξιομνημόνευτα, ad pleniorem Calvini nostri notitiam apprimè facientia.

A. *Calvinus, ratione quidem temporis inter posteriores meritorum tamen respectu inter primos locum habere debet Reformatores.* In Germania enim, Helvetia &c. res religionis satis altas egerat radices: Geneva etiam Farelli & Vireti opera Papismus erat labefactatus. Ea tamen prudentis hujus Architecti, ad ædificij Ecclesiastici

ſtici acceſsit cura, induſtria & peritia, ut injuriam faciat maximo viro, qui, etſi ultimum propemodum tempore, non tamen primis illum annumeret donis, & pro Evangelio certaminibus.

B. *Calvinus non craſſos modo, qui in ipſa praxi palpabiles erant abuſus & ſuperſtitiones, de Pontificia authoritate, cultu imaginum, & reliquiarum, Sanctorum invocatione, Confeßione, Miſſa &c. maſculè & nervosè refutavit; ſed etiam ſubtiles, qui Scholas potißimum vexabant, errores correxit.* Unde de Decretis Dei, Providentia actuali, amplitudine objecti ejus, Juſtitia Chriſti imputata, &c. prolixius ſcripſit, quàm Anteceſſoribus ejus per alias occupationes licuiſſet. Craſsiores enim primum reſcindendæ erant cortices, tum de medulla accuratius cogitandum.

C. *Donis animi* ἐξαιρέτης, *excelluit.* Conceptus ejus ſubtiles erant, & acutiſsimi, genus loquendi admirabile, tota denique vita aſcetica & in exemplum poſita. Unde & Calvini nomen non noſtris tamen venerabile; ſed & adverſarijs terribile ſemper fuit atque celebre. Ex *Germanicis* Doctoribus primarij ejus amicitiam quæſiverunt, quæſitam religiosè obſervârunt. Lutherus, Melanchthon, Brentius &c. plurimis eum elogijs cohoneſtârunt. *Luthero* vir fuit *doctus,*

 & pius,

& pius, quem optâſſet arbitrum in contro-verſia Eucharistica: quem deſignavit, ſuo præconio, Papatus plenum deſtructorem; quem, Epiſtolâ ad Calvinum ipſummet datâ, non ſolùm humaniter, ſed & reverenter ſalutavit. *Melanchthon*, Lutheri Achates, gaviſus fuit, ipſum divinitus ad Evangelij explicationem fuiſſe excitatum; Epiſt. 1543. commendavit judicij ipſius, animi integritatis, & candoris magnitudinem, Epiſt. 1552. In colloquio Wormatienſi à *Philippo & Crucigero*, titulo *Theologi* publicè honoratus eſt, & quidem tanto cum conſenſu, etiam in doctrina Eucharistica, ut *Calvinus* anno Chr. 1545. Epiſt. ad Philipp. Deo, ea de cauſa, maximas egerit gratias. *Bucero* fuit Vir doctiſsimus & ſanctiſsimus: Symmyſta unicè colendus: imò Buceri cor & animus. *Brentius, Jacobus Andreæ*, ſalutant eum in literis *Amicum, Reverendum, Doctiſsimum, Fratrem in Chriſto obſervandum. Andreas* ex profeſſo eum defendit contra ipſi imputatum Manichaiſmum, de Deo authore peccati, in ſua Narratione de *Conſenſu & Diſſenſu Theolog. Auguſt. Confeſſ.* Quin & ipſorum *Pontificiorum* manifeſta de Calvini eruditione, vitæ probitate, & auſteritate extant

tant elogia. *Thuan.* Hiſt. lib. 36. *Paulò ante 13. Calend. Jan. Johannes Calvinus Novioduni in Veromanduis natus, acri vir ac vehementi ingenio, & admirabili facundia præditus, tum inter Proteſtantes magnì nominis Theologus; cùm ſeptennium integrum varijs morbis ac cruciatibus conflictatus eſſet, nec minus propterea in munere ſuo aſsiduus, aut à continua ſcriptione abſtineret, tandem ex reſpirationis difficultate Genevæ, in qua 23. annos docuerat, obijt, cùm penè 56. vitæ annum explevißet.* *Stapleton.* Præfat. ad Antid. Evangel. & Apoſtol. Oper. Tim. 3. *Sanè, præter accuratam Catholicorum dogmatum vel refutationem, vel reprehenſionem (quo nomine ſuis mirabiliter placet) ubi ea aut refutandi aut reprehendendi locus nôn eſt, ita in reliquis quo ad literam Interpres eſt diligens, ita moralis, ita elegans, & ſuavis eſt, ut hac varia eſca propoſita, & veluti in aureo poculo propinato veneno, etiam ab ipſis Orthodoxis avidè interdum legatur, qui in dictione pura doctrinam vix cavent impuram: quos etiam aliquando exoptare au-*

divi, ut resectis quæ contra Ecclesiam & fidem disputantur, castratus prodiret; sic enim commentarios ejus perutiles fore. Panigarula Lect. 2. *Calvinus, Auditores, erat vir vivida mente, quam utinam bene applicâsset, ingenio perspicuo, stylo puro: Facundiâ magnâ pollebat, & inlectione multarum rerum versatus erat.* Florimundus Raimundus, de Natio. hæres. lib. 7. c. 10. Johannem Calvinum fuisse ingenio admirando, vivo, acuto, & promtissimo in imaginationibus suis, in conceptionibus suis excitatissimo, fuisséque virum commendatione dignum, si vitijs separatis, potuissent solæ virtutes reservari. *Barclajo,* ipsi quoque Pontificio, admiratio eloquentiæ ejus, hoc elogium extorsit:

Et qui ter geminam rides, Calvine, coronam,
Et Latium Latio destruis eloquio.

Porrò *Petrus Matthæus*, Historicus Pontificius hoc cum elogio ornavit: *Vix repertus est, qui Calvinum æquaverit in perferendis laboribus.* Verba ejus ex L. 7. c. 10. Latinè reddita habent: *Sub arido & exili corpusculo semper acri & vivido fuit ingenio, in respondendo promtus, ad aggrediendum audax, magnus Jejunator, etiam ab ipsa adolescentia,*

leſcentia, ſive quòd ita valetudini conſulere vellet; & hac abſtinentia hemicranij fumos, quibus affligebatur, diſſipare; ſive, quòd Spiritu minus gravato ſcribere, ſtudijs vacare, & memoriam excolere cuperet. Item: *Vix repertus eſt, qui Calvinum æquaverit in perferendis laboribus. Spatio enim annorum 23. quibus in Epiſcopatus Genevenſis poſſeſſione manſit, ſingulis diebus conciones habebat, binas etiam ſæpe diebus Dominicis. Singulis hebdomadibus Theologiam publicis prælectionibus explicabat, & ſingulis diebus veneris colloquio Paſtorum intererat, ſive collationi, quam congregationem appellabant. Quod reliquum erat temporis, aut libris ſcribendis, aut reſponſis ad literas &c. impendebatur.* Da*vila*, denique Italus, Gallicarum rerum ſcriptor; ad an. Chr. 1559. Edit. Lugd. pag. 17. *Poſteaquam Martinus Lutherus in Germania novo in religione Schiſmati, & varijs in fide opinionibus viam aperuit, Johannes Calvinus oriundus Novioduno Picardia oppido, magno vir ingenio, ſed inquieto, admirabili facundia, vana & multipli-*

ci eruditione &c. Et paulò poſt: *Ita ut Calvinus, qui principio habebatur homo parvi pretÿ, & ingenÿ ſeditioſi ac inquieti, brevi temporis ſpatio venerationem ſibi multorum acquiſiverit; ac pro novo & mirabili Scripturæ interprete, ac propemodum pro certo & infallibili veræ fidei Doctore habitus fuerit.*

III. Atque hinc manifeſtum eſt hominis non eſſe ſeparare, quod æterna ſua ſapientia conjunxit Deus: Placuit Deo Ter Opt. Maximo hanc potiſſimum [a] eligere trigam, ad liberationem Eccleſiæ ex ſqualido ſuperſtitionis & tyrannidis carcere: Non ergo noſtrum jam erit ſuperciliofo faſtu hanc οἰκονομίαν cæleſtem vel reſtringere, vel obeliſco temere notare, vel uni tantùm ferre acceptum, quod Providentia Dei deſtinavit per multos. Et quanquam hic etiam πολυποίκιλος θεοῦ σοφία per χαρισμάτων διαίρεσιν fuerit mani feſtata; ita tamen ſuis ſinguli erant inſtructi extraordinarijs Spiritus Sancti donis, Reformatores, ut in omnium

omnium concurſu nihil, ad perficiendum tam inſigne opus, potuerit deſiderari.

[a] Conſtat equidem, plures eodem tempore in Germania, Gallia, Anglia in perniciem Papatus extuliſſe caput; qui tamen ad horum trium Heroum merita non acceſſerunt. Hi erant viri illi, qui contemptis hoſtium caſtris, Bethlehemum perumpere, & aquam inde vivam, Chriſtum Meſsiam, petere, fuerunt auſi. Non ergo cum aliorum, præclarè etiam meritorum Dei Miniſtrorum μειώσει, ſed celeberrimæ hujus trigæ φανερώσει, in ipſis etiam Refotmatoribus, tum ἀρετὴν ζυμφερτὴν in eodem opere, tum diverſa admiramur dona. Operis communis reſpectu, omnes tres ſingularia honoris divini aſſerendi & vindicandi fuiſſe organa, in confeſſo eſt. Vox populi, eruditorum applauſus, Magnatum conſenſus, ipſum denique opus, artifices illos commendant. Πρωτεῖα Zuinglio in hoc certamine debentur, quòd primus ratione temporis in acieſteterit, technas, & ſtratagemata detexerit, hoſtem veluti nudum, & S. Sc. armis deſtitutum objecerit; quem *Lutherus* poſtea inſecutus, apertóque, aggreſſus Marte id feliciter expedivit, quod plures

plures antea rentare facilius poterant, quàm dare effectum: *Calvinus* latentes hinc inde profugos extraxit, totúmque adeò, tum circa dogmatum veritatem, tum vitæ integritatem, quæ superesse poterat tenebrarum potestatem, captivam abduxit: In assertione veri felicior & promtior fuit *Zuinglius*; in destructione falsi ferventissimus *Lutherus*; in veritatis patrocinio facundissimus *Calvinus*. Zuinglius docendo, & *διὰ στόματος*, Lutherus scribendo & *διὰ μέλανος* Reformationis fecerat initium: ea sæpe & argumentorum, & phraseologiæ similitudine, ut alteri alterius adscriberentur lucubrationes. Quid Comment. Lutheri in Orat. Dominic. contigerit, sup. pag. 206. Zuinglij verbis expressimus. Id ipsum *Ludovicus Lavaterus* in compendio Historico ad an. Chr. 1519. sua manu observavit. *Postquam* (Zuinglius) *enarravit caput 6. Matthai, editus est libellus Lutheri de oratione Dominica. Multi putârunt, Zuinglium mutato nomine scripsisse. Omnes, præsertim senes amplexi sunt. Erant enim, quibus semper displiceret Idololatria.* In repurgando Augiæ stabulo omnes ita fuerunt occupati, ut ex congestis longo temporis fluxu, sordibus alius alias

alias egeſſerit. *Lutherus*, quod ſupra monuimus, meriti potiſsimùm Idolum & ſupremarum Pontificis diruit; *Zuinglius* traditionum monſtro jugulum petijt, Sacræ Scripturæ authoritatem reſtituit, Dagonem de throno præcipitavit, Idololatriam radicitus evulſit: Ἀρτολατρείαν ſuſtulit, adeóque, quod prima clade ſupereſſe videbatur, reſtaurato bello, viribúſque redintegratis, internicioni dedit. Hanc enim ſibi laudem relictam ipſe obſervat T.1.pag.38. *in Explanat. Artic.18.* ubi monet, multa Lutherum dediſſe infirmis, quæ emendari oportuiſſet. *Calvinus* non craſſam tantum Papatus ſcabiem perfricuit; ſed & interiores cordis morbos & oſtendit, & abſtulit. Et cùm priores jam planam ſtraviſſent viam, non pro fidei tantùm Orthodoxia, ſed & pro vitæ integritate; fide ſincera cordis, & confeſsione ingenua oris laboravit *Zuinglius*, ut ne à Scripturæ ipſorúmque adeò fontium terreret lectorem adyto, parcior fuit in comentarijs plenior *Lutherus*: *Calvinus* veteres etiam ſuperâſſe judicatur. Certum eſt, non obſtante plus quam Gothica ſeculi ſui barbarie, vix quicquam apud veteres laude vel admiratione occurrere dignum ſigillatim, quod in Calvini

vini commentarijs se non offerat conjunctim. Conferantur μελετήματα ejus in Psalmis, præfatio cumprimis, cum quolibet alio, quàm optio erit facilis? In hoc tertio convenerunt omnes, quòd seriò causam Christi egerint. Qui nimium *Zuinglio & Calvino* tribuerunt fervorem, & causæ difficultatem ponderare debebant, & adversariorũ morositatem: *Zuinglius* hoc ipso se nomine purgavit. Pro *Calvino*, in quo tamen noñulli ἐπιθυμητικὸν magis, quàm θυμικὸν Lutheri observari maluerunt) nuperus Encomiastes audiatur: *Cùm Calvinus Prophetas, qui à scommatibus non abstinent; Paulum, qui fascinatos & amentes Galatas vocat, Christúmque adeò, qui salsè perstringit Pharisæos, imitari non dubitat, id non alio facit animo, quàm ut Dei gloriam contra exitiales errores fortiter asserat; & hominum salutem stimulis veluti quibusdam pungendo, si minus promoveat, certè non ignava, mollíque actione Sacrosanctæ veritatis causam prodat. Ipse Calvinus pro se respondeat. Ego,* inquit, *perniciosos errores, quibus tota religio corrumpitur, ut pijs omnibus detestabiles reddam, suis elogijs depingo.* Et paulò

paulò ante adverſus eundem Weſtphalum: *Ego verò tam indignè læſus non iracundiæ fervore, ſicuti falsò exiſtimat, ſed cohibendæ ferociæ, quâ nimium exultabat, ſtudio, acrius paulò, quàm optarem, remedium adhibui. Atque utinam dolore punctus fuiſſet ad pœnitentiam! Sed quando tantum exacerbatus nihil de pervicacia remiſit, imò in ea magis ac magis obduruit, altero fructu me conſolor, quòd alij intelligent, quàm intrepidè errori ſuo contra claram veræ doctrinæ lucem patrocinatus fuerit. Revera, cur eum, qui ſingulis propè verſibus non tam in Calvinum, quàm in ipſum Chriſtum deſævierat, artificiosè placaret? Qui veritatis Profeſſores toto orbe exterminandos, gladio potiùs, quàm ſtylo refutandos, eorum vel approbatores dignos, quibus aqua & igni Magiſtratus interdicant, pronunciaverat, cúr non ejus inſanum os ſtrenuus veritatis aſſertor compeſceret, cur non ei ſua convitia retaliaret? Cum eo ipſo tamen, ut Calvinum facile irritabilem, quales bonorum naturas eſſe Cicero ſcribit, ſed facile placabilem, cum eo in* quam.

quam, ipſo, ſi velit in gratiam redire, non detrectat, Chriſtum judicem appellat, teſtésque omnes Angelos, ſimulare ejus pervicaciam flecti contigerit, nullam in ſe fore moram, quo minus fraterna inter ambos benevolentia coaleſcat. Hæc ille, quibus & ſequentia ſunt affinia.



INDEX

INDEX I.

Epitomen continens hujus Partis VI. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ;

ſive

Hiſtoria Reformationis

Partis II.

loco



INDEX II.

A.

B.

Cleri

Myco-

 officio

Vrba.

FINIS.



